694.





HERMATHENÆ

GYMNASII GEDANENSIS,

A

JOHANNE MOCHINGERO

EDITÆ.

P.

ANNO MDCLI.

GEDANI,

TYPIS RHETIANIS.

NOBILISSIMO

NOBILISSIMORVM

DNN. SCHOLARCHARUM

GEDANENSIVM

QUATUORVIRATUI:

DN. CONSTANTINO FERBERO,

PRÆCONSVLI ET PROTOSCHOLARCHÆ;

DN. GABRIELI SCHUMANNO,

DN. NATHANAELI SCHMIDEN,

DN. DAVIDI KEMMERERO,

CONSVLIBVS ET SCHOLARCHIS.



3150

NO-

NOBILISSIMI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI
PRVDENTISSIMIQVE
DOMINI.

Cùm, ante ipsos annos viginti & unum, ad hoc munus adii, cujus muneris mihi ratio imposuit, ut isthæc conscriberem atq; ederem, quæ fasce comprehensa Vestris modò traduntur manibus; rebus mortalium intererant, præerantq; bono Civitatis Scholarumq; publico laudatissimi Antecessores Vestri, jâm beati;

Dn. EGGERTVS À KEMPEN,
PRÆCONSUL ET PROTOSCHOLARCHAS
Dn. TIDEMANNVS GIESIVS
Dn. WALTHERVS ROSENBERGIVS
Dn. EDOVARDVS RVDIGERVS.
CONSULES ET SCHOLARCHÆ,

Atq; horum placito & auctoritate factum, ut eloquentiæ, in Gymnasio nostro docendæ, pro virili, me accingerem: ac præsertim, cùm CL. M. Petrus Lossius eandem ipsam, quam per aliquot annorum spatium administraverat, spartam mihi sponte cederet, & ad Physicam, cum Græcâ linguâ, tractandam se unicè converteret. Quod literaturæ pensum humanioris, aut, ut rectiùs dicam, omnigenæ eruditionis (nam quid est eloquentia, nisi copiosè loquens sapientia? verè sic profectò edisserente Tullio) præter omnem meam quidem exspectationem ita mihi obtigit; sed, fateor, non præter intimam animi mei approbationem. Quippe semper in votis meis fuit, ut pluribus prodesse daretur. Animadvertebam verò etiam bene, quam traditurus essem in Scholâ dicendi artem, posse vix parùm conferre ad dicendum & docendum in Eccle-

Ecclesiâ. Quemadmodum satis sanè constat, eò tam singularem Ecclesiæ navasse operam & Cyprianum, & Augustinum & Arnobium (at quantos illos Viros!) quia Rhetores fuêre, seu Rhetorici Doctores. Ne commemoratum eam alios, quorum non desunt nomina. Nihil igitur passus sum (sit verbo venia) in me desiderari, ut, quoad divinâ gratiâ vires suppeterent, juventutem nostram artibus facundæ facultatis primò imbuerem, tum usu nostro, & ipsiusmet adolescentiæ exercitationibus tempestivis, magis magisq; præpararem. Artium specimina nonnulla quondam prodiere & prodibunt, si Deus volet, cum tempore, alia; nunc exemplorum se simul sistunt. Nolim autem quenquam cogitare, esse quicquam factum hactenus, aut fieri, factumve iri ostentandæ curæ nostræ (dedidicimus enim, cum Deo & die, ostentationi inservire:) sed, vera loquor, ostendendæ tantùm. Quo animo hæc Vobis esse à me exhibita, Gymnasii nostri DN. Curatores plurimùm observandi, si Vos potissimùm esse persuasos intellexero, exoptatum me præmium meruisse lætabor. Quibus ego Omnibus quatuor, & Musarum & meis Patronis, vitam longævam ex animo precor, famamq; immortalem & maximè beatitatem æternam.

VV$^{rum.}$ Nobilisr$^{um.}$ Magnificentiarum,

tam votis, quàm officiis,

Dab: Gedani, An. 1651. pridie diei D. Iacobi recordationi consecratæ, quæ in fastis numeratur 24. Iulij.

cultor,

Joh: Mochingerus,
Ædis Catharinææ Pastor,
& Eloquentiæ Professor.

DE
VICISSITVDINIBVS BELLORVM,
EORVMQVE VARIO EXITV,

ORATIO

ANNO MDCXXX.
DIE IVLII IV.
IN GYMNASIO GEDANENSI,
HABITA

A
IOHANNE MOCHINGERO
ÆDIS CATHARINÆÆ ECCLESIASTA,
CVM PROFESSIONEM ADIRET RHETORICAM.
EDITA

TYPIS RHETIANIS.

AD ORATIONEM AVDIENDAM *INVITATIO:* AUTORE,

CLAR. CHRISTOPHORO RICCIO, J. V. L. Juris & Historiarum Profess.

DN. JOHANNES MOCHINGERUS, Ecclesiæ Catharinianæ Antistes dignissimus; Vir dignitate Reverendâ, & omnigenæ eruditionis laude Clarissimus, die 4. Julii, horâ antemeridianâ, quasi decimâ, *de belli vicissitudinibus*, ex Cathedrâ Gymnasii togatâ, ut juventus sui se ab exemplo admoneat officii ac diligentiæ, publicè perorabit. Tantum est, quod Te scire volui, & quo Te nunc dimittam, BENIGNE LECTOR.

Nisi precum fortè aut invitationum solemniore apparatu porrò heîc fuerit opus, *postquam Oratoria vis & facultas maximâ ex parte in auditorum delapsa est potestatem*: querelâ Demosthenis, non hodie aut nudius tertius demum natâ. Cujus tamen aurâ hac, quam spero, mitiori, facilè nunc liberor curæ aut solicitudinis: quin ita procor aut precor Oratori auditorium, ut auditorio potiùs hunc apprecer Oratorem, spei omninò firmæ certus, solum pro omni sufficere invitatione *Mochingeri* nomen; aut ipsum etiam rei dicendæ pondus, tanti, præ cœteris, Viri suadâ ac facundiâ unicè librandum. Quàm aspera enim ac salebrosa belli sors audiat, dictu tamen ac explicatu sub ipsâ suî mole ac impetu semper fuit intractabilior. Idq; fato ac genio publici doloris, quem cauta ac religiosa silentia proprio quodam mitigationis artificio mirè leniunt: memoria inclementer exasperat: nisi nuncia remedii; in bellis equidem hactenus habiti pro desperato. Postquam pax alma, unicum sapientiæ delicium, rerumq; quas homini novisse datum, optuma, odio haberi cœpit, imò risui & lusui exponi: dum larvæ & tituli votivæ tranquillitatis pomposis insculpuntur vexillis, solicitis præferuntur armis, diplomatibus ac tubis decantantur. Ipsi verò fidæ

pacis

pacis jactato obsequio, tantâ diligentiâ, imò tantâ retardandæ humanæ prosperitatis contumaciâ obsistitur, ut aut aliunde substituta ac socia impedimenta præstinentur, aut lentâ officiosæ procrastinationis tabe salutare istud sequestrandi belli negotium juguletur. Sed cautè omninò, & ex arte. Saltem ut publica Legis Corneliæ accusatio declinetur: cætera bonæ fidei subtilitate per Ostracismum licentiosiùs explosa. Atque ideò unionis tesseræ ac leges aut omninò monstrosæ deposcuntur, aut ad internecionem usque disputantur; citiùs, si priscâ heîc uti liceat parentandi formulâ, elatæ, quàm natæ. Neque quicquam inibi solemnius, quàm ut puerperium hoc dubiæ prolis ultra spacia mortalitatis continuetur. Quasi pax ultimo terræ umbilico sepulta, aut profundissimo submersa mari inveniri non possit, tot votorum præfationibus quæsita, aut honesta sine opprobrio alieno esse nesciat. Quæ quanto sunt iniquiores recepti divortii injuriæ, tantò à censoribus publici status, pulso omni medelæ commercio, perorari videntur inutiliùs: imò cum quâdam penè noxâ, aut discruciati animi offensâ, quomodo amicitiæ mentionem irritam, quasi cotem dixerimus odiorum. Furioni utiq; uti dolorem & famem nimiò irritant malè cum interdicto usûs aut esûs appositæ ciborum lautitiæ: ita cordolia & animi angores, pacis aut sopiendi belli jactata insanùm auget medicina, virtute ac viribus suis orbata. Fietq; facundiæ intempestiviùs conlocatæ, quod multitiis aut vesti infidæ, quæ pellucens ac regendi custodiendiq; corporis negligentior damnari solet, ac rideri. Est tamen, si verum amamus, in eloquentiâ aliquid etiamnum sublimius, supraq; hominum mensuram: supra galeas & galeros: supra machæras & loricas: supra ipsa prælia, & quicquid tandem cruoris in insidias humani sangvinis sævitia dedicare unquam potuit. Ludantur datatim, damnentur juratim bellorum feriæ. Fiat, quod factum est hactenus. Addatur etiam, si lubet ac licet, in ipsam nex necem. Eloquentia suas tamen neq; vires amittet, neq; libertatem. Quin tantò contra tyrannidem insurget audentiùs, quantò inquies id monstrum armis pluit ac sævit immitiùs: præparandæ saltem ac obfirmandæ integritati mentis; in quâ solâ situm est, ne ipsa etiam belli vincat victoria, & ut sangvisuga Bellona in omni virium quæsturâ nihil posse disse virium intelligatur. Spretis sine cerussâ fucatæ insolentiæ belli injuriis, quid bella amodò? Vt grando inquam, in tectum inlisa, frangitur, non frangit: sic injuria in mentem generosam. Fietq; bellum vel solâ hac modesti contemtus cautelâ quodammodò bellum. Sed & in ipso præterea Martio campo, ac diribitorio, post tot in-

fames ſcopulos, quàm multæ ſuâ ſe ſponte exſerunt neque improbæ neque pœnitendæ vicisſitudines! Ut à bello requies, & interſtitia naſcantur furoris, fortisſimum quemvis Mars pigneratur, & ex ſolio in planum, è caſtris ad Sacellum Divæ pacis trahit vel invitum. Ambitio ipſa humilitatis officia ſubire jubetur; inſolenteſvé ſpiritus, varietate fortunæ deſultoriâ caſtigati, concordiæ legibus maſculè ſubjiciuntur, etiam cùm omnia ad nutum & votum fluere videntur. Idq; benignisſimo Numinis divini favore: cui patrias quoquè nos debere intelligimus inducias, prænuncium iſtud propinquæ ſerenitatis ac malaciæ ſidus: è quo ſpes concipilatur haud abſurda, deguſtatâ quietæ ſecuritatis dulcedine promptiores ac diuturnas à bello & hoſtilitate ferias conventum iri. Faxit tranquillitatis autor & ſospitator unicus, ut pii augurii reddamur compotes, & obſeſſa tot difficultatibus pacis via omni impedimento quantocyùs eximatur! Hæc voti noſtri ſumma. Imò hæ preces noſtræ, Mecænates, Fautores, Amici, Viri omnium Ordinum honoratisſimi, quotquot in bellorum vicisſitudinibus belli ſive imbelliam, ſive fatales periodos mirari, aut quid facundia poſſit, rimari volueritis, ut Suadam audiatis, imò auſcultetis Reverendi Domini MOCHINGERI. In quo ut occœperam, ita finio bono omine. Noſter enim nunc ſcopus eſt, ut hunc dicamus: aut dicentem potiùs audiamus. Valete, & Muſis favete Gymnaſii. PP. Dantisci, 2. Jul. Ao clɔ lɔc XXX.

ORATIO

ORATIO.

DOMINI MEI, ET AVDITORES OMNIVM ORDINVM ATQVE DIGNITATVM HONORE EXIMII;



Vi rem istam experti, ut par est, momentis suis æstimant, quod sapientes ferè facere assolent, belli nomen, quàm res est, suaviùs tinnire monent. Inexpertis verò dulcis est pugna: ut rei militaris apud Latinos doctor celebratissimus, Vegetius, parœmiam Græcorum vernaculè reddidit. Plura quoq; in hanc sententiam princeps Parœmiographus edisertavit: qui, si modum tenuisset, efficaciter de belli calamitatibus, in absolutissimo Chiliadum opere, declamitasset. Unde haud pauca modò depromere possem: nisi inscitum videretur, ex compilatis aliorum scriniis antipagmentum Orationis nostræ ambitiosè illustrare. Quin verò aures paulisper præbeamus Anco Velio, adolescentulo cuidam, qui, artis & Musarum desertis amplexibus, solâ nominis specie fascinatus, bello & Marti nomen dedit; sed demum magno suo malo & periculo edoctus ad frugem rediit. Rem omnem ex Acignianis jucundissimus Poëta est hisce versibus complexus: quos, quia lecti relectiq; admodum placuerunt, non piguit memoriæ mandare, è quâ, si possum, eos proferam:

Tympana, bombardasq; triumphalesq; tonitrus,
Cantricesq; tubas, niveo ductas argento,
Et cocco rutilas aquilas, rutilasq; pyropis:
Tum Tyrias chlamydum luces, & texta sagorum,
Aurea, gemmatosq; enses, atq; omnia magnis

Oblita divitiis, Bruxellæ viderat Ancus:
Icciacâ nuper lauro dum tempora magnus
Cingeret Albertus. Belli hinc puer ictus amore,
Me sine, mi Genitor, bellum peto, dixit: at ille:
Me sine, mi fili. Bellum nego, dixit, & aurem
Vertit. At infelix oculos superaddidit ori,
Et teneris verbis teneras superaddidit undas.
Quis motus Genitor: Tun' ò post Pallada Martem,
Post libros, gladios, post carmina, tympana? flebis.
I tamen. Ille volat, bella aurea & aurea castra,
Ferrea mox sentit: ternas fert ordine lunas
Festucâ tectus tenui; mox indigus æris
Pallet, egetq;, sititq;, fametq;, algetq; madetq;.
Quo nunc Ance? Patri me reddite. Redditur æger.
Qui procul illacrymans, pudet, o Pater, & piget, inquit.:
Parcito, credideram bellum miser Adjectivum.

Hæc de Anco, sive verè, sive fictè, quod haud interest; sed verò ingenioſè, satisq; bellè. Sunt tamen contrà alii (quorum hac quidem tempestate est tanta copia, ut muscarum, cùm caletur maximè) quibus bello nihil est optatius: atq; horum omnis generis in eodem est seges gloriæ atq; emolumenti. Quibus videtur animus gaudio sese in venas artusq; diffundente delibutus exsultare & penè foras exsilire, quando clasicum, Maroniano procœmio geminum, audiunt:

Arma virosq; voco.

Scilicet illis quæstus est, cùm colliguntur milites, coguntur stipendia, comparantur arma, &, quicquid porrò ad belli apparatum attinet, quod ipso bello est splendidius, conquiritur. Eos ex hominum numero vix hominibus accensendos si quis sit, qui cum belluis (quæ ipsæ, ni fallor, à bellandi ardore nomen habent)

bent) & nominatim cum equis efferis (à quibus, hodie, vix certè Christi aut Mosis ævo, nato vel noto titulo, titulos omnes antegrediente, Equitum ornari amant gaudentq;) si novè, at vix falsò institutâ comparatione conferat, haud ille, nostro judicio, aberrabit à verisimilitudine. Ipse enim rerum Parens Dominusq; omnium, in suo ad Jobum sermone indicavit de caballo, quòd, cùm clasicum audit, non stet sonipes, sed frena ferox spumantia mandat, auditoq; tubæ sono, Ha, ha, he dicat; cùm è longinquo odoratur bellum, tonitru Principum, atq; vociferationem. Id quod legere est in tmemate istius libri, in quo, post admirandum patientiæ incomparabilis exemplum, varia naturæ mysteria nobis ob oculos ponuntur, undequadragesimo. Sic sanè isti, nec vel tantillum aliter, quod publicè constat, tubis & lituis perceptis, sunt animati. Quasi verò æquè egregia hæc sint, quæ in antecessum proferam, nempe invehi equo, urgere eum stimulis, moderari frenis, & in omnem partem circumflectere; pugnæq; ordinem eleganter constituere, ad ducum signa dimicare, adoriri hostem, proferre gradum, instare, premere, circumvenire, sustinere impetum, resistere urgentibus, lævâ dextrâq; ferire, premere cedentes, ictus incutere, incusos evitare, aut clypeo excipere ac contemnere, acriùsq; in hostem consurgere, hostium vultus, latera, ac terga adoriri, passim multos ad internecionem dare, ut quosq; fors offert, aut ferocia stimulat, nec priùs, quàm nutante victoriâ, de fugâ cogitare, fugientes autem insequi, mactare, capere, exarmare, diripere, profligare, suos reducere, recolligere, exercitum instaurare, &, post cladem acceptam, animum vindictæ spe accende-

re: ac reliqua, quæ ſimiliter ſunt eidem ſcenæ propria, utpote, prædari in viis, ſpoliare templa, diripere urbes, ſubvertere oppida, vaſtare agros, conculcare leges, adulterari matronas, ſtuprare viduas, rapere virgines, cives alios vulnerare, alios incarcerare, alios deportare, alios trucidare, & quæ mille alia ſunt miſeriæ & crudelitatis genera, quæ ad hominum extremam perniciem, & commune iſtud, ſi vera fateri volumus, latrocinium & homicidium pertinent, quod bellum vocare mos obtinuit. Mihi verò, ſi quicquam in bello bellum ſit agnoſcendum, cùm iconibus aut characteribus expreſſum occurrit, adeoq; nonniſi ſic ſpectatum ſe exhibet, voluptatis aliquid apud animum meum párere aſſeram: de cætero tantopere eſt adverſum, quàm qvod eſt adverſiſſimum: quandoquidem nonniſi dubio, ut ipſimet bellatores credunt loquunturq;, Marte geritur, cum funeſtâ admodum, & ſupra quàm dici poteſt horribili internecione multorum, quos conſtat Deo charisſima eſſe animalia. Nec à me ſententiam ab hac diverſam vel fingendo polliceri Vobis potuiſtis; ut qui non ſum in lanienis aut macellis humanis verſatus, quibus affines ſunt congreſſus bellici, cùm felicisſimum creduntur ſortiri exitum; ſed inter librorum exercitus atq; pelles hactenus duravi, ubi quamplurimæ eorum non ſine animi gratâ inſigniq; oblectatione viſuntur picturæ calamoq; penicilloq; delineatæ. Audebo autem, quod res eſt, edicere, magnam valde eſſe belli affinitatem & ſic dicti mundi; cujus qui ſordes novit immundi mundi, non poteſt non in fermento eſſe, quicquid mundum nos vocare conſvevimus, tam ambiguo eſſe inſignitum nomine. Quaſi verò iſthac nomenclaturæ decipulâ fuiſſent mentes humanæ

manæ capiendæ, ineſcatæ immundi mundi illecebris, &, quæ has comitantur, vitiis tot mille mortalium exitio infamibus. Quisquis tamen rurſus conſcriptos de eodem mundo commentarios evolvit atq; inſpicit, divinæ legis imperioſam directionem, quæ ibi undiq; ſatis elucet, obſervans, næ ille ſit totus ſaxeus corneusve, nî afficiatur jucundo ſenſu ex miro hujus Orbis orbe. Quod vir doctus, idemq; bonus, videri voluit docere, cùm cecinit:

Si vitam ſpectes hominum, ſi deniq; mores;
Artem, vim, fraudem cuncta putes agere.
Si propius ſpectes, fortuna eſt arbitra rerum:
Neſcis, quam dicas, & tamen eſſe vides.
At penitus ſin inſpicias, atq; ultima primis
Connectas, tantùm eſt Rector in Orbe DEus.

Quia verò tandem id explicare Vobis debeo, quod in præſens me eſſe facturum apud animum meum decrevi, non nunc de miris iſtis in mundo vicibus, quas ab arbitratu divino dependére fateri debemus omnes; ſed de *bellorum* Orbe atq; miro exitu afferre quædam in medium conſtitui. Quædam, inquam, proferre fert animus: ſed quæ præterea ejus ſint generis, qualia feſtinanti, occupato ac quaſi aliud agenti, venire potuerunt in mentem memoriamq;. Confido, *Auditores*, fore, ut Vobis probabile videatur hoc noſtrum propoſitum, ſive quòd id ſic mihi viſum fuerit, non abiturum Veſtrũ à meo ſenſu judicium; ſive quòd *iſtud* vix ſit alienum ab illâ tempeſtate ſat gravi, quâ jactatã eſſe hucusq; Civitatis noſtræ ratem tenemus & dolemus. Ita equidem Veſter me conſpectus confirmat; cùm intueor unumquemq; Veſtrûm, atq; contemplor. Favete, quæſo, dicenti, niſi me falſum eſſe vultis: videro ego, ut antè dicendi finem faciam, quàm Vos me tam attentè audiendi.

Tolle bella hiſtoriis, quid ſupererit? Quod ajunt ſcripſiſe autorem multò elegantiſsimum, eundemq; humanioris eruditionis promum condumq; locupletiſsimum, Iſaacum Caſaubonum; cui id noſtras adſcribit, in ſuo de naturâ & proprietatibus hiſtoriæ commentario. Quod qui negare vellet, eâdem operâ Solem in meridie lucere iret inficias. Ego verò tam præſtantis autoris effato, velut purpuræ pannum, aſſuere adhuc habeo, futurum, ut quisquis porrò ex iisdem hiſtoriis bellicis nutus divinæ virgulæ exemtos velit, nihil easdem de reliquo inveniat eſſe, aut, præter hunc uſum, vix alium afferre, quàm ut legentium animi ad parem bellandi furorem & ferociam accendantur. Idq; barbarorum illi planè indicaſſe videntur, qui coti eſſe ſimilem dixére monumentorum de Alexandro proditorum lectionem, quæ animos egregiè exacuat & efferet. Namq; meam ad ſententiam & illud conferre videtur, quod ſapientiâ clarus Rex, & Patre genitus bellicoſo, ipſeq; aliquando bellator, ut ei tantò magis aſſurgere non nequeamus, ſcriptum reliquit: equum ad diem prælii aptari; ſed penes DEum eſſe exitum belli, & victoriam. Neq; opus eſt eò multa exempla conquirere; ſufficiet lectiora quædam, eaq; cumprimis illuſtria, cum ſperatâ quadam tam auriũ, quàm animi Veſtri voluptate, Vobis ſiſtere contemplanda. Jagello ſcilicet, ut hinc, velut à nomine valde familiari, eoq; præ cæteris longè jucundiſsimo ordiar, cùm ſacro fonte lotus, inq; thalami & ſolii ſocietatem, à Reginâ Poloniæ, Hedvige, eſſet ſuſceptus, eam paulo pòſt in bello ſalutẽ, quam vix ſpe, vix mente præcipere erat auſus, à Deo, ad cujus cultum, miſsâ gentili impietate, animum applicuerat, obtinuit: ut, quod ipſe tum didicit, nos ex ejus exemplo, ſi volumus, poſsimus

diſcere

dilcere & animadvertere. Idq; ex fidâ Sarmaticorum hiſtoricorum memoriâ depromtum, quoad fieri poteſt, nunc breviter ibo narratum: Vos, ut facitis, apud Veſtrum animum penſiculate omnia, Cruciferi, quorum nomen ſatis hominum prodit ingenium, Sarmatis præſertim inimica gens, & in arma ardens, longè magis belli fortunam, quàm pacem, à Rege non minùs pio, quàm quietis amante, non ſemel oblatam malebant: & collecto eapropter valde inſigni Germanicarum copiarum numero (quem clades patefecit impoſterum) non ferociter tantummodo in Regis exercitum fecére impetum frequentiùs, ſed & cunctanti prorſus acerbè inſultarũt, miſis eam in ſententiam acinacibus duobus, quos in ipſo Regis ærario ſempiternæ memoriæ cauſſâ aſſervari, ſunt, qui aſſerunt: ne (quod illi innuere volebant) quiritari Rex haberet opus, ſibi in ipſos arma uſurpanda defuiſſe. At Vladislaus (quod nomen in baptismo acceperat, alterum Jagellonis habebat ab ortu) ut nuper erat novæ religioni initiatus, quæ pacem præfert bello, ſupplicationum operâ diligentiori uſus fuit, ſecurus de belli qualicunq; egreſſu, ad quod tam ſuperbè, quàm contumelioſè provocatum ſe eſſe, incredibili quodam animi robore ſeptus tulit. Iis tamen, qui ad ſe, cum dicto gladiorum duorum, eoq; valde probroſo & apertè hoſtili munere, venerant, modeſtè ſimul ac ingenioſè hanc extemporali felicitate evolutam reſponſionem ſuggeſſit. Armorum, inquit, quantum ſatis eſt, habere me quidem ſciatis: accipio tamen, in Dei nomine, gladios hoſce, quos attuliſtis, & de victoriâ gladiis parandâ, ut me res ipſa ſecurum facit, ita optimè ominor. Id quod traditionem armorum mihi innuere, lætus interpretor. A pace ipſis paganis quoq; celebratâ nunquam

utiq; fui animo alienus: sed, quando bellum malunt Cruciferi, & Christianum sangvinem tantopere sitiunt, pro quo expiando suum in Cruce effudit pacis doctor & autor, spero atq; planè mihi sum persuasus, cùm mansvetudini meæ, tum caussæ justæ adsuturum esse divinum auxilium, & sancti iram Numinis de hostibus sumturum tantâ & crudelitate & superbiâ dignas pœnas. Jacta esto alea. Feciales omnia, ut vana, auribus hauserunt, quæ vento potiùs danda, quàm referenda esse existimârunt: sed ea generis non fuisse istiusmodi, comprobavit belli sors & eventus. Cruciferi agmen in editiore loco explicârunt &, ut initia se dabant, fortunâ superiores primùm quoq; evasere. Commissum tamen summâ vi utrinq; prælium; ita, ut fragorq; sonitusq; armorum fuerit à multis non sine horrore deprocul exauditus. Quisquis conflictûs adfuisset spectator, tentasset votis numen, ut scire potuisset, penes quem exercitum inclinatura esset victoria? Hæc verò neutrorsum nutare: etiamsi fermè ad unius horæ spaciũ pugna jam continuasset. Quod ægrè tandem, ut moræ impatientes, Cruciferi ferre, & animo ad prælii contentionem inflammato, dextrum Polonorum cornu, quod debilius esse animadverterant, cum impetu quodam, nec usque quaq; sanè irrito conatu, adoriri: ita, ut tunc statim res Polonorum deteriore loco esse cœperint, Lithvanis atq; Tartaris, qui illud cornu tueri debebant, in fugam effusis, nec Regis fratre, Vitoldo, qui istis copiis imperitabat, revocante. Itaq; tum ferè conclamatum erat de Vladislao nostro: famâ præsertim ad omnes dimanante, esse copias Regias cæsas, & imminere adhæc sedecim hostium signa, quæ prælii fortunam nondum tentaverant. Sed pariter caussæ bonitate, pariter Regiis pre-

cibus

cibus advocatus Deus oppidò opportunè adfuit, & ſcenæ omnes actus intervertit. Quippe Ruſſi Smolenſcii, ab arcano quodam inſtinctu excitati, & cumprimis fœditatem fugæ deteſtati, valde eximiæ & virtutis & fortitudinis nova ſpecimina dederunt. Mox moxq; alia, eaq; lætior cœpit eſſe rerum facies, dum Poloni in altero cornu collocati, novoq; inflammati impetu, tum illos ſecundiori pugnâ redditos nimis quàm feroculos hoſtes, qui nec ordine ampliùs congrediebantur, principiò profligarunt, tum eorum tot mactârunt, ut ex quamplurimis ibidem trucidatis quaſi ingens quidam torrens ſanguinis profluxiſſe memoretur. Vinum verò fuiſſe, quod paſſim per vias manavit, ait ex ſcriptoribus nonnemo. Nam, cùm Poloni magnam ejus liquoris ſucciq; nobilioris in lautiſſimis inſtructiſſimisq; Cruciferorum caſtris reperiſſent, ne ſui ſe eo ingurgitarent avidiùs, ut qui æſtu diurno & labore diuturno eſſent confecti, ſitirentq; valde (*quod morborum non tantùm certiſſimum diſcrimen afferre, ſed & uſum victoriæ funeſtare eſt compertum*) juſſi ſunt cados diſſecare, & vinum cum cruore hoſtium miſcere. Proditum item accepimus, quòd inventa ſit ibidem permagna tædarum vis, ad incendendas ſcilicet urbesq; pagosq; Poloniæ: nec numero minor catenarum, ut & funium compedumq;, quibus Polonos *vincirent victos: ſed malo poſſidentium hæc* ſunt reperta omnia. Cæſa enim feruntur die unâ audaculorum iſtorum quinquaginta millia; in quibus & Magiſter & Comendatores fuere, paucis, qui evaſerant, exceptis: capta ſunt quatuordecim millia, & è ſignis militaribus erepta unum & quinquaginta. Proh vices! Proh cladē! Hunc is congreſſus egreſſū habuit: qui etſi

ab omnibus commemorari prorsus meretur, præsertim tamen à nobis fieri debet, in quorum confiniis est hæc peracta fabula. Quid aliud hîc verò dicendum, estq; nobis sentiendum, quàm expertos esse probè Pyrgopolinices istos, quàm incerta sit pugnarum vicissitudo, dum illi tam insigniter castigatæ ferocitatis exemplum reliquere nullâ obliterandum oblivione. Si quis tamen adest, qui certaminis hujusce quomodocunq; jam descripti felicitatem & finem, vel fato, vel fortunæ adscribere velit, næ ille idem dicere videtur, quod ego sentio; vel, si à me discrepat, nihil, quod cum veritate constare potest, proferre. Quod enim fortunæ nomine vulgus ignarum colit, nihil est, & corrupta est propemodum mysterii sanctitas interpretatione contrariâ. Fortunam appellat, quicquid est incertum, & ideo tam lævam, quàm cæcam fingunt Deam, & plus huic, quod colunt, imputant numini, quàm in homine ferrent: ut incertum sit, sæpiusne Dea ista ab insanis probra ferat, an sacra? Si quid peccant, aut si quid exspectationem fefellit, continuò fortuna vapulat. Nec miseri vident, fortunam ejusmodi non esse aliquid divinum, sed superstitiosi animi ludibrium, qui sua ipse commenta per superfluas timet curas, aut placat. At mihi fortuna est divini Numinis arbitratus, qui humanas res, non imprudentiâ, sed consilio sinat evolvi, quæq; ex merito lævit & favet: id est, non est illa fortuna, quam plebs Deam facit, &, ut Poëta ait, cœloq; locamus. Illa cœlo venit, & Deum judicem atq; Orbis vindicem declarat illustribus speciminibus: casu quidem & eventu, sed divino, nobilis. Nec fati nomine aliud quicquam velim accipi (quicquid è pago sapientum nonnulli tradunt, ac qui eorum

sectam

sectam intra Ecclesiæ pomœria repræsentant) quàm mulctam ac certum divinæ Nemeseos de sceleratis supplicium. Cujus notæ est & illud sive fatum, sive effatum divinum, multorum exitio jam satis pridem comprobatum: Quisquis (nostis hoc Oraculum divinum omnes) sanguinem effuderit humanum, effundetur sanguis illius: quod sive in belli caussâ, sive in duello temerè susceptо locum habere dicas, nihil à veritate alienum affirmabis. Justus enim est Deus, & cœdium ultor certissimus. Cui ne deesse stipatores aut satellites, velut manus, somniet quisquam, audiat in scripturâ eundem insigniri nomine Dei Dominiq; Exercituum, puta æquè cœlestium, æquè terrestrium. Quapropter idem, ut, quod habet, imperium summum, in quæcunq; exercituum humanorū agmina, luculentè demonstret, tam varios periculorū exitus efficit, quos nec tranquilla mens hominum ante præcipere, nec affectuum diversorū vel clasicorum strepitu turbata ullo evitare potest modo. Sic, fateor, fortunæ locus est, sic fato Unte istud autoris Hetrusci, variæ utiq; famæ magistri, satis anceps acroama manavit, quod vix à vero abludere credes, si meo sensu accipias, cùm Patavi nam Sirenem secutus ita scripsit: Usq; adeo occæcat fortuna animos hominū, cùm vim suã non vult refringi ingruentē! Quò fit, ut qui in perpetuis periculis versantur, minùs vituperari debeant, & minùs laudari, qui continuâ felicitate fruuntur: cùm & illos & hos fata eò trahere videantur, ut neq; consiliū illorū ad resistendum malis, neq; horum virtus ad comparandam felicitatem multùm facere queat. Hucusq; Machiavellus, novus seculi nostri Tacitus.

Cæterùm ad ea, quædicta sunt, si aliud quoq; adjecero exemplum, quod Massiliæ Pontifex dignissimus

ſuppeditat, vix alienum ab hoc loco, minimè autem ab inſtituto meo me eſſe facturum, cenſeo. Brevis eſt, &, ſi quid judicare poſſum, ſuavis narratiuncula, quam penè ipſismet autoris verbis reducam in Veſtram memoriam. Vos, quod facitis, perſeverate in eo, quo cœpiſtis, me audiendi ſtudio. Gothos ac Vandalos, de cœtero non omni humanitatis genere uſq; quaq; perfuſos, imò & hæreticâ pravitate infectos, ſanctus ipſe non minus, quàm eruditus diſertusq; Præſul in exēplū Orthodoxis ſtatuit; quòd iidē in diſcrimine poſiti nonniſi à Deo opem poſtulare conſueverint, nec alíi ulli, quàm Numini, munus ſuæ proſperitatis adſcribere habuerint in more poſitum. Quare contigit, ut pugnantes cum Romanorum Duce, Lithorio, qui reſponſis aruſpicum atq; ſignificationibus Dæmonum unicè confiſus, læta quæq; & fauſta ſibi pro certo pollicebatur (quod ab Idacio, Caſſiodoro, & Proſpero, omnibus tribus Chronicorum, ut audiunt, ſcriptoribus tam multæ diligentiæ, quàm fidei eſt notatum) præter omniū exſpectationem, superiores evaſerint. Cùm enim Gothi metuerent; ille præſumebat: hic in viribus ſpem ponere; illi in Deo. Hi pacem poſtulare; ille negare. Ita factum eſt, ut illis data ſit in ſummo timore palma; huic in ſummâ elatione confuſio. Idq; ſemper uſuventurum prædixit ſummus Magiſter, cùm ait: Qui exaltat ſe, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Namq; Lithorius eandem hoſtium urbem captivus eâdem die intravit, qvam victorem ſe intraturum præſumſit. Quâ in re quidem, præter infelicitatem ſummam, gravisſimum Dei judicium luculentè effulſit, ut, quicquid ſe facturum putarat, ipſe pateretur. Etenim, quia ſine divinitatis auxilio capiendum à ſe hoſtem credidit, ipſe captus eſt, & vincula,

cula, quæ aliis paravit, ipſe ſuſtinuit. Credant igitur, quibus id nondum in mentem venit, ſumere infeſtum faſtuoſis Numen de præfidentibus certò ſupplicium, qui ſumunt inconſultâ temeritate ſibi omnia. Nam quod rogo (ut Salvianus monet ampliùs docetq́;) evidentius Dei judicium eſſe potuit, quàm ut habens prædatoris fiduciam, ipſe præda fieret, triumphum præſumens, eſſet triumphus, circumdaretur, corriperetur, alligaretur, retorta brachia tergo gereret, manus, quas bellicoſas putabat, vinctas videret, puerorum ac mulierum ſpectaculum fieret, illudentes ſibi barbaros cerneret, irriſionem ſexus promiſcuè ſuſtineret, &, qui maximum habuerat ſupercilium fortis viri, mortem ſubiret ignavi? Hem vices! Hem falſum Lithorium, qui fortunam & victoriam in manu ſuâ eſſe ſibi falsò perſvaſerat! Hoſtes eandē cœlitus exſpectabant. Ille aruſpices audiverat: contrà Imperator copiarum hoſtiliū, usq́; ad pugnæ diem humi ſtratus & cilicio indutus preces fuderat. Idem in oratione ante bellum jacuit, ad bellum oratione ſurrexit, ac, priusquam pugnam manu capeſſeret, ſupplicatione pugnavit. Pugnavit; imò vicit.

Quæſo Vos, *Auditores*, quoniam tantâ cum voluptate, ut facies iſta Veſtra tam ſerena indicat, & hæc modò dicta accepiſtis; liceat mihi, bonâ Veſtrâ cum pace, recentius documentum ex annalibus Germaniæ referre & inferre: quod ubi fecero, ſpero me, quantum in præſens ſatis eſt, non ſtupendas tantùm, ſed prorſus etiam divinas bellorum viciſſitudines ſatis declaraſſe. Id quod exempli item noſtrûm aliquis haud facilè profectò ignorare debet, niſi puer videri velit & hoſpes in patriâ. Quantâ autem fieri poteſt comprehenſum iſtud dabo brevitate: &, quod reliquū eſt, apertiſſima divini im-

perii vestigia, indice digito ibidem commonstrata, tam oculis, quàm animis Vestris penitiùs perpendenda relinquam. Bellum ajo istud, quod inter Germanos, eosq; Imperatorem & Principes, pariter sacri pariter civilis fœderis socios, susceptum fuit, vix videri debet consideratis, cœpisse solummodo istis autoribus initium: par est potiùs credere, summum cœliq; terræq; Imperatorem fuisse Archistrategum. Quod vel cumprimis observasse mihi videor, ex ejus, quam sanè mirari convenit, morâ, ita ut prorsus arbitrari liceat, vix aliud ex monumentis exstantibus depromi posse exemplum, ubi tam numerosi exercitus duo, iiq; sibi admodum vicini, conflictum æquè diu distulerint, atq; Cæsareanus iste & alter Principum. Belli ratio ferè eadem fuit observata, quæ ludi Scachici, in quo error non est insolens, sed consilio emendabilis; quanquã huic in bello locum esse quidam simpliciter negant. Carolus utiq; Imperator, ut planè sentiunt rerum intelligentes, circũspectiùs, præ fœderis participibus negotiũ suum tractasse videtur: observantior tamẽ fortunæ, si fas est verbo militari uti, quàm prudentiæ. Errorẽ enim, eumq; haud levem fuisse illum in confesso est, quẽ facilè aut fugâ, aut pœnitendo angustiarũ sensu, luere potuisset, cùm ille ipse, ut transeuntes hostiũ copias propiùs contemplaretur, sũmo se discrimini prope Gengã, quod oppidũ est Sueviæ trans Brentã, exposuit. Nã ipsismet Hispanis fatẽtib⁹, si tũ æquè vigilãtes fuissent fœderati in occasione tenẽdâ, ac se illis dedit, belli finẽ, quod vix aggressi erant, è vestigio fuissent assecuti. Sicut & hoc non malè observatumâ quibusdã, socordiores, quàm decet, fœderatorũ fuisse milites; dum non sunt adorti Imperatorẽ, in campis Ingolstadiensibus Ratisbonensibusq;, ubi detinebatur

tur ſpe copiarum, quæ ex Italiâ & Belgio ſummittendæ erant. Qui opportunitatem tamẽ iſtam, quam turpiter neglexerant, alterius uſu compenſaſsent: niſi conſiliorum conſcius Carolus locum movisſet, atq; ventorum beneficio, qui ſecundi flabant, Donavverdam ſibi valde commodam, imminente nocte, occupasſet. Accesſit, quod Cæſar haud rarò in expeditione iſtâ tam animo anceps, quàm periculi valde metuens fuerit: quem tamen commaſculato pectore audaciorem quandoq; esſe redditum, eſt à Ducibus obſervatum, quorũ conſiliis præbere ſolebat aures. Sed ne his temerè videretur, quaſi à ſuo tantùm arbitrio penderent omnia, qui in altis eſt, Dominus Exercituum in prælio potens, pro eâ vi, quam habet in corda non inferioris ſolùm ſortis hominum, ſed & ſuperioris, ita Imperatoris animũ flexit, ut metueret ſibi aliquando, alio autẽ tempore esſet confidentior. Ita factũ, ut iterũ atq; iterũ ſeorſim iret, nec id faceret ſemper, quod Stratobuleutis placuit ſeu lectis in re bellicâ conſiliariis: quod, niſi pluſculũ tẽporis requireret, paulò diſtinctiùs & uberiùs explicare nequaquã vellem ſubterfugere. Dixero tamen, puto, ſatis, quanquã nonniſi ad ſummam verba faciens, dum inde nihilominus bene luculentè id colligere erit, quod volo: ſupremum illum Imperatorem omnem bellorũ molem ſic omni tempore verſare, ut unicè ab ipso eorundẽ eventum ſive proſperũ ſive improſperũ proficiſci in propatulo ſit. Quâ gratiâ prælertim animos bellantium variè cõmutat. Ita fit, ut, qui rebus præſint, conſultent, ut proſint; ſed ipſe decernit: illi aleã jactent, hic determinat casum: illi exercitũ moveant cõmoveantq;, ut libet, velut in ludo talos; ſed penes ipsũ eſt, cui favet, lucro palmâve beare. Sic aliquanto tempore ſatis feliciter pugnavit Carolus: ſed,

cùm non tantùm honoris, verùm & animarum prædam, iisq; non piscatoriis nasſis, ſed quaſi venatoriis caſſibus, captaret Imperator, verſa eſt facies, apparuitq; manifeſtò, Optimum Maximum voluiſſe ſtare à Principibus, ſui cultoribus & veritatis ſacroſanctæ: quicquid contrà molirentur Albanus Dux, Granvellanusq;, Cæſari ab intimâ admiſſione. Horum verò hic erat ſcopus, ut rigoris ardore inflammati quoscunq; victoriæ meterent fructus, ſive inquam immaturos ſive acerbos: quippe qui eò tantummodo ſpectabant, ut, quos putabant, ſic eſſe deſtitutos animo & viribus, ut ſe & liberum religionis obtentum nõ poſſent vindicare, omni ratione compeſcerent. Quâ in re nimis quàm valde à metâ verâ, ad quam circumſpectos quoscũq; ſemper decet oculos referre, aberrarunt: divinoq; factum eſt interventu, ut ne id quidem, quod ſibi præfixerant, obtinuerint: id eventu longè lateq; clariſſimo, qui orbis univerſi oculos præſtinguit, comprobante luce meridianâ clariùs. Itaq; fit haud rarò, ut, qui Argo videri volunt magis oculei, iis caliginẽ offundat Deus: quò undiq; luculentiſſimè effulgens agnoscatur providentia divina & directio. Vt mirum videri debeat nemini, in bellis præſertim, iisq; tam hucusq; geſtis, quàm impoſterum gerendis, usq; adeo varias & multò inexſpectatiſſimas converſiones occurrere. Nec minùs verum eſt, quod è diſertis autoribus haud poſtremus, qui recens prodiit Regũ Bohemicorũ Panegyriſta, non minùs eleganter, quàm verè ſubmonuit in hanc ſententiam: nulli feliciùs arbori cupreſſum inseri, quàm lauro. Quo innuit, facilè eſſe mutabilẽ fortunæ bellicæ faciem, ita, ut qui jam lauro ſuperbiat victor, victus & vinctus cupreſſo lugeat: id quod ex Primiſlai Ottocari vitâ omnium notitiæ inſerere cõſul-

tum

tum duxit. Possem autem ego sexcenta ejus generis proferre, nisi ad exitum festinaret Oratio, &, quò me instituti vocat nostri ratio, reliquos bellorum exitus atq; vicissitudines in theatrum hocce producere allubesceret. De iis, inquam, libet & verò etiam oportet adhuc perorare armorum feriis, quas vocare inducias, & brevem pacis usuram solemus. Quas qui neget divina esse munera, aut bellum sæpe consequentes, valde ille mihi videbitur errare, nec scire, aut dememinisse, quòd post nimis lenta quædam, ut & multò sæviſſima bella, sit sæpe itum in consilia induciarum; cùm ultima illa vicissitudinum bellicarum, eaq; exoptatissima, pax scilicet aurifera & aurea, triumphisq;, ut ille ait, potior innumeris, quam quæri pugnis omnibus est in confesso, vel sperari non potuit, vel non obtineri. Sic, nostrâ memoriâ, bello benè diu egregiè exercitos Belgas boni omnis largitor, Deus, eo demum ornavit beneficio, ut consenserint unanimiter in pactiones induciarum, oblatarum à *Rege* Hispano, Philippo, & Brabantiæ Archiducibus, quibuscum diu contendêre viribus & etiamnum contendunt, non minùs animosè, quàm feliciter. Mirabantur profectò omnes, ad quos fama primò dimanavit conventionis ejuscemodi; idq; eò, quòd, cùm non esset metuenda potentia viresq; unitarum *Provinciarum*, nec copiæ opesve Archiducum tam essent ad *incitas* redactæ, non Rex, non *Duces* Majestate suâ sunt inferius arbitrati, qui tamen semper sublimitatis suæ sunt visi tenacissimi, ultrò mittere rogatum pacem à populis suo juri subjectis; quæq; alia apud alios sunt aut cogitata aut dicta in eum sensum. Sed Dei hæc fuit in gentem istam continuis bellorum civilium tempestatibus quassatam benignitas, quam meritò riteq; agnovêre & concelebravêre, qui inter eos ad o-

mnia attendunt penitiùs. Nec aliter nobis judicare fas eſt, qui accepimus, magni vatis diſerto ore Deum loqui: Ego ſum, dicit Dominus, qui creo tenebras & lucem, pacem & bellum, ac (quod inde non minùs conſequitur) pacis prævias vicariaſve inducias.

Noſtri ſanè, quod finis loco ſciens volensq; ſubjungo, (videor enim mihi & ſatis diu ediſſeruiſſe, & omne id, quod hujus fuit loci, planeq; pleneq; expoſuiſſe) noſtri inquam, qui hîc adſumus, eſſe officii puto, illas, quibus frui cæpimus, inducias & pacem ſequeſtram, in cenſu maximorum & ampliſſimorum beneficiorum numerare. Atq; id otiorum ſive precibus noſtris à Deo, ſive ab indulgentiâ & clementiâ Regis noſtri impetravimus, perinde eſt, nec unquam cœleſte munus eſſe deſinunt. Pacem qualemcunq; (ut nemo neſcit) maximâ triennalis belli calamitate vexati, plurimis apud Deum votis ambivimus: & nunc, poſtquam eandem ſumus adepti, vel non exoſculari, vel, non ſine ingrati animi notâ, ſuſq; deq; habere, nefas ſit. Metuendæ erunt profectò irati Numinis flammæ novæ, niſi nos tantæ benevolentiæ refrigerium divinum animo jucundo ſenſiſſe grati prædicemus. Solet enim Deus beneficiorum ſuorum iis negare cumulum, qui vel non æſtimant eorum primitias, vel ipſi non adſcribunt. Gentile verò etiam foret & paganum, ſive eventuum tantummodo varietati, quam facilè damus, ſed nonniſi à Dei manu conſiliove directam, ſive hoſtis fortunæ atq; circumſpectioni, noſtræve impatientiæ, vel tergiverſationi aliorum, vel rebus quibuſcunq; aliis frivolis hoc deputare, quod, ſicut Chriſtianos addecet, Deo eſt potiùs acceptum ferendum. Hoc enim modo, quod ſimiliter ex Chriſtianiſſimo ſcriptore mutuabor, & terris nos oporteret agere gratias, quòd fruges annuò metimus; & vindemiis,

quòd

quòd vindemiamus; & mari, quòd pisces capimus; & sylvis, quòd ligna cædimus; & ovibus, quòd veste tegimur; & pecudibus cæteris, quòd carne saturamur: cùm hæc nonnisi Deo, & jure quidem præcipuo, debeamus, à quo & terra & mare & pisces & sylvæ, & quicquid est in Orbe reliquum, suam originem habet. Profanum sit, ajo, & à nobis longè alienum, ut tanti beneficii autori honorem debitum derogemus, nec, quoad fieri potest, nos omnibus modis gratos præstemus. Quin, si audire me par est, faxumus omnes potiùs & singuli, quæso, ut non sermone tantùm, sed vitâ etiam (quod ipsi scimus esse multò gratissimum) grati simus. Vitæ ergò cursum nostræ ad voluntatis divinæ nutum conformemus, &, si seriò rem agere lubet, nuncium tandem remittamus ejus generis enormibus flagitiis, quibus eum hucusq; provocavimus, ut in nos asperiùs animadvertere potuisset, si justè, ut commeriti sumus, agere voluisset nobiscum. Emendatis moribus, emendabit (sit ita mihi loqui fas, sicuti piè sentio) suam in nos voluntatem, nosq; eâ imposterum prosequetur benevolentiâ, ut cordi sit ei curæq;, liberali nobis manu suppeditare gratissima omnia. Ac fieri potest, ut novo etiam argumento suam erga nos optimam propensionem porrò declaret, æternâ nos fortunatos solidaq; pace redditurus. Veluti precibus quidem esse fatigândum eapropter Numen, & vitâ in meliorem statum commutatâ flectendum & sentio & consulo, &, si opus est, per charissima quæq; obtestor. Pro persuasissimo enim omnes habere velim, futurum certissimè profectò, si exhortatio hæc atq; preces locum apud nos invenerint, ut, non nunc tantùm animum meum valde bene Patriæ cupientem modò laudetis, sed & gratulaturi simus omnes imposterum nobis

ipſis, ſtatu rerum noſtrarum longè optimo ad multorum invidiam florentibus. Penè dixi. Quantumcunq; verò dixi, ſentio, non meâ tantùm qualicunq; jam auditâ voce, ſed & plurium jam jam audiendorum concentu celebrandum ac extollendum, quod omnibus modis deprædicare juſtũ eſſe oſtendim⁹, tam indulgentis adverſus nos Dei beneficium: id quod ut patet latiùs, ita latiùs evulgandum. Quare rogatos Vos ampliùs volo, ut gratum acceptumq; habere non dedignemini eorum ſtudium, qui id facere ſunt conaturi multò vocaliùs & jucundiùs. Poſtquam autem illi finem pauſamq; fecerint, vel tantillum mihi concedi temporis oro, ut agnoſcere liceat honorem audientiæ à Vobis mihi conceſſæ: quò, ſi dicendo nec ego placui, nec ſymphoniâ ſit abſterſa audiendi moleſtia; benevolentiæ Veſtræ gratias agendo, quas humanitas Veſtra meretur, expungam officium debitum. Vos igitur, qui hac in re operam ſanctam canendo præſtare eſtis parati promtiq;, in laudem Dei, benefactoris noſtri ſuaviſſimè concinite, idq; dum facitis, attendite. Attendite item ad hæc, quæ præibo verba. Hymnosq; laudesq;, & quicquid animus noſter concipere poteſt, quod Majeſtati Tuæ gratum ſit, debemus Tibi; Tibi inquam, Domine Deus noſter, Deus pacis & militiæ. Tibi gratias pro demonſtratâ nobis & nuper gratiâ Tuâ, & jampridem non minùs multis quàm luculentiſſimis ſignificationibus abundanter declaratâ & ſolvimus, quas poſſumus, & habituri ſumus æternas. Tibi pro tutelâ ararum atq; focorum noſtrorum, inter flagrãtis belli immane quantum gravem vim admirabiliter conſervatorum, immortales nos debere grates altâ voce profitemur. Tibi pro recreatione noſtrâ, quâ induciarum hoc tempore nos reficis terramq; noſtram, laudes dicimus dicemusq;

inces-

inceſſabiles. Tibi ſalutem, Tibi fortunas, Tibi ornamenta Urbis omnia ferimus accepta. Quare Tuam impoſterum quoq; pro Republicâ optamus imploramusq; curam vigilem. Tibi ſupplices ſumus, ut, quibus adhæc indigemus, reliqua propitius largiaris: quæ uno verbo pacis complexi oramus diximusq;.

CLAUSULA,
gratiarum Auditoribus agendarum ergô, addita.

Nunc ergò, DOMINI mei & Auditores omnium *Ordinum & Dignitatum* variis ornamentis præſtantes, quia, quæ habui, ſum præfatus, & tam bonâ Veſtrâ cum gratiâ, quod ſatis mihi videor percepiſſe, ſum effatus; nefas duco, cùm aliud referre non valeam, dimittere hinc quenquam Veſtrûm, ſine allocutionis honore, aut gratiarum actionis qualicunq; quaſi præmiolo. *Idq; tantò minùs eſt à me intermitti fas, quò magis agnoſco atq; intelligo, nonniſi à ſingulari Veſtrâ in me propenſione eſſe profectum hoc tam attentè me hucusq; audiendi ſtudium.* Sunt inter Vos non pauci, qui videri poſſunt commoda neglexiſſe publica, dum me huc ivere ornatum audientiæ honore, quos præcipuè ſi *vel non* obſervem, vel cum juſti cultûs præfatione ſalvere *non jubeam, ingratus ex hac cathedrâ pedem* efferam. Cætera autem ut ut *in* me ſint mediocria, opere tamen ſummo mihi eſſe curæ volo animi grati ſtudium. Quapropter, quos primùm merito Veſtro compello, Domini Scholarum Curatores, & Urbis hujus Conſules honoratiſſimi, velim vos ſanè eſſe penitus perſuaſos, eſſe me valde bene intelligentem Veſtri hujus in me favoris, &, quod re ipsâ ſum declaraturus,

nunquam imposterum futurum immemorem. Sed verò inprimis Tibi, Præconsul & Curator Major hujus Lycei meritisime, Domine EGGERTE A KEMPEN, non meo tantùm, sed & publico Patriæ nomine multas me Tibi debere gratias prorsus existimo & confiteor. Qui (quod modestiæ Tuæ pace vix leviter tantummodo attingam) jam pridem meruisti, vt inter Clarisimos Urbis Patriæ Summates recensearis, quorum aliqui tam quà dignitatem, quàm quà fidem in Civitatem Tibi pares, intra paucos annos, è vitâ sunt evocati & statione suâ. Pátere, amabo, quod opportunitas hæc, cum universæ coronæ applausu; inspirat, ut vel quædam Tua, quæ Tibi debentur, in luce ponam. Tangam ista, non ut par est, sed ut aures Tuæ ferunt, quas solent indolis Tuæ homines, sicut ad aliorum obtrectationes iniquas, sic ad suas laudes immodicas, habere firmiter obseratas. Tuæ, qui ad sunt, fratres Christo mecum dediti, adscribunt moderationi, quòd coiverint unanimes in unam sententiam, quâ in fecerant partes: quam eorum conjunctionem nuper redintegratam cum singulari decoro Ecclesiæ nostræ, & Urbis universæ insigni commodo accidisse, omnes periti & boni pronunciant; idemq; ego sentio & lætabundâ mente in præsens explico. Nec quasi satis suisset Tuam in componendis istis animorum fluctibus Reipublicæ comprobasse industriam, quos intra Urbis nostræ mœnia coortos multùm diu doluimus; emissus es paulò post foris ad firmandas cum hoste inducias, quas quia salvus & superstes obsignasti, Domino antecessore Tuo, Viro utiq; multorum & maximorum in Patriam studiorum & officiorum memoriâ laudatisimo es tamen felicior. Quibus istis, inquam, meritis Tuis,

tan-

tantisq; in Rempublicam beneficiis, quis est facilè bonos, qui non debeatur Tibi? Felicem Te sanè prædico, quòd tantas causlas habueris, in quibus virtutem & felicitatem Tuam declarare potuisti. Si id præterea accesserit, ut Viridariam insulam & Gymnasii hujus ædes, quas, ut sic loquar, lateritias inveniſti, post Te relinquas marmoreas, consummatam laudem boni fortunatiq; Præconsulis facilè impetrabis. Quare, ut de studio Tuo nil venit in mentem dubitare, ita ut exspectationi votoq; nostro eventus respondeat, seriò divinum luminum Patrem, à quo desuper omne bonum, veneror & obtestor. A cujus item benignitate est, quicquid est in mortalium ullo ornamentorum, & quicquid est dotium, quas in omnibus Vobis reliquis, lectissimi omnes Domini Viriq;, contemplor, observo, admiror. Oro adoroq; largitorem huncce, ut diuturna Vobis sit tantorum bonorum possessio: quò, quãtum est Vobis prudentiæ, quantumq; studii de publico egregio egregiè merendi, diu nostrâ cum utilitate declarare possitis. Spero mihi fore quodam tempore eam Vos honorandi potestatem, quam opto. Interim virtus illa Vestra in memoriâ meâ, imò civium omnium gratorum, tanquam in Sole posita, lætatur. Et jam dehinc cæteris Auditoribus omnibus, utpote Reverendis Ecclesiarum Antistitibus, Excellentissimo corporum nostrorum Medico præsenti, Clarissimis Gymnasii huius Professoribus, atq; reliquis quibuscunq; ex quolibet ordine, pro hoc, quo me dicentem prosecuti sunt, officio, observantiam meam, cultum, amorem, studiaq; & defero & spondeo tam ex animi sententiâ, quàm quod inde promptissimè proficisci potest. Iis etiam deniq;, quorum gratiâ mihi est con-

cesſa facultas ex hoc loco dicendi, polliceor, hoc me curaturum ſedulò, ne meam quiſpiam in ſe ad laudem Oratoriam formando defervelcere atq; frigere hac æſtate ſentiat induſtriam.

Tantum.

Poſt ſexennales pactas cum Suecis inducias.

QVOMODO,
AD VRNAM SORTIARIAM,
MAGISTRATVS AVCTORITATE
PUBLICE ADAPERTAM,
CONFLUERE INDIES VIDEMUS
VVLGVS OMNE:

ITA,

SVPRA VVLGVS,
PRIMARIOS URBIS NOSTRÆ VIROS,
TAM LITERATOS, QVAM LITERATIS FAVENTES,

AD ORATIONEM,

DE EADEM FORTVNÆ OLLA,

A

JOHANNE SWENICHIO,
MARCHIACO,

HABENDAM,

IN GYMNASII AVDITORIO MAXIMO,
DIE XII. PROCVRRENTIS NOVEMBRIS,
HAUD GRAVATIM CONVENIRE,
STVDIVM ET OBSERVANTIAM
OMNIBVS POLLICITVS,

VELIM

JOHANNES MOCHINGERVS,
GYMNASII RHETOR.

GEDANI,
ANNO M. DC. XXX.
EX TYPOGRAPHICA OFFICINA RHETIANA.

LECTORIBVS LITERATIS SALVTEM.

QUod in publicâ luce fit, LECTORES, judiciorū & ſermonum variorū ventilationi obnoxium eſſe, non ignoratur. Eo exemplo ſiſto Vobis virum juvenem è noſtro cœtu, & quà ingenium & quà induſtriam atq; culturam in humaniori literaturâ Ornatisſimum JOHANNEM SWENICHIUM, MARCHIACUM; qui, die XII. hujus menſis, horâ poſt nonam mediâ, è ſupremâ majoris, in Gymnaſio noſtro, auditorii cathedrâ, in ſortium ambiguitatem atq; ſortilegos paratus eſt dicere. Sive, (ut paulò pluribus verba ejus interpreter) edisſertare quicquam in animo habet in gratiam eorum, qui ſortitò hac tempeſtate apud nos aliquid in urnâ exponunt, vel inde eripiunt. Nam, ne neſcire quis poſſit ſententiam noſtram, ſi tanti eſt, diſertis vulgamus verbis, non improbare nos omninò indulgentiam Magiſtratus, qui, ut juvet quorundam fortunas, connivet ad hæc ludi pericula, ut æſtimantur vulgò. Præſertim, ut nunc ſunt mores, &, cùm prætextus accedit vel pauperum juvandorum, vel rei apud quosdam laborantis cauſſa. Etſi, ut ne quicquam celem, etiam exactiùs quandoq; ventilabit Exercitator illimitatam licentiam ſortium. Et cur hoc non tentaret, nihil, vel ſolicitè iſtud inſtitutum penſitantes, prævidere potuimus. Verſari enim nos putamus in Republicâ publi-

publicè libera hucusque, quæ, jam dudum eſt, quum conſuevit ejus generis è felicitate hujus Vrbis manantibus ſententiis, ac, quod magis eſt & pariter verum, frequentisſimis ſermunculorum morſiunculis: quem morbum licentiæ popularis nulla depellere potuit hactenus legum ſeveritas. Ita, qui Romæ nolebant à melioribus accipere verum, Pasquini ſarcinatoris è fece vulgi ſentiebant aculeos. Et cùm is vivendi pariter atquè convitiandi finem fecisſet, ſtatuæ proximæ, quæ propè tabernam homuncionis iſtius erat, de nocte affigebantur alia, quæ, quia acerba erant, & multum ex vero trahebant, acrem ſui memoriam reliquisſe compertum eſt. Vnde deinceps porrò percrebuit, ut quævis plebejæ maledicentiæ ſcripta, autore incerto, vel acri ſcriptore vulgata, petulantis Pasquilli nomen meruerint. Itaq; ſi fiat, ut impoſterum innoxiæ veritati guttur prælingetur, ſuam locutionem fortean faciet unus aut alter, quam ſemel inſcriptam præ ſe tuliſſe narratur Pasquinus, in pari anguſtiâ: *Jo crepo*; hoc eſt, rumpor ſaxeus & cautes Marpeſia. Speramus etiam fore, ut, ſi qui fruſtrati fuerint impenſas ſuas, ut fieri aliter non poteſt in erroribus fortunæ certis, ſibi ipſis imprecentur alii, quòd iſtas non ſincerâ fide impenderint in pauperes, quas, an erogarint, an prodegerint? ipſi viderint. Atque, ſi votis res confici poſſet, vellemus quidem, ut, ceu fama ſortilegii hujus dimanabit haud dubiè ad vicinos; ita exemplo præeamus impoſterum aliis, in iſto, ut credi volumus, vel quocunq; ſimili in egenos ſtudio. Ita enim ut fiat, lubet vovere ſeriò in re, ut videtur, ludicrâ: ut compenſemus ſcilicet ludum ſeriæ pietatis aliquo officio. Poſtremò verò, LECTORES, quod

 eum,

eum, cui publicâ hac allocutione audientiam nunc facere atq; conciliare volo, Declamatorem attinet, is, ut ego ominor benè, partes ſuas ita ſuſtinebit, vix vt diſplicere poſſit, & ut Vos ne longioris quidem audientiæ pœniteat: etſi, quod ſimul polliceor, brevior erit. Ad eum itaq; audiendum & confluxus atq; præſentiæ beneficio ornandum nunc omnes, qui hæc legunt, ſolemnibus verbis & formulâ invito & rogo. Valete, Vrbis Ornamenta. Scripſi An. 1630. die 9. Novembris.



CUM DEO.

DE

ELOQUENTIA,

SIVE CIVILI, SIVE SERMOCINATRICE,

QVÆ

CONGRESSIBVS CIVILIBVS

EST PROPRIA,

IN GYMNASIO GEDANENSI,

PVBLICE PROPONENDA,

PROPOSITVM MEVM,

AUDITORIBUS NOSTRIS,

HAC ALLOCVTIONE,

SIGNIFICANDVM DVXI

JOHANNES MOCHINGERUS,

GYMNASII RHETOR.

P.

GEDANI

ANNO M DC XXX.

TYPIS RHETIANIS.

ELOQVENTIÆ CVPIDIS ET AMATORIBVS.

QUi, veterum exemplo, è novitiis emisêre institutiones Oratorias, oppidò plurimos esse publicè constat: sed, qui civilis Oratoriæ præcepta continuo opere pertractata evulgaverit, vidi neminem. Nisi, (quod non celabo,) ex isto sint numero alij, qui generalis Rhetoricę, (ut eam dispertiuntur & nominant,) præceptis, specialia quædam attexuerunt; & ii tangunt ista & indicant. HocKeckermanno nostrati visum fuit,&, qui ei multa debet, Alstedio. Aut verò alij reperiuntur,quibus collubitum fuit quicquam singulare cõmentari de conversatione civili: quos inter est è Germanis Althusius, & ante hunc Guazzo, Italus, ac, post utrumq;, Gallus, Seigneur de Refuge. Deniq; est, qui distinctam seorsim ab aliis disciplinam procudit, Ethopraxiam; quod unus tentavit Vir præstans, Dornavius, cujus præcepta,auditoris cujusdam manu exarata,& Bethanię tradita, ad manus meas pervenerunt. Nam reliquos vix attinet numerare; quia plures sunt formularum solemnium scriptores è Germanis & Gallis, & reliquis exteris, qui istas sermonis & formularũ solemnitates & blanditias (*compliments* indigitant, & Angli & cæteri,voce parùm immutatâ) fartim ferè compilarunt & redegerunt in alveolos. Verùm, ut exorsus sum præmonere, qui hinc & inde sparsa in ordinem & capita præceptorum & regularum retulerit,aut insuper suis excogitatis illustrarit, ex vero scribo, nec vidi, nec invenire potui quẽquam hactenus. Idq; eò, ut ego quidem conjicio, quia omnes putarũt esse superfluum, speciatim sic præmansa in os ingerere,quæ universè dicta â quovis in rem præsentem trahi haud difficulter atq; aptari possunt. Sed ab iis abire videntur mihi, qui sacras Rhetoricas, Ecclesiasten, concionandi methodos, & similes piè, prudenter & doctè ad populum disserendi regulas promulgarunt; curâ, quam omnis suffragio laudavit & approbavit omnium partium sacer Senatus, eò studiosissimè impensâ. Vel observavere

&

& jam (quò porrò iſtius prodam incuriæ cauſas,) non facile eſſe, ſed uſu aſperum, innumerabiles illas vitæ civilis neceſſitates & indicibiles formas in regulam unam aut alteram compingere: hoc eſt, immenſa & amplisſima fori ſpatia in anguſtas Scholæ areolas compellere. Imò, quod ultimo loco adjicio, imbutos fuiſſe arbitror & opinione vulgari ac nimiùm radicitus inveteratâ abreptos, hác parte usq; adeo negligentes Rhetoricę artis magiſtros, poſſe hoc, quicquid eſt, & uſu & experientiâ addiſci: ſicut (quod vetus habet Græcorum paroemia) figulina in dolio diſcitur; vel, ut noſtro lingvę nobis vernaculę utar ſermone, ipſa in foro audiuntur rerum precia. Ego verò, ut ſententiam meam, juventutis gratiâ, absq; involucris, promam, virorum pace tantorum, quos aliàs libenter ſequor, diverto nonnihil in inſtituto hoc ab iſtâ ſententiâ, & ſic undiquaq; juvandos eſſe perſuaſus ſum juvenes eloquentiæ cupidos, ut omnis generis maturè diſcant parare ſermones, eosq; nec minùs, quos Schola requirit, aut Eccleſia, quàm & forum ac Curia, aut deniq; vita civilis quæcunq; & quodvis in quolibet loco cum hominibus vel præſentibus vel abſentibus commercium. Nec ut ſententiam tantùm meam ab aliis abeuntem videar oſtentaſſe; quia ſic ſuperioribus placuit, admovebo etiam poſt preces operi manum, &, quę huc faciunt, ad iſtud oſtendendum & juventuti inculcandum, fideliter atq; conſtanter diſſertationibus & regulis in Gymnaſio noſtro, hora matutinâ IVâ: & loco ſueto, impetratis, ut vocantur, Jovis & Veneris diebus, exprimam & afferam. Ordiar verò hoc quicquid eſt penſi, ſi idem ſic viſum fuerit ſupremo Numini, die menſis Decembr: Vtâ: & CARCERES ORATORIÆ CIVILIS APERIAM; nil præſtolaturus anni, qui proximè ſequitur, novi ingreſſum; quum nec procraſtinanda ſint bellè cogitata, tantùm abeſt, ut in annum ſint differenda. Idq; vel ideò poſſe doceri puto, quia iſtud & haud parùm utile erit juvenibus noſtris, & omniũ impoſterum cautioni inſerviet, ne noſtrâ civiles, &, ut volunt audire, politici homines, aut rideant, aut faſtidiant eloquentiam, veluti umbratilem, atq; Scholaſticam, quin, ut eam turpiùs convitii luto com-

ma-

maculant, uti pædagogicam. Nam nec nimium, nec rigidè nimium, ſanè Barclajus in Satyrico alicubi, ſed verè: Hodie cum noſtris artibus nugamur, &, quæ laudes olim ſcientiam extulerant, contrariis vitiorum maculis miſerrimè ſordeſcunt. Nulli quondam elegantiùs mores examinabant, nulli commodiores humanę conſuetudini putabantur, quàm qui eloquentiæ veterumq́; temporum memoriæ aut Poëſi ſtuduerant. Nihil illis comius, nihil ſuavius antiquorum ætas vidit. Inde ipsa humanitas illi ſcientię ſuum nomen accommodavit, Nunc verò quid ampliùs dicam, quàm parentes metuere, ne pueri, dum Scholaſticos audiunt, cum literarum commercio, ſimilitudine morum imbuantur. Ut ineptię omnes, & quicquid in inceſſu vel oratione eſt inſulſū, communi proverbio jam conſuetudini Academiarum imputetur. Quæ illorum uterq́; tam clarè, ut â me illuſtrari aut declarari dicta nunc non ſit neſſe. His autem hucusq́; rogare tantùm atq́; invitare in animo fuit eos, qui velint, ut ſibi proſim, &, ni faſtidiant verò, quoscunq́; vel alios, qui juvare me poſſunt monitis, vel excitare honore audientiæ; faxint, ut intelligam illis probari conatum meum, & in acceſſiones literarias ſtudium. Inprimis certè Amplisſ. DNN. Scholarchas hoc cupere compertum habeo, ut meliorum ingeniórum & fortunarum è noſtris & exteris adoleſcentes æſtimare hæc diſcant ſuis preciis commoda, quę & ipſi, pares quõdam ætate & ſtudiis, non laudare tantùm ſed & ſectari avidè ſoliti fuere. Quorũ, prę meâ invitatione & voto ut ſatisfiat voluntati, tantò magis æquum eſſe quivis intelligit; quantò eſſe tutiùs credi poteſt, ſequi iſtorum & aliorum in Vrbe noſtrâ Virorum clarorum veſtigia, quibus graſſati ſunt ad eam famę, honoris & dignitatis arcem, in qua nunc tutò reſident, & jucunda peractarum gnaviter in Scholis operarum recordatione animos ſuos reficiunt & recreant.

Hos, ſi vultis, de procul ſequimini, juvenes lectiſſimi, & valete mente & corpore. Scripſi Dantiſci,

Anno præcipiti 1630. die, quæ antecedit

DNicam Primam Adventus.

OMNIUM ORDINUM VIROS,
QVOS GEDANVM HABET;
LITERISQVE ET LITERARVM CVLTORIBVS
BENEVOLENTES;

ORATIONIS,

DE VARIO VESTITUS CULTU,
MODESTÆ CENSVRÆ SVBJECTO,

A
PATRICIO ADOLESCENTE,
ISRAELE JASKIO,
EX CATHEDRA GYMNASII SOLEMNI,
PRÆSENTE ANNO M. DC. XXXI.
IMMINENTE MARTII DIE QVINTA,
HORA QVASI NONA,
AUDIENDÆ GRATIA,
PVBLICA ISTHAC COMPELLATIONE,
HONORIFICE
CONVOCATOS VOLO,

JOHANNES MOCHINGERUS,
ÆDIS CATHARINÆÆ CONCIONATOR,
GYMNASIIQVE RHETOR.

P.

GEDANI
RHETIANO PRELO.

OMNIBUS,
HONORIS DEBITI
CUM PRÆFATIONE,
SALVTEM DICO,
STUDIAQVE NOSTRA DEDICO.

VErè, LECTORES, atq; more ſuo feſtivè Taubmannus alicubi in Epicis:

Cuique ſuum caput eſt, ut pilleus: approbat Hermes;
Improbat Hermogenes: nec idem placet omnibus unquâ.

Quod & de quocunque univerſi corporis vel tegumento vel ornamento dici poſſe, ipſa nos docet atq; confirmat experientia. Quia enim tanta & planè exlex eſt cultus iſtius varietas; major ejus eſſe exiſtimatur licentia. Hinc namq; (ut ex ingenti & tam copioſâ ſupellectile, vel quicquam tantùm ſpeciatim explicemus, & tamen â capite ad talos usq; imos contemplando progrediamur) certum eſt, hodiè complacere turritos atq; jejunos pileos, cras depreſſos verò atq; crasſiuſculos. Jam collaria, quæ translatâ voce à canum vinculis, aut formâ à jubis leonum deſumta ſunt, vel denſa ſunt, atq; multiplici plicâ gravida; vel â lotione temerè plicata & collo circumjecta; vel ferro à prunis calente in leges redacta; vel exſpatiantur in humeros; vel collum, veluti annulus, tenerè ambiunt; vel, cùm hæ formæ ætatem adipiſci non valent, aliæ ac novæ prorſus & interpolatæ denuo in conſuetudinem veniunt. Thoracis præterea, atq; inprimis ſi patriam debeat mentiri, non minùs ſunt multiformes figuræ: dum diſſectum alij gerunt, alij inſtitis obductum, alij, quia ſic ſolùm videtur, ſingularem eſſe cenſent elegantiam, veſtis materiam omnem, non rarò præfulgidam, fimbriarum ſumtuoſo celare numero. Veluti ex adverſo & contrà videntur facere, qui pallium è lanâ, quantum quantum illud eſt, holoſerico ſubduci curant; ſcilicet, ut tegere velint expenſarum prodigalitatem, cùm eam oſtentant maximè. Manicæ verò thoracis quandoq; ſunt fluidæ, arctæ aliàs, aliàs arctiſſimæ, & quæ brachium urgent, veluti anxij atq; anguſti calcei pedem urgere ſolent & urere. Caligæ adhæc nunc ad genu ſunt, nunc infra, nunc ſupra, nunc laxę, nunc ſtrictæ; jam volitant, jam genibus illudunt, jam cohærent tibialibus, jam ſeorſim natant: & omnia hîc varia & indies penè nova, dum infinita eſt mutationum ſeries, cum ſtatim atq; cras ferè morituſâ novitate. Nec pedum, partis ad lutum damnatæ, eſt idem & unum ac conſtans ornamentum; ſed mirè ſimiliter variant calcei, vulneribus, feneſtris, acumine, vinculis;

culis; ut colores eorum non numerem & alia. Verùm omnia ista, quæ videri possunt hucusq; curiosiùs descripta, nondum ego rideo aut censeo; sed describo tantùm & memoro. Nam quæ mea sit sententia in re tàm variâ, & nec dum Senatus sacri aut profani suffragio penitus definitâ, publicè non facilè dixero. Quamvis audaculos alios non ignoro, qui, qvum pleni suâ consuetudine sibi placent, vel rigoris sacri gratiâ, vel risus, vel seculi, vel alterius rei caussâ, sæpe aliud quicquam, idq; diversum â moderatione, & tantùm non à modestiâ facilè audent. Ego verò, ne frustra cum seculo belligerem, pòstquam inculcavero illud, NE QVID NIMIS: nec novatoribus, nec veteratoribus favere volo; sed mediam viam tenens exclamabo; non verba tantùm, sed & vestes usu valere, sicut nummos; illud Poëtæ adjiciens,

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentq; &c.

Vnicum rudi prognatum seculo ac penè indicendum Helvetiorum portentum, quod publicè ostentant, nullo colore posse excusari arbitror, quicquid, qui istud non curant, assueti dixerint. Nisi fortè joco quis luserit, omnes hoc porrò Germanos præseferre debere, ut publicè constet esse viros, quos animus abjectus & advenis cedens, præter majorum morem, esse arguat mulieres. Sed ista ego & sexcenta ejus generis non ampliùs excutio. Verùm præstabit hæc prolixiùs, atq; accuratiùs, patricius Adolescens egregius, ISRAEL JASKIVS; de quo optima quæq; familiæ præclaræ & Patriæ polliceor. Quem cùm libenter cupiam audiri publicè, volui hac allocutione ei apud literatos quoscunq; in Vrbe hac parare atq; conciliare audientiam. Certus sum enim etiam, non fore quenquam facilè ex auditorum, quos impetrabimus, numero, quem vel pœniteat impensi temporis, vel commodatarum aurium. Bacchanalia, ut vulgò vocantur, nunc sumus ingressi; & me si quis roget, audiat, præstare quidem, si quis solemnis hujus otij horam, non in Vacunæ aut Comi, sed Musarum atq; Apollinis gratiam, nec fallere, sed impendere potiùs maluerit. Neq; celo, subiisse mitationis aliquid animum, qvum cogitavi mecum, alios, qui audiendi atq; videndi ludiones obscuros licentiam precio comparant: (ubi tamen sæpè fit, ut & oculi spectando, & aures auscultando, & lumbi sedendo doleant,) nolle magis audire gratis professores rerum bonarum in Scholis atq; Ecclesiis, vel, qui horum vestigia deprocul legunt aut sequuntur, juvenes. Verùm nec illud ulcus tangere erat in animo. Nam nostri quoq; honoris ergò frequentiores fore auditores suâ sponte, non confidimus quidem, conscij tenuitatis nostræ; sed ominamur ex multorum in literas animo, nec paucorum quoq; in nos sic publicè iterum iterumq; contestatâ benevolentiâ,

volentiâ. Materia verò, ut & illud ſummatim indicem, quam dictione exornabit is, quem Vobis ſiſtam; jucunda erit, ut arbitror, nec cujuscunq; vel mediocriter tantùm literis tincti captum excedens: DE VARIO SCILICET VESTITVS VIRILIS ATQ; FOEMINEI CVLTV RECITATIO ATQ; CENSVRA MODERATIOR ET VERIOR. Stylus item ſermonis erit, niſi me judicandi facultas deſtituit, planus ac facilis, & talis imprimis, qui rem iſtam tam humilem decet, & dicturum juvenem, qui in iſtam ſpem educatur, non ut ſcripturiat umbratilis pagellarum variegatarũ conſarci nator; ſed ut in luce vel fori, vel vitæ civilis, ac oculis multorũ verſari & vivere debeat impoſterum. Cujus ſimilium intereſt maximè, non cum vulgo ſapere quidem, ſed cum eodem libenter loqui: niſi cùm abit fæx plebis nimis à nitore cujuscunq; lingvæ atq; munditie. Actio deniq; & recitatio qualis ſit futura, oculis & auribus haurient, qui intererunt: quos omnes interea valere volumus, & exſpectationi noſtrę atq; precibus præſentiâ ſuâ ſatisfacere, die nimirum V. Martij, quà habebitur hæc Declamatio, in auditorio Gymnaſij noſtri majore, horâ poſt matutinam nonam mediâ; cujus cauſsâ, quæ nunc præfatus ſum, termino. Valete LECTORES. Scripſi

Calendis Martij ANNO M. DC. XXXI.

DANTISCI.

DE MODO

NOSTRA GERENDI BELLA,

QVI MAJORIBUS FUIT IGNORATUS,

LONGE TVTIORE SOLERTIOREQVE,

NOBILEM JVVENEM

GERHARDUM BRANDES,

EX SEDE ORATORIA,

IN GYMNASII AUDITORIO MAXIMO,

DIE XIV. JVNII, ANNI PRÆSENTIS M DC XXXI.

AD HORAM IX. ANTEMERIDIANAM,

PUBLICE EDISSERTURUM,

DENVNCIO

JOHANNES MOCHINGERUS,

ÆDIS CATHARINÆÆ CONCIONATOR,

GYMNASIIQVE RHETOR:

ORANS ROGANSQVE ENIXE,

UT

EXOPTATA HONORIFICI AVDITORII CORONA

CINGATUR ET ORNETUR

DECLAMATOR.

P.

GEDANI

EX OFFICINA RHETII TYPOGRAPHICA.

LECTORIBUS
SALUTEM!

EXclamaret nonnemo, ad exemplum Alexandri, imperitiam nandi detestantis: O me deterrimum, quòd bellandi artes non didicerim! Sive is fortean respiceret familiares huic tempestati turbas, sive audiret, quæ publicâ Oratione exponet DE TVTIORI ATQVE SOLERTIORI MODO GERENDI BELLA, PRISCIS QVONDAM IGNORATO, Nobilis Juvenis, GERHARDVS BRANDES. Qui qvum suâpte sponte alacriter pergat in carceribus ludi oratorii, etiam applausu atq; hortatu meo protrusus foras prodibit, ut periculum publicæ recitationis subeat & superet. Nam si absq; hoc sit, nemini compertum erit, quid possit in facultate oratrice, qui videlicet sibi modò, vel paucis aliis, perraro satisfecisse videtur. Verùm præterea exploranda est animi nostri constantia & firmitudo, quâ vultus & ora aliorum, quos vereri possemus, ferre & sustinere nonnunquam oportet. Quorsum quidem privatis prolusionibus, velut ad verum & unicum scopum, collimandum esse omnibus sententiis meritò definitur. Isocratem, at quantum virum! dixisse accepimus, se suos quidem discipulos docere decem minis; verùm qui ipsum doceret extra omnem timiditatem loqui in concione, mercedis loco daturum decem millia. Æquè tantundem, ut arbitror, pollicerentur, qui intelligunt, solâ timiditate inutiles se ad dicendum. Nam metus impedimentum est & vinculum orationis; ut ait Euripides. Age verò, quod multis exemplis comprobatum est, quisquis solùm audere volueris, experieris, crebris atq; frequentibus exercitationibus expediri istum ex animo hostem posse & commasculari frontem. Scilicet magnum est & insigne decus Oratoris (ut Homerus Mantuanus describit.)

Cùm pietate gravem ac meritis, si fortè virum, quem
conspexêre, silent, arrectisq; auribus adstant:
ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Verùm magno & serio nisu eò adspirandum, ut comparari possit. Nec dicendum tantùm promiscuè iis de rebus, quæ dictione atq; stylo haud difficulter exornari possunt, aut de quibus inter pulverulentos scholarum pluteos opiniosissimè disceptatur; sed quæ Senatores exercent, atq; proximè ad ornamenta & commoda publica attingunt. Inter istas censemus hanc de bellandi ratione tutissimâ & optimâ sententiam. Quum enim bella votis ex orbe

propel-

propellere nequeamus, ut nec ex Scholis concertationes; videndum est utrinq; ut quàm commodissimè & examussim, si fieri possit, hæc prælia atq; conflictus undiq; instituantur. Ubi priscis quædam defuisse, â nostris pòst inventa, ut secula ferè proficiunt, disertè docebimus. Neq; enim lubet temerè asseverare, nihil effugisse majores, vel præreptam esse secuturis omnem novorum inventorum gloriam: quod (ut sanè alia modò taceamus) convelli satis potest Typographiæ, bombardarum & nauticorum compendiorum, ac aliis sexcentis in orbe artium manuariarum & liberalium repertis. Ut frustra planè sint, qui veterum tantùm acumen & diligentiam mirantur; nostras verò atq; effætas veluti vires, non sine malevoli animi indiciis, rident & extenuant. Ad eundem scilicet modum, quum sensu fallimur, & ignes fatuos, quia longiùs sunt positi, semper aliquid lucis atq; fulgoris spargere credimus & opinamur. Neq; verebimur referre inter optima hujus seculi ornamenta, urbium & castrorum terrâ aquâq; muniendorum hoc inprimis ævo excultam notitiam, bombardarum item ac muralium tormentorum copiam & usum, & alia quædam, de quibus, quod ipsi fatemur, diversa tamen secùs sentientium exstant suffragia. Nam sunt, qui ignorata hæc mallent, ut pristina essent viritatis ac virium cominus commissarum dignitas, cui locum hodie esse pernegant: & alteram latendi inter munitiones scientiam fœminis ac feris dignam esse proclamant; alteram machinarum fulminalium autore Diabolo productam, ad majores, quas avidè quærit, cædes & strages humanas ciendas. Ita Arioſto & Boccalinus, Itali, quos velut livore in Germanum, inventorem earum, fascinatos non moramur in hoc negotio. Uti nec alios quoscunq;, qui omnem armorum usum & excogitationem cum humanitate constare negant; quia nempe omnino inermem hominem in orbem projectum esse â Numine divino ex sacrâ compertum historiâ. Nam cùm idem noster ac orbis parens (ajunt) universa ferè reliqua animalia, ceu quodam armorum præsidio, muniverit, squammis, testis, spinis, rostris, cornibus, aculeo & ejus generis aliis; hominem tenellâ cute circumtectum formavit absq; istis scutorum atq; telorum copiis, ut sic indicaret, citra suam prorsus voluntatem esse & hominibus indecens, si odiis atq; iris ac offensionibus inter se depugnare velint. Hæc illa verò est blanda quorundam opinio, quos cùm inter hos armorum strepitus audire non possimus, si ex aviis in viam revocaverimus; operæ precium nos fecisse existimabimus. Itaq; ut paulò intentiùs tantummodo hominem intueri velint, jubemus; sic enim inventuri sunt, ei primò quidem illico non connata esse arma nec vestes, quippe quibus nec opus habuisset, si inter delicias Paradisi consenuisset; sed hinc expulso tamen tegumenta â DEO concessa & ingenium relictum,

quo

quo beſtiis ſuperior, ejusdem unius beneficio, multò meliora atq; uſui accommodatiora, non ambiguo fructu excogitare poſſet, in quo cenſu feliciter ab ingenio humano excogitatorum, ſi habemus cum felicitate hujus ſeculi prognata ſiphonum fetalium commoda, & alia, quæ ſupra paucis dicta ſunt, & â Declamatore noſtro uberiùs & luculentiùs, ad invidiam usq; comparatione ſimul inſtitutâ, elogiis exornabuntur, non certè errabimus. Quanquam nec accuſare naturam, ob negata penitus arma nativa, eſt neceſſe; quandoquidem non ignoratur, longè ante omnem inſtrumentorum militarium uſum veteres & pugnis (unde pugna dicta eſt) & morſu & calcibus pugnare ſolitos, quod Lucretius indicavit, ſic canens:

Arma antiqua manus, ungues, dentesq; fuêre

Mitto cætera, quæ utiq; naturæ, non autem Satanæ inſtinctu, nos accepiſſe, citra laborem veroſimile reddi poteſt. Sed in anguſtæ chartæ ſpatiis id promi non poteſt, vel debet, quod â Declamatore, quem de iſtis diſſerentem die XIV. hujus menſis Junii, horâ IXâ. in Auditorio majore ſiſtam, prolixiùs pertractabitur. Eum verò jam multis commendare Vobis, LECTORES, non eſt in animo mihi; ſed ſuffecerit materiæ dignitate illectos ad eundem audiendi gratiâ invitare. Nolo enim moris eſſe mei, vel falſâ, vel nimiâ laude juvenes titillare; ſed malo, ut quisquis, cùm periculum fecerit, vel adoream ab auditorum coronâ eruditâ auferat; vel ipſe ſecum diſcors ſentiat pœnitudinis aculeos, ob rem non ſatis ex voto confectam, irritato ad emendationem, quod fieri aſſolet apud bonas mentes, animo. Vulgandum tamen eſt, BRANDESIVM ſæpius laudabiliter intra privatos parietes dixiſſe, ut ſpem facere poſſim Auditorio, quod idem publicè cum applauſu ſuo & auditorum ſperatâ voluptate ſit indubiè effecturus. Cujus gratiâ, quanquam & Veſtri honoris atq; delectationis cauſſâ, poſtquam hæc profudi, Vos tandem Lectores omnes, cum debitâ eâq; reverenti præfatione, rogo & oro, qui literas calletis & earum in juvenibus acceſſiones amatis, paria facere, & honori noſtro, die ac loco dicto, comparere velitis. Valete. Scripſi in Muſeo meo, pridie ſolennium Pentecoſtal. Anno 1631.

DANTISCI.

O CIVES, CIVES,
QVÆRENDA PECVNIA PRIMVM,
VIRTUS POST NUMMOS!
SICVT EX POPVLI INGENIO SVI CECINIT POETA:
NOS VERO ETIAM PAULO MAJORA CANEMUS;
ORATIONIBUS DUABUS EXPLICATURI,
TAM PECVNIÆ MIRAM INDIGENTIAM,
QVAM ALIQVOT EJUSDEM PENURIÆ CAUSSAS;
ORE SCILICET
NOBILISSIMORVM DVORVM JVVENVM,

GERHARDI BARTSCH,

ET

DETHARDI BRANDES:

QVI,
DE VTROQVE ARGVMENTO,
EX SUGGESTU ORATORIO,
GYMNASII NOSTRI,
DIE XXVII SEPTEMBR. ANNI M DC XXXI. DECVRRENTIS,
HORA IXa ANTEMERIDIANA,
VERBA FACTURI
VT CVPIDISSIME AVDIANTVR;
ORO STVDIOSISSIME,

JOHANNES MOCHINGERUS,

ÆDIS CATHARINÆÆ CONCIONATOR,
GYMNASIIQVE RHETOR.

P.
GEDANI
TYPIS RHETIANIS.

S.
LECTORES,

DEgimus ætatem in hoc querulo ſeculo, quod ferè fertile eſt querelarum, de virtutum & morum, æquè ac nummorum bonorum raritate: ubi & hi & iſti, qui antiquitatis laudem obtinere poſſunt, ac vulgò pro optimis cenſentur, haud crebrò atq; vix comparent. Verùm de malis ex adverſo licet dicere ex Comico:

Quaſi herba irrigua ſuccreverunt uberrimè,
eorum jam licet meſſem metere maximam.

Quod divinus vates è gente Hebræâ, eodem planè ſenſu, ſed verbis diverſis, ad hunc modum effert, cùm adulteratam faciem patriæ exprobrat: *merum tuum inſpurcatum eſt aquâ, & argentum tuum abiit in ſcorias.* Eho obſecrò, nonne idem jure occentamus ſeculo noſtro? Niſi fortè & illud adhæc: (quia hæc quoq; incomparabilis noſtra eſt infelicitas,) & ſcoriarum iſtarum penuriam nos experiri. Neq; ampliùs obſcuri & capite cenſi nefas dictu habent indigentiam ſuam fateri; cùm & æris egeant Cappadocum Reges, ut ad illud Poëtę Venuſini alludam; & eandem egeſtatem Optimates atq; Rerumpublicarum Proceres ubiq; profiteantur & ultrò prodant. Quæ quiritatio, num pro verâ, an pro fictâ habenda ſit, non ſumo mihi decernere; ſed humaniùs eſſe reor credere. Nam in ſummis Reipublicæ arcanis ponitur celanda ærarii publici fortuna. Quaſi prorſus ſit eadem adytorum in ſacris inacceſſorum ratio, & gazophylaciorum quorumcunq; in Rebuspublicis; ut tam ad hæc, quàm ad illa vix uni aut alteri aditus patere debeat. Ac velut Romani nomina Deorum

orum Tutelarium occultabant, ne evocarentur: ita nummi hodiè conduntur, aut negantur, ne eliciantur. Plebis verò querela verior est, quàm tolerabilior. Itaq; lubet omnibus vestigiis indagare caussas hujus defectus, atq; si licet, magno conatu (utinam & felici!) remedia suppeditare. Quippe cùm animus esset, binos publicè sistere è palæstrâ nostrâ declamatores, qui vires suas periclitarentur; iis imposui has partes, ut de hoc instituto quicquam dicerent. Illi â me aliquantum adjuti, cùm alacriter aggressi sunt Orationes formandas, tùm feliciter confecére. Præeunte inprimis *Johanne Olorino*, qui rationes istius difficultatis nummariæ, quas solerter adinvenit, libello singulari vernaculâ linguâ conscripto evulgavit. Quamvis nec opus fuisset ejus face, in re tam planâ atq; multorum ore calcatâ. Quis enim nescit, in omnibus plerumq; comitiis querimoniam primo loco exponi, de immortalibus tributis, de incessabilibus exactionibus, de dispendiis in militem intolerabilibus, deniq; de arcis publicis & privatis mirè ad fundum usq; exinanitis. In quotidiano porrò congressu oppidò plures invenies sanos, quàm non obæratos. Nec insolens est audire alios respõdentes, ubi sciscitatus fueris, quod quondam *Glareanum* virum doctissimum, at parùm opulentum dixisse accepimus: qui rogatus ab amico, quomodo viveret ac valeret? *Ego*, inquit, *Principum ac magnatum vitam vivo.* Altero quærente, qualisnam ea esset? *Edo*, ait, *bibo, & genio indulgeo: interim in omnium ære sum ac maneo.* Verùm mittamus ista perquàm trita, atq; quod sapientes decet, inquiramus in tam universalis angustiæ pecuniariæ originem, quam ego quidem sitam esse puto (quod pace bonorum tamen dixero,) in Magistratus metu amittendi divitias, in militum promiscuâ rapiendi malitiâ, in mercatorum usurâ & versurâ, in mechanicorũ pigritiâ, in monetariorum artibus, inliteratorum

torum macris ſtipendiis, deniq; in communi quorumvis in luxum profuſione; quicquid alij dixerint, ſic ego cenſeo, ſive rem acu tetigero, ſive ſecùs, penes intelligentes rerum judicium eſto. Hinc undiq; egetur acriter. Declamatorũ tamen unus etiam alias exponet rationes; & alter totidem opponet penuriæ remedia & allevamenta, Ad audiendum hos, in Urbe noſtrâ Viros quoscunq; literis eruditos, qui præſentię honore, & promtitudine ſuum ſæpius in nos teſtati ſunt affectum, ut denuò compareant, rogo & convoco. Neq; quenquam pigeat toties Gymnaſii limen terere, atq; eò itare & reditare; itur, ſtatur ferè in vitæ hujus curſu; &, ſi accidat, quod docentes cavebimus, ut parcamus Vobis impoſterum, indiligentiâ palæſtritarum noſtrorum irrepente, indulgebitis vicissim otioſis nobis, teſtati, quondam magè gnavos fuiſſe Declamatores noſtros. Namq; & ad reliquos conventus concionum ſacrarum, vel aliarum ſolemnitatum, ſæpè convocari vel auditores vel ſpectatores, nil eſt mirum, quia ſuetum; & pietatis vel humanitatis intereſſe receptum eſt, tum coràm adeſſe. Iſtam facilitatem Veſtram obſecro, ut adſueſcatis noſtris in Scholâ ſolemnitatibus honore Veſtræ præſentiæ ornandis. *Nunc duæ quidem Orationes habebuntur, die XXVII. Septembr: horâ præciſè nonâ, at breves: unaâ GERHARDO BARTSCH, alteraâ DETHARDO BRANDES,* Nobiliſſ. juvenibus, propinquitate & ſtudiorum commilitio junctis, ac pari, eâq; inſigniori laude condecorandis. Valete Omnes, & nobis benè precamini. Scripſi die XX. Sept: Anno Chriſti M. DC. XXXI.

DANTISCI.

(o)

QVORVM COMMODO FIERI POTEST,
AVDIATVR
DE LIBELLIS FAMOSIS,
SIVE PASQVILLIS,
ET
DE EORVM AVTORIBVS,
SIVE PASQVILLIFICIBVS,
IN
AVDITORIO GYMNASII SOLENNI,
IMMINENTE FEBRVARII XXIII. LVCE,
AD HORAM ANTEMERIDIANAM DECIMAM,
GENTE MENTEQVE ORNATISSIMVS,

ADOLPHUS FRIDERICUS SCHLETZERUS,

VERBA FACTVRVS:
QVOD,
AB OMNIBVS,
QVOTQVOT GEDANVM NOSTRVM HABET,
LITERARVM PATRONIS ET AMICIS,
NON SINE
STVDIORVM ATQVE OFFICIORVM
DEBITA POLLICITATIONE,
PETO ROGOQVE

JOHANNES MOCHINGERVS,

ECCLESIASTA CATHARINÆVS,
GYMNASIIQUE PROFESSOR.
SICVT QVIDEM
DECLAMATIONIS ARGVMENTVM
ODIO EST DIGNVM:
ITA
DECLAMATOR,
(NIFALLOR)
DIGNVS FAVORE.

GEDANI
ANNO M. DC. XXXII.
EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.

CONVOCATIO AUDITORUM.

LECTORIBVS S. P. & STVDIA NOSTRA.

NIciam, pictorem, ſtatuiſſe ferunt, ſolicitè quærendum eſſe argumentum pingi dignum, ut ſpectantium oculi teneantur. Id quod de materiæ in ſolemni cœtu, qualis eſt, cùm ad audiendam Orationem in ludo noſtro vocati comparent, dictione exornandæ delectu nos haud obſcurè commonefacere videtur. Adeſſe enim ſolent Viri graves, qui tædia ſeriarum occupationum jucundâ Oratione tolli avent. Pubis moderatores ita rem adminiſtrari optant, ut cum laude Scholæ id fiat, & cum caveæ applauſu: reliqui è juvenibus & venaturam oculis & aucupium auribus faciunt, &, quod agetur diceturve, arrectâ mente exſpectant. Omnibus faciendum eſt ſatis, quoad fieri poteſt. Itaq; occupatis nobis in iſtâ cogitatione, ut concionem Virorum Doctorum ex Vrbe noſtrâ in Gymnaſio convocaremus, quò honorem præſentiæ compenſare poſſemus, illud occurrit, quo de die XXIII. hujus menſis audituri ſumus ADOLPHUM FRIDERICUM SCHLEZERUM, MEGAPOLITANUM. Qui cùm mihi domeſticâ conſuetudine ſat notus eſſet, & multis periculis ejus vires exploratas haberem, viſus eſt idoneus, cui dicendi partes imponerem: utpote quem etiam ſecuturo tempore, ut prævideo, haud gregarium futurum arbitror, ſed egregium. Materiam ipſe ſelegi ac præſcripſi, ut nempe actionem inſtituat *in libellos famoſos & autores eorum, ſeu*, ut vulgarius breviusq; dicam, *in Paſquillos & Paſquillifices*. Quippe attinet profectò ob oculos ponere juventuti literis conſecratæ turpitudinem atq; fœditatem horum libellorum, eò, quòd non raro proficiſcantur ab iis, qui cum literis atq; ingenio uti docti ſunt, iiſdem in evulgandis ejuſcemodi maledicis chartis, cùm ætate ſtudiiſq; progreſſi & irritati ſunt, abutuntur. Quid enim literarum humaniorum & liberalium cultoribus cum ſarcinatoris acu, eoq; ipſo aculeato ſarcinatore commercii? Nam Paſquillum centones conſuiſſe & nonniſi dicacitate apud Romanos non ante multa ſecula nomen ſibi comparaſſe, multorûm ore ſcriptisq; commemoratur. A quo infamis maledicentiæ ſcripta quæcunq; impoſterum Paſquilli dici cœperunt. Tam ſordidi quadruplatoris mores & petulantiam imitari homine ingenuo indignum eſt. Si vitia odimus, iis bellum indicamus,

camus, missos homines faciamus: qui, si quid humani patiuntur, emendandi monendiq; sunt, non contemtui irrisioniq; propinandi. Quò tamen unicè Pasquillorum autores collimare videntur. Qui, si putant convitiando aut exaggerando posse vitia humanis animis eximi, in eo errore hærent, quo qui lutum luto purgari posse crederent. Nos iis, non ut veteres inimicis imprecabantur, ut calidam picem bibant; sed saniorem mentem precamur. Nec monitorum est caninos dentes, sed linguam salutarem adhibere. At si cuiquam reus quis videatur, à quo pestis immineat Reipublicæ, aperto Marte accusator depugnet, crimen definiat, hominem notet, argumento probet, teste confirmet, judicem deniq; exspectet. Sin secus faxit, sciat sibi esse dictum ab *Arpinate*, in defensione *Cœlij*: Aliud est maledicere, aliud accusare. Entheos vates, si quis in fermento *fuisse velit* contendere, quòd acerbiùs in Proceres *populumq*; Solymitanum dixerint, scripserintve, excusatione *tueri possumus*, quia id videlicet instinctu *numinis*, *impulsuq*; *Spiritus* divini, aggressi sint. Inter quos *primus princepsq*; *Esaias* est; cujus verba satis acria, at ex vero sunt, *in initio sermonum suorum fatidicorum*. Hodiè, si quis sic temerè bacchari velit, lymphaticus videbitur, autex amne Gallo ebrius, deportandus in solas terras, ut Herculis Eleusiniaq; sacra peragat, ubi jus erat, convitiis in alios ludere. Aut, si quis ausus fuerit, caveat sibi, ut veteri dicto utar, à Thorace, ubi *Daphidas* cruci suffixus est, quòd maledico carmine Reges incesserat. Cæterùm, si quis adhæc cupidus sciendi sit, an & Satyrici, mordax *Poëtarum genus*, cum *Pasquillificibus*, atro injuriæ calculo notandi? vix ex me sententiam audiat. *Ad aliud tribunal istam litem amando*. Non ego Prætor decidam. Genus irritabile vatum est. In his sunt, qui fœnum in cornu habent. Itaq; *Archilochus* maledico minabatur, Cicadam alâ corripuisti: virulentum Iambum meditans, quali Lycamben, cum filiâ nuptias ejus adspernante, ad laqueum compulerat. Patrocinium eorum suscepit nonnemo; quòd non vellicandi, sed ad frugem corrigendi consilio *flagitiosos* pungant. Vnde quia animo injuriandi id non faciunt, ab *injuriarum* pœnâ *eos leges ipsas absolvere*. Huic, si res ita se habet, *quod opponamus*, nihil habemus. Virulentos tamen scurrilesq; Poëtastros, *qui facta* minùs notoria proclamant & exaggerant, & vitia notant virtute relictâ, canibus accensemus. Inter quos refert Aretinum, qui in eum lusit, ut iisdem armis jugularet, quibus pugnavit:

Hic jacet ille canis, qui pessimus ivit in omnes
Exceepto, quem non noverat esse, Deo.

Verùm non lubet telam dissertationis protendere, Vosq;, Le-

ctores mei, morari. Ad audientiam ipſius declamatoris & declamationis ab eo habendæ. Viros quoſcunque, qui dicendi proluſiones in juvenibus amant (amare autem & æſtimare quamplurimos pridem perſpectum habemus) rogo atq; humaniter invito. Veſtrum in nos ſtudium non agnoſcemus tantummodo, ſed & memori mente ad laudem conſervabimus. Declamator ſanè ſibi gratulabitur, atq; inde argumentum laudis ſperat, quòd Dantiſci, intra ludi noſtri parietes, dixerit; hoc eſt, in coronâ undiquaque eruditiſſimorum & humaniſſimorum Virorum ex omnibus Ordinibus: quam ob rem certare poſſumus cum florentiſſimis quibuſcunq; Vrbibus (pace harum dixerim) modò non è ſummis ſint. Valete & honorem Vrbis atq; Scholæ noſtræ pro parte noſtra omnes tueamur. Scripſi XXI. *Februarij* An. M. DC. XXXII.

Dantiſci. Habebitur Declamatio, proximâ die Lunæ, ad horam Decimam.

SENATUS POPULIQVE
GEDANENSIS
PLANCTUS,
SVPER EXCESSV
CLEMENTISSIMI DOMINI NOSTRI,

SIGISMUNDI III.

POLONORUM
ELECTI,
SVEONVM
HÆREDITARII
REGIS,
PRUSSIÆ DUCIS &c.
DESCRIPTVS
ORATIONE,
IN GYMNASII PATRII AUDITORIO MAXIMO,
EX OMNIBVS GEDANI ORDINIBVS,
VIRIS PRÆCIPVIS PRÆSENTIBVS,
ANNO MDC XXXII, DIE MAII XXV.
HABITA
A

JOHANNE MOCHINGERO,

GEDANENSI.
EDITA
TYPIS RHETIANIS.

IMMORTALI HONORI

SIGISMUNDI III.

SACRVM.

APVD

AMPLISSIMUM SENATUM

VRBIS PATRIÆ

DEPOSITVM

AB

AUTORE.

AM-

AMPLISSIMI
PRÆCONSULES ET CONSULES,

ANtiſtes Mediolanenſis, Ambroſius, exemplo mihi præluxit: qui oratione funebri obitum Valentiniani Imperatoris eſt proſecutus. Cuius veſtigia ſequi pium videbatur, cùm illætabile nuncium de exceſſu SIGISMUNDI III. Regis ac Domini noſtri, Vrbem hanc luctu implevit. Debemus chariſſimorum quorumcunq; funeribus lacrymas, amoris doloriſq; indices: at Regi noſtro ſtipendiaria ſit hæc Oratio mea. Vobis autem eam exhibeo, quibus ratio Regiarum penſionum in Regiâ Gedano colligendarum eſt concredita: ut, ſi ita videatur, reliquæ opum vi adjiciatur, velut teruncius aliquis, ſuper tam lamentabili caſu, & in hac orbitate noſtrâ, à cive, non pecunioſo quidem, ſed grato exſolutus, ſic ad publicum ſolatium perorante. Vt ſanè nummis bene ſculptis poſteritati ſolet commendari rerum cum lætitiâ publicâ conjunctarum memoria: ita pagellæ hæ quomodocunq; tornatæ circumferant, ſi placet, Veſtram meamq; mœſtitudinem, ſuper tam triſti luctificoq; & Optimi & in nos benevolentiſſimi Regis obitu, ad ſempiternam poſterorum recordationem. Cœterùm, nec Vos ſine laude aut voto dimittere hîc æquum eſt, quibus Rex Regum Optimus Maximus benedicat, quòd Dominum Veſtrum recordationibus proſperis proſequimini, &, quàm ægrè eo careatis, cultu, ſermoneq; exprimitis. Optimè ſibi de fidelitate Veſtrâ polliceri poteſt, quiſquis occupabit locum SIGISMUNDI. Cuius honorem commodis ac fortunâ Veſtrâ atq; civium chariſſimorum Vos habuiſſe potiorem, publicè conſtat. Valete & feliciter rem agite: ut Deo charos, Regi fidos, Patriæ utiles omnis Vos celebret memoria. V. Dabam Kalendis Iuniis.

Vis Abus

fide, obſervantiâ votiſq;
devinctiſs.

IOH. MOCHINGERVS.

AVDIOTRVM CONVOCATIO.
AD
VNIVERSOS ET SINGVLOS
IN NOSTRA GEDANI URBE:
QVIBVS
MEMORIA
SIGISMUNDI. III.
VENERABILIS ET JUCUNDA.
LECTORES MEI,

SIRe in annos debet, quanto in luctu Vrbs noſtra fuerit, poſteaquam amiſimus SIGISMUNDUM III. canitie, prudentiâ, clementiâq; venerabilem Regem noſtrum: qui ipſis XLV. annis, quot CASIMIRUS IAGELLONIDES, Regno Polonico, Vrbiq; noſtræ, quaſi Deus Tutelaris quidam, præfuit. Quapropter, ſi quidem id eam in rem utile eſſe poteſt, ego ejus negotij interpresero, atq; dicendo, quoad fieri à me poteſt, exponam mœrorem noſtrum, ut iſthac ratione poſteris ejusdem memoria prodatur. Non ſum utiq; neſcius, multa à me hic exſpectatum iri, verſaturo in amplisſimo argumento: neq; ita mihi placeo, ut non perſpiciam, quid quantumq; ſit, quod præſtare poſſim. Verùm triſtitia, quæ in perturbatisſimâ hac ſolitudine noſtrâ animum invaſit, excuſabit me facilè, ſicut confido, ſi quid ornatisſimo conſeſſu & lectisſimorum hominum frequentiâ minùs dignum attulero. Nec verba pendenda in luctu: ſed affectum eſſe ſpectandum ſcimus. Neq; deerit veniæ argumentum, ſi fortean exſpectationi non reſpondero, à brevitate ſcilicet temporis: qvum literis proditum ſit, Iſocratem pectendo calamiſtrandoq, Panegyrico impendiſſe decennium. Deniq;, ſi quantumcunq; etiam ad dicendum ſe parandi tempus concederetur, nō mei ſimilis tantùm, ſed diſertus quisq; ſuam ſentiret infantiam, in tam eximiis cùm tanti, tum adeo grandæ vi Regis virtutibus & meritis deprædicandis. Ideoq; ſecurum me eſſe quorumvis æquitas jubet, fore, ne piæ voluntatis officium temerè improbetur. In re tanti momenti & voluiſſe ſat erit. Sin digna auribus, præter ſpem meam, fuerit viſa oratio, probabitur; ſin ſecùs, veniam merebitur à ſtudio colendi Regem tot annis optimè de nobis meritum. Vrbis hujus Regno adjunctæ

junctæ civis & indigena, cùm aliud præstare mea tenuitas non possit, hoc conatu meum in manes Regis pientissimi affectum & cultum testari volo. Exemplo scilicet à pictoribus sumto, qui, quotmodocunq; effingunt, Regem depictum exhibent: vel, ut in Majestatem summam eopse suam observantiam exprimant; vel quòd persuasi sint, charam multis mercem esse, eamq; juxtim vendibilem. Quamvis me neutiquam fugiat, Alexandrum noluisse se pingi, nisi ab Apelle, aut fingi nisi à Lysippo, præstantissimis artis suæ Roscius; quibus ut artis gloriam non invideo, ita in Magistratum laudem pietatis nullus concedo. Adeste tamen atq; comparete, qui literas didicistis, aut rogatu meo impulsi, aut, ut per mage charum nomen Vos ego obtester, quibus sacra Serenissimi SIGISMUNDI memoria. Qui quondam magno numero densâq; catervá vicos oppleviſtis, Eum videndi caussâ, quum Urbem nostram honore præsentiæ suæ illustravit:

Quum studio effusæ matres, & vulgus inermum,
invalidiq; senes, turres, & tecta domorum
Obsedere.

Dicturus sum, bono cum Deo, in Gymnasii nostri auditorio majori, die Maji XXV. horâ ipsâ decimâ, de caussis, quæ nos pepulerunt ad luctum istum, in quo versamur, super excesu Regis nostri SIGISMUNDI III: Cui de felicioris vitæ luce, quâ nunc fruitur, gratulamur equidem; verùm de nobis dolemus, his in tenebris relictis, usque dum, quod precabimur, aliud affulgeat sidus salutare. Valete. Scripsi die Maji XXII. Anno M DC. XXXII.

ORATIO.

MAGNIFICI DOMINI PRÆCONSVLES ET CONSVLES, DOMINI MEI OBSERVANDI; SPECTABILES DOMINI SCABINI; REVERENDI FRATRES; EXCELLENTISSIMI VIRI, ET AVDITORES RELIQVI, SPECTATISSIMI, FLORENTISSIMI, LITERATVRA ET VIRTVTE VNDIQVAQVE ORNATISSIMI:

QVæ dicturus ſum, æquis animis accipite & aures benevolè advertite. Quod etſi hoc in argumento, in quo verſabitur Oratio mea, rogare vix eſt neceſſe: tamen, ut ſolemne teneam, etiam atq; etiam Vos oro. SIGISMVNDVS, REX PATERQVE NOSTER CLEMENTISSIMVS, nobis hæc fecit lugubria. Cujus memoria per tot annorum ſeriem nobis ſemper ſvaviſſima fuit: nunc autem è vivis ſublati eſt ſemel perquam triſtis, & ſummo cum mœrore conjuncta. Hinc factum, quòd hi parietes atq; ſubſellia iſthæc, quæ ferè ſolent periſtromatibus & aulæis ornari, ut coronam ſpecie & ſplendore exhilarent; pullo & lugubri panno, mœſtitudinis indice, jam velata ſint & obnupta, ut tam nobiſcum lugere videantur, quàm ad dolorem adaugendum, ſi ſummo mœrori, qui cor invaſit, quicquam accedere poteſt, nos impellant. Patrum & Procerum ſummus Ordo, qui ſplendore amictûs ſolet ſuam dignitatem oſtentare, injecit humeris togas talares atq; atratas: ut, quantam conceperit animo triſtitiam, præcipuè vultu, geſtu, cultuq; prodat. Religioſi Eccleſiarum Antiſtites quàm acerbè hoc ferant fatum, ſatis ſuperq; ſunt publicè teſtati, & ipſum fletum planctumq; Orationibus ſuis flexanimis publicè concitavere. Vulgo in exemplum, fœminæ nobiliores,

res, mundi & ornatûs ſtudioſisſimæ, non veſtium tantùm, ſed & oris purpuram averſantur. Campanarum murmura & lesſi ſingulis diebus inſonant & clangunt, planguntq; esſe amisſum decus præſidiumq; noſtrum. Deniq; & hoc Lyceum, pars Urbis noſtræ non ultima, quid hoc de communi Patriæ luctu ſentiat, me interprete, palam fiet omnibus.

Cæterùm parva tamen iſta ſunt atq; exigua, quæ SIGISMVNDO Noſtro deſideratisſimo, pro ſummis in nos beneficiis, rependimus. Sive recolamus memoriâ, quæ alii in Regum Ducumq; ſuorum funeribus celebrandis religioſè obſervavere: ſive, quæ à nobis jure ſuo exigere poſſunt, niſi ingrati velimus mori, quàm plurima ac, per tot annorum curſus, continua Ejus in nos merita. Apud omnes enim gentes, vel linguarum diverſitate disjunctas, vel montium atq; fluviorum ſeptis diſeparatas, vel rituum atq; legum varietate disjunctisſimas, fuit tralatitium; eorum, qui magiſtratum geſſerunt, pompâ & apparatu exquiſito exornare exſequias. Quaſi hæc non ſcripta, ſed nobiſcum nata lex ſit, Regem honorandum eſſe, tam vivum, quàm exanimum. Ut de vetuſtiſſimis atq; certisſimis primo dicamus loco, è ſacris monumentis conſtat, præclarum fuisſe ſtudium gentis Hebraicæ in Moſen, qui populum ex Ægypto eductum in libertatem aſeruit. Eum enim vitâ defunctum, & in monte Nebone divinâ manu ſepultum, univerſa multitudo tricenos dies luxit, diutiùs etiam luctura, (ut credere fas eſt) niſi mos gentis obſtitisſet. Totidem quoq; dies deplorarunt Aaronem, cùm vitâ dignitateq; Summi Pontificis, quæ primò in eum eſt unquam collata, esſet exſutus. Quisquis ſanè adfuisſet in utroq; funere ſpectator vel auditor, admiratus esſet ejulatum que-

ſtumq́; genti familiarem. Quo ipſo viſo auditoq́; Cananæi in illis Jacobo perſolutis juſtis obſtupuere. Quid? quòd Saùlis quoq́;, primi gentis ſuæ Regis, nec usquequaq́; boni, imò multis partibus mali, (utpote qui etiam in Philiſteo bello, præſcius interitus ſui acceleratorq́;, occubuit) quod in Urbis Bethſanæ mœnibus, ad gentis ludibrium, in furcam ab hoſtibus ſublatum erat corpus, Jabiſſani cives, periculo ſe fortiter exponentes, ludibrio ſurripuere, ac cadaver funerarunt, publico luctu, jejunio ſeptem dierum omni ætati atq́; ſexui indicto. Ut minùs mirandum ſit, Joſiæ, undecunq́; optimi ac penè innocentis Regis, exitum populo huic tam luctuoſum fuiſſe: Ipſe enim divinus vates, ætate ſuppar, neniam ſuper eo compoſuit; quicum certarunt lugendi & lamentandi ſtudio Muſici Muſicæq́; omnes. Longè autem pòſt, ſeràq́; omni ætate, tam jucundum hujus Joſiæ, nomen fuiſſe celebris in gente iſtà ſcriptor, Sirachides, memorat, ut ſuffitus unguenti eſt gratiſſimus naribus, aut mel in ore, vel melos in aure. Si porrò ad profanas literas digredi lubet, multò plura reperiemus, è quibus quidem ſat manifeſtè nationum impiam pietatem præ ſe ferent, at intolerabilem tamen ſubditorum mœrorem, ob Regum ſuorum occaſus, indicabunt. Ægyptii ſanè, ut Diodorus refert, Regis ſui mortem communi mœſtitiâ ſunt proſecuti, veſtes lacerarunt, nec templa nec forū frequentantes, feſta ſolemnia non egèrunt dies LXXII. iidemq́; luto capita deturpantes ac ſindone ſubtus mammas cincti unà viri mulieresq́; circumambulaverunt, bis in die novantes luctum, atq́; ad numerum cum cantu Virtutes Regis numerantes: cibis animantium, coctisq́; ac vino & omni menſæ apparatu abſtinuere: LXXII dies itidem, non unguentis, non

ſtratis

ſtratis lectis, nec Venere ſunt uſi: ſed, tanquam defuncto filio, per eos dies, mœſti planxere. Apud Græcos verò, quod magè mireris, uſurpatum fuit, imperatore aut Duce fatis perfuncto, cùm ſolemni pompâ funus efferebatur, ut propugnacula è mœnibus diruerentur, templa & aræ ſubverterentur, Lares abjicerentur (vah pietatem paganam!) partus exponerentur, cibis abſtinerent, ignis quoq; in aris focisq; exſtingueretur. Hos ſecuti ſunt Romani, à Græcis non pauca mutuantes, à quibus, ut diſcere eſt ex Tranquillo, illo ipſo die, quo Germanicus, Druſi filius, diem obiit, lapidata ſunt templa, ſubverſæ Deûm aræ, penates à quibusdam juſſi ire in publicum, partus deniq; conjugum expoſiti, ac penè inſano & furioſo mœrori ſupra quàm dici poteſt, indultum. Vt verò infinitum eſſet, plures ſolemnium varietates, aliis etiam populis, iisq; recentioribus, eodem nomine frequentatas, exponere dicendo: ita abſonum foret, Polonorum in demortuos Reges obſervãtiam hoc loco nec commemorare, nec laudare. Illi, quum Boleslaus I. qui Ruſſos inprimis ſibi obnoxios reddidit, à quibus Chrobri, hoc eſt, acris, ob animi magnitudinem, cognomen eſt indeptus, mortalitatis legem expleviſſet, optimo orbati principe, annum ſolidum in tanto luctu fuerunt, ut neq; convivia ulla celebrarentur, neq; choreę usquam agerentur, neq; veſtibus cultioribus quisquam nobilium virorum aut fœminarum uteretur. Imitantes in eo pietatem Romanorum, qui Conſtantino M. mortuo, foris ac ludis abſtinuerunt, & omnino omnia, quæ proſperis lætisq; temporibus uſupari ſolita erant, intermiſere. Sicut & jam ex eádem gente matronarum, quæ, aliâ tempeſtate, Brutum & Valerium Poplicolam luxere, auro & purpurâ omni carentes. Nec ullâ ratione hic præterire pos-

ſumus deſcriptionem exſequiarum SIGISMVNDI Auguſti, tanto certè Rege ac Regno prorſus dignarum, hoc eſt, non luctuoſarum minùs, quàm apparatiſſimarum. Quicquid mortale fuit Regis, Varſaviâ devehebatur Cracoviam, quę Regnum exambientibus Coronam; Regno vitâq; defunctis ſepulturam præſtat. Reipublicę Proceres ex Utroq́, ordine confluxerant ad funus, omnes lugubribus induti. Similiter aderant fœminę illuſtres, velamentis pullis atq; craſſioris fili ciliciis capita obvolutę, ad dolorem teſtandum. Æra circumquaq́; perſtrepebant, quibus Vrbs & vicinia latè perſonabat, ut clamor cœlo iret. Tum funus plumbeo loculo incluſum & ſerico velamine nigro obductum, inſignibus Regni ornatum, ab octo equis mirę nigredinis efferebatur; aulicis circumquaq́; ſerici villoſi tegumenta longè per terram errantia tenentibus. Pòſt longum ſyrma Procerum ac catervę ſequebatur. Omnibus unus habitus. Etiam equi precioſi inſtrati erant & Regis inſignibus armati, vexilliferiq́; equis inſidentes. Funeri propè anteibat Bernhardus Macejovius, totus cataphractus, gladium auratum, cuſpide ad latus converſo, geſtans; quem armiger atratus haſtâ inversâ ſequebatur, vexillum ac ſcutum præferēs. Reliqui è Senatoribus, pomū, ſceptrum, coronam, ſummarum dignitatū Symbola, portabant. Cantores, qui decantabant threnos, ſubſequebantur Legatorum, Nobilitatis, & Senatus Vrbici ordinem longum. Dehinc verò etiam multò plus quàm quatuor millia, cum funalibus accenſis. Cùm in ædem cathedralem, quam undiq́; cerei illuſtrabant, eſſet vētum, feretro Regalia imponebantur: & Regis virtutes exponebantur ſermone funebri. Deinde ſacro inſtituto, eques cataphractus, caſſidem habens, plumarum loco

cereis

cereis ardentibus radiantem, equo dilabitur, confractâq; hastâ gladium abjicit, &, solemni cantione inchoatâ, Cancellarius & Procancellarius, Sigilla Regis mortui confringebant. Cæteri sceptra altari imposuere. Quibus factis ire licuit, missaq; est concio. Eâdem igitur celebritate in Mausolea majorum, cum Artemisiæ suæ cineribus, inferentur exsuvię SIGISMVNDI: qvi nunc relictam in orbitate universam Poloniam penè indicibili luctu implevit. Posteaqvam scilicet, more prisco (quod genti Polonicę, salutiq; nostrę felix fortunatumq; sit!) suffragiis Procerum Rex fuerit suffectus alius. Sic enim in hoc Regno comparatum est, ut, securitate publicâ salvâ permanente, Regii manes tutò vix condi possint, nisi novi Regis autoritas qvidvis licenter ausuros sub metu teneat.

Quibus exemplis, AVDITORES, accedet nostrum: quum in præsentiâ lugemus obitum SIGISMVNDI nostri, ut justa Ei, licet absenti, persolvamus. Qui ut imperio DOMINVS, ita affectu PATER fuit. Quod cùm ante sæpe cognovimus, præsertim in turbis nuperis recentia accepimus, eaq; luculentissima ejus rei documenta. Quàm ille absens crebrò ad Senatum nostrum (quod præsens æquè fecerat) in clementissimis suis atq; auro contrà servandis, non tam ad fidem, constantiam & pristinarum virtutum laudem Orbi satis notam, nos hortabatur; quòd istud fieri haud necesse arbitraretur, nihil de eâ re dubitans, quemadmodum iterum iterumq; in literis compluribus disertè indicavit: sed ubertim curã atq; Regiam solicitudinem suam de Urbe optimè de se meritâ, incolumitateq; nostrâ inviolatâ servandâ, exposuit, explicavit. Eam ob caussam ipse à militari strepitu alienissimus, & senilem anhelans requiem, spretis difficulta-

cultatibus & moleſtiis omnibus (verba Regia uſurpo) cum valido exercitu, ad defenſionem præſidiumq; noſtrum ſe Urbi admovit. Paratus videlicet canos ſuos periculis objectare, ut á nobis impetum imminentium malorum quacunq; ratione propulsaret. Cæterùm, quæ promisſa in ſacratisſimis Ejusdē epiſtolis, circa hāc tempeſtatem ſcriptis, legantur, illi norunt, qui eas norunt, & ad quos iſtæ ſpectant. Inter quæ etiam hæc ſunt, quæ ex datis die XXV Julij, Ao MDC XXVI, & ipſius Regis manu, recitare honorificum videtur & rei confirmandæ maximè idoneum: *Nos non tantùm Fidelitates Veſtras uſitatis Clementiæ noſtræ favoribus proſequemur: verùm etiam amplioribus immunitatum & privilegiorum gratiis augebimus.* Quæ ſanè velut liberaliter Rex Clementisſimus tam his, quàm aliis literis eſt pollicitus: Ita ſuo loco & tempore implevit. Hic itaq; meritisſimò atquè admodum opportunè commemorabo gratiam Urbi noſtræ conceſſam & Regni Procerū cōmunitam ſufragiis, de autoritate panni transmarini ſigillo Urbis noſtræ communiendi: ne ſcilicet ullus impoſterum ejus generis pannus in Poloniam liberè transportetur, ubi & frequens & prodigus ejus uſus eſt, niſi qui ſit fide noſtrâ approbatus & commendatus. Quæ & quanta tam Regni, quàm Regis in nos ſit gratia, ac commemorabile benevolentiæ inuſitatæ genus, cenſeant, qui velint, modò nobis non usquequaq; malè velint. Quantumcunq; etiam fuit placitum, ut exſpiraret hoc beneficium, Rex tamen in eâ ſententiâ perſtitit, non invidendam nobis eam gratiam: utpote quibus & deberetur æs quingentorum millium, & alia rerum honeſtisſimè geſtarum præmia; ſed ut eâdem à Se & Regno, velut bene meritis, liberaliter conceſsā, utamur, fruamur, gaudeamus. Quaſi nempe eopse

æter-

æternam sui memoriam nobis commendare voluerit. Non secùs ut item optimis recordationibus prosequi necesse habemus benevolentissimum in nos Regem, ut cæteras in præsens Ejus dotes, quibus cumulatissimè fuit instructus, silentio veneremur, CASIMIRVM Jagellonidem: à quo prima Privilegia, æternatura gratiæ suæ in nos pignora, cum sempiternâ Casimiriani nominis memoriâ, possidemus; postquam idem nos in fidem clientelamq; suam ac Regni Poloniæ suscepit, nostraq; in idem Regnum studia prolixè laudatum ivit & approbavit. Quæ autem hactenus dicta sunt, rem Civitatis publicam concernunt, quam SIGISMVNDVS Rex velut in sinu suo gestasse & fovisse videtur: quod eo etiam argumento testatum fecit, cùm ferè ab iis, qui ex hac Urbe in conspectum suum venere, sæpius fuit scisitatus: Quid Gedanenses mei? Quam plusquam Regiam ac verè paternam ejus solicitudinem jure meritissimo exosculamur & extollimus. Quid dicam? quantâ ille comitate coluerit Consules nostros. Vidit hanc plebs, cùm Rex intra mœnia hæc nostra fuit. Eandem gratâ memoriâ conservant alii, qui eam sibi Warsaviæ exhibitam norunt, & sibi eapropter valde gratulantur. Canum caput nonneminis, quod nos memoriâ tenemus, ita amplexus est, ut non obscurè indicaret, quàm non ignarus esset fidelitatis & operæ sibi & honori Suo conservando ab eodem navatæ. Alterius caussâ, cùm ad Summatem Germaniæ scripsisset, & optimum Senem laudat, quem propenso suo affectu specialiter dignum judicat, & plurima integritatis, ac summi de se præclarè, majorum exemplo, merendi argumenta in eodem commendat. Longum autem & insuper invidiæ obnoxium foret, quæ me latent, venari, aut, quæ alios quoq; latent, propalare, dum inter

totidem constare unicè debent, quot Rex & illi sunt, qui tantâ floruere gratiâ, ut, quem locum apud SIGISMVN. DVM obtinuerint, quoq́; numero fuerint, probè intellexerint. Nec civibus quidem nostris, quos semper in charisimis habuit, ad Regem aditus fuit difficilis, sed obvius potiùs & expositus. Possem istud, si opus esset, exemplis aliquibus bene commemorabilibus speciatim firmare; sed summa solummodo rerum & Regiarum virtutum fastigia ostendo. Quas inter sanè profectò est non postrema, si Civitates civicosq́; habeant in deliciis. Quanquam nescio, qui multis, (quod bonorum veniâ Numinum dixerim) in eâ potentiâ, quâ unus super omnes eminet, ut plurimùm sit & invidiosa & invisa Urbicorum fortuna. Quibus ut est volupe non tondere tantùm, sed & deglubere pecus Urbicum: ita malunt multos vicanos sanguinis operam præstituros, quàm istos intra aggeres & cryptas cuniculos: qui, quod facilè agnoscimus, opibus suis turgidi, ubera, ut ut idem facilè facere haud oporteret, subtrahunt, dentesq́, suos quandoq́; obvertunt. Alia fuit mens SIGISMVNDO I. qui cùm probè pervidisset, vix quicquam Regno, in tantâ Ejusdem felicitate, deesse, præter Urbium & copiam & splendorem, quiq́; eas incolunt, numerum; impensè favit iis, qui Urbes meditarentur incolatu augere & artes vitæ necessarias excolere. Cujus in Regno successor & providentiâ suppar, SIGISMVNDVS noster, cognominis vestigia premere voluit, & Urbium vel conservandarum, vel magis magisq́; ornandarum caussâ frequentes apud animum suum cogitationes habuit. Utriq́; verò exemplum reliquit CASIMIRVS, Magnus, usq́; adeo in oppidanos & agrestes propensus & indulgens; ut vulgò rusticorum sive plebejorum Rex vocaretur.

Hunc

Hunc, hunc Regem, hunc Parentem, Cives mei, habuimus. Luctus & mœror, qui ferè præpedit disertissimos quoscunq;, flumen verborum nobis suggerit. Tam multiplex enim hîc de tanto tamq; grandævo Rege suppetit dicendi materia, ut prope infanti vix sermo deesse queat. Neq; opus est minutissima quæq; dicendo persequi; sed strictim tantùm pleraq; attingere juvat, & rem in pauca conferre. Audeo ego & intrepidè, &, si quid in me judicii est, bonâ cum veritatis pace, Regem hunc nostrum, cujus lineamenta sumus exorsi depingere, cum primo principeq; populi divini Imperatore in haud paucis comparare. Quem is utiq; ad amussim in quibusdam refert, ut mireris, si advertas & oculos aciemq; intendas. Communis sanè iis ante omnia sors & locus est in nativitate calamitosiori. Ille vitales auras hausit, cùm gens paterna esset captiva ac in carcere quasi detenta, quem furno ferreo ipse idem Moses confert; & quòd omnes meritissimò in stuporem conjicit, inter genistas in profluente, ubi expositus erat, non solùm conservatus est mirificissimè, sed & in spem Regiæ dignitatis postea educatus. Ita eodem exemplo (quod perpaucos ignorare credo) est vitam hanc ingressus Rex noster Gripsholmiæ Anno M D LXVI die XX Junii, horâ pomeridianâ: cùm Johannes, Finlandiæ Dux, SIGISMVNDI *nostri Parens*, cum universâ familiâ & ipsâ Catharinâ conjuge, quæ è stirpe Jagellonicâ fuit prognata, & tam Regis filia, quàm soror Regis, materq; Nostri, in carcerem quadriennalem, (intra quod tempus, tertio custodiæ anno, SIGISMVNDVS est natus,) ab Erico fratre fuit detrusus. Quod cur sit inglorium memorare, postquam ea, quæ suprà recensuimus, de seipso ad omnis ævi memoriam Moses scriptum reliquit; nostri autem Regis fa-

tum jam pridem publicis est monumentis insertum, non video. Ut nec inauditum, quòd ab asinis & ovibus à Summo Rege, quem penes arbitrium est & vis & norma regendi, ad solium & sceptra sint Reges vocati. Sicut autem intra custodiæ septa lucem primò adspexit SIGISMVNDVS, & Moses in cistellâ vimineâ est abjectus: Ita in ipso præsepi vagiit Summi Regis filius, & Regni Cœlestis terrestrisq; heres, idemq; Gentium ac Judæorum immortalis Imperator. O prodigia! Nec desunt alia comparationis haud contortæ argumenta. Quippe illico se offert institutionis post ortum æqualitas. De Mose recenset Martyrum Coryphæus, quòd á primis annis in sapientiâ Ægyptiorum fuerit institutus: cujus rei aliunde quoq; habere notitiam licet. Similiter in SIGISMVNDO non neglectam fuisse exactæ informationis solicitudinem pro certo asseverare possumus. Ut enim ratiocinatio aquileges non fallit, qui credunt aquas subesse, ubi conspexere vaporem manè attolli; pari ratione colligere licet ex fideli educatione & diligenti suorum curâ, sibi morum ista & virtutum ac linguarum Rege dignarum, quibus in omni vitâ conspicuus fuit, SIGISMVNDVM comparasse. Præter vernaculam quidem Svecicam, & Latinam, & inde natam Italicam, utpote quæ semper apud Polonos in summo precio & usu fuere, addidicit: quibus non sine audientium singulari voluptate, est admodum decorè usus. Germanicam verò exactè calluit: cujus cognitionem ferè esse utilem Polonis prudenter innuit Herburtus, dum eam, præ reliquis, exactiùs esse comprehensam à SIGISMVNDO I. proditum reliquit. Atq; Polonicam quoq; ita bene maturè imbibit, ut, in campo Cracovienſi, novus advena ac hospes, utpote haud antè pridem ad Regni Sarmatici guber-

nacula adlectus, Laurentio Goslicio, Podoliæ Episcopo, tam prudentissimo, quàm disertissimo Senatori, qui ipsum Oratione vernacula excipiebat, aptè & confidenter responderit Polonicè. Quod quidem Polonis longè gratissimum accidit, ut Regem foris petitum patriâ linguâ loquentem haberent. Namq; ejus etiam rei consideratio, in electione SIGISMVNDI, cùm Regno fuit commendatus, in censum venerat. Tanti sunt linguarum ornamenta, ut in ipsis Regibus quærendis & laudandis habeatur earum ratio. Sic ab his è veterum memoriâ posteritati innotuit Mithridates, qui XXII gentibus jus dixisse fertur, suâ cuiq; linguâ, hoc est, ut ego interpretor, nisi me omnia fallunt, dialecto peculiari. E recentiori famâ est in ore sermoneq; omnium Elisabetha, Angliæ Regina, sexum universum, atq; Regum multos post se relinquens: utpote quæ uno & eodem die tribus maximorum Regum Legatis respondere audita est, Latinè uni, alteri Gallicè, tertiò Italicè. Quâ in re, etsi omnium admiratione digna est, nulla necessitas fuisset SIGISMVNDO cedere, qui profectò idem præstitisset, si linguæ sunt numerandæ, non comparandæ. Levia tamen hæc sunt, nisi alia essent, quæ in Rege nostro contemplari & mirari ordo postulat. In ardore erga res sacras vitus multis est vincere Antistites. Geometriam, hoc est, eam disciplinam, cujus scientiam ab Academiæ suæ initiatis pertinaciter Plato exigebat, haud leviter attigerat. Ad modulationum verò svavitatem non aures tantùm teretes & perpurgatas afferebat; sed & poterat Symbolam se dignam conferre. Cœli atq; pictoriæ artis specimina non tantùm judicare, verùm & exhibere valebat. Sed neq; reliquam eruditionem ignorabat: ut vel Plato Dictator, viso hoc Rege dixisset, auditove: feli-

cem esse Rempublicam, cui præesset SIGISMVNDVS, egregiè imbutus sapientiâ. Virtutes verò quales quantæq; in illo fuerint, nunc exponere conabimur; si nostra aut ullius oratio iis exponendis par esse potest. Veluti enim quorundam scelera omnem dicendi bene facultatem excedunt: ita quædam in aliis facta egregia explicari satis nequeunt dictione; sermoneq; & laude sunt superiora. Patientia, patientia & animi moderatio inprimis eluxit in Rege nostro: cujus splendor è SIGISMVNDI moribus emicans sic meos præstrinxit oculos, ut vix ad reliquarum virtutum decorem attendam. Sic enim quoq; fit, ut adamantem insolitæ magnitudinis & lucis in Coronâ aut veste Regiâ intueamur, cùm reliquas gemmas vix pensi habeamus. Atq; hic quidem occurrit nova SIGISMVNDI cum Mose conferendi ratio. Hoc de exstat in sacris commentariis, quòd, etsi undiq; vexatus sit, fuerit tamen mitissimus, &, ut Josephus eum depingit, affectus omnes semper in potestate habuerit, ut omnino illis carere videretur, & nomina tantùm eorũ ex his, quæ in aliis hominibus conspiceret, haberet cognita. Nolim unquam mihi credi, nisi ejus virtutis similia quædam exempla in SIGISMVNDO ostendero. Imò fidem faciat assertioni meæ verbis Thuanus, qui fide an facundiâ majore? opus suum contexuerit, ignoro: quòd quibuscunq; annalium conditoribus palmam ambiguam fecerit, haud mihi ambiguum est. Idem ille haud profectò obscura quædam, è quibus facilè mihi erit asserere Regis nostri æquanimitatem, aut, ut veriùs dixero, magnanimitatem, æterno operi suo inseruit. Audiamus tantùm, quomodo se gesserit, cùm competitor Maximilianus, qui paci aut saluti Regni, quo exciderat, nondum consulere volebat, captus esset á Zamoscio,

&

& ſummâ dignitate & fortitudine & literis & ſtudio in Rempublicam & fide in SIGISMVNDVM Regem celebratiſsimo Heroë. Tantæ victoriæ nuncio accepto, ait laudatus autor, idemq; vix unquam ſatis laudandus, eandem moderationem ſervavit SIGISMVNDVS, conſtantiam in vultu retinens, nullâq; lætitiæ geſtientis ſignificatione editâ, ſtatim datis ad Zamoscium literis, Maximilianum duci Cracoviam, vetuit, ne in triumphum potiùs, quàm in cuſtodiam tantæ dignationis captivus duceretur. O inſolens inſolentis animi repreſſi, imò ne leviter quidem in pectore Regio ſe exſerentis, victo rivali & hoſte, exemplum! Quî non crederemus, eum alteram ſortem bene præparato pectore tuliſſe; quum, quod haud facilè eſt, æquâ mente commodaeſt paſſus & temperatâ ab immoderatione lætitiæ? Videamus è multis exemplum unum atq; alterum. Poſt confœderationem, quam Rokosch vulgò appellari notius eſt, quàm ut à me ſit monendum, haud infeliciter diſpulſam, non invitus, inter partes autoribus principibus, Cracovienſi & Radzivilio porrexit manum, etſi aliquandiu altercatum fuerit. Ex eodem fonte facilitatis atq; tolerantiæ fluxit, quòd, poſt nuperas turbas, Clementisſimus noſter, quasvis potiùs induciarum conditiones ſit amplexus, & ſpem duraturæ ac ſolidæ pacis, in quâ vivere deſiit, fuerit ingreſſus, quàm quòd ſimultates illas ſanguine noſtro exſtingui voluerit. Efferant laudibus, qui volunt, alios è Regio cenſu, qui bello ferroq; repulere retulereq; quascunq; leviſsimas injurias; SIGISMVNDVS pertulit. Illi de aliis victoriam quandoq; reportarunt in cauſſâ non usq; adeo bonâ: hic de ſe atq; animo ſuo, qui, ut eſt humanus, hoc eſt, ad ſequiora propendens, ultionis dulcedine guſtandâ proritatur. Eam pravita-

tem Rex noſter, vel non ſenſit, vel non admiſit. Itaq; meritò SIGISMVNDVM, unâ & alterâ literâ permutatâ, SIGISMVTHVM rectè vocare poſſumus: hoc eſt, Victorem animi, perturbationumq; ſuarum. Ac, ut ferè tolerantes tuetur ſub umbone ſuo Optimus Maximus, ne noxæ ſit fraudiq; virtutis à ſe præſcriptæ & exemplo ſuo commendatæ ſtudium: ita Moſem, inter tot turbas, ſeditiones ac murmura protexit ſumma divini Numinis benignitas, præſertim cùm furor aliquando inſanæ plebi lapides miniſtraſſet, quibus tantùm non obruiſſent ſanctum Dei ſervum. Similiter memoratu prorſus eſt dignum, nec ullâ obliterandum vetuſtate, quod in recentiſsimâ hujus coronæ memoriâ eſt, quid SIGISMVNDO ante non multos annos acciderit, vel magis, Deo propulſante, non acciderit. Erat dies XV. Novembris, Anni XX. hujus ſeculi, atra & funeſta valde nobis proclamãda, niſi, eo anno, ſacra Domino fuiſſet, hoc, tanquã ſatore Regũ, periculũ ab Uncto ſuo præſentisſimũ avertente, quod Regi mortem & nobis luctum minabatur. Quâ die, (quod Regi ferè ſingulis etiam profeſtis facere fuit poſitũ in more) SIGISMVNDVS cùm ad ſacra ſe contuliſſet, ac vix pedes in ædem D. Johanni dicatam Varſaviæ intuliſſet, nefarius quidam, cujus nomen tam criminis indignitas, quàm horror noſter vetaret exprimere, niſi cum æternâ infamiâ ad memoriam eſſet conſervandum, Michael Piekarſcius, uncâ atq; præpilatâ clavâ, quam â ſecando, ut colligo, vocant Czeckanum, Regem petit, ac plagæ, quâ faciem Regis ſtrinxerat, ut ſanguis ſtillans togam tingeret, aliam ſuperaddit (proh ſcelus audaciamq;!) & Regis, qui jam procideraſ, tergum denuo ferit. Tertiaſſet ictum, nî Opalinius eum intercepiſſet; & Princeps VLADISLAVS gladio percuſſorem ſauciaſſet

set. In quo paulò antè alia quædam emicuerant Heroicæ indolis exempla: quum Severiam & Cernihoviam, jussu exemploq, Paterno, invasit, subjugavit. Sed hæc studii monumenta in Regnum fuere; quo de præclarum in modum mereri voluit Princeps: illud pietatis in Patrem fuit. Patere, Serenissime Princeps, ut præter viam hìc Te colam, postquam in Tui mentionem incidimus. Etsi nihil hucusq; in Parente Tuo sit celebratum, quod non hereditario jure ad Te pertineat. Chara ac ominosa Tibi sunt nomina: VLADISLAI alterum, apud gentem Polonicam, à VLADISLAO, satore prosapiæ Jagellonicæ celebratissimum; alterum SIGISMVNDI, quod quoties audimus, chari Genitoris Tui & alterorum SIGISMVNDORVM, Patriæ Patrum; subit animum memoria. Quid de Te non polliceamur nobis: cujus & omen specimenq; ex factis, & indolem e stirpe æstimamus? Macte hoc animo, & per vestigia majorum Tuorum decurre: ut & generi, & magnitudini eorum succedas. Manibus quidem Parentis gratulamur de Te, in quo vivit SIGISMVNDVS; Tibi de Parente, qui Te commendat nobis, ut & in Parentem pietas, in quam narrando delapsi sumus, ut famæ daretur, boni ominis & spei de Tuis decoribus excitandæ caussâ: quæ tantò laudabilior est, quanto fuit detestabilior sicarii impietas. Qui tamen nefarius Regicida, quasi non satis fuisset scelus perpetrasse, mentiendo idem auxit, ac pertinaciter eâ in sententiâ perduravit, nonsecùs quàm rectè, quanquã conatus infeliciter successerit, se fecisse: quod sibi id negotii jampridem esset commissum ab Angelo, à Divis Cœlitibus, & ab ipso Crucifixi simulacro, quod simplicioris plebeculæ incautâ opinione fascinatus credidit indicare quædã. Taceo alios prætextus, quibus facinus colorabat,

ſceleri ſuo excuſando minùs aptos. Quas pœnas luerit, paucis adjicere eſt operæ preciũ. Eodem ille menſe, die videlicet XXVII, eſt omni honore exſutus, tum candentibus forcipibus pectus laniatum, ſceleſtam manum ignitus malleus roſtratus & torrentes prunæ abſumſere, læva ſimiliter eſt deinde ſecuriculâ à ſemivivo cadavere avulſa, corpus ab equis diſtortum & luxatum & humi volutatum, deniq; in ignis ultricem flammam conjectum. Dignus tanto Parricidâ rigor! At tu, o ſumme Deus, in cujus præſidio Reges latent ſecuri, cohibe impoſterum tam infanda auſa, ac averte tam ſimilia, quàm quæcunq; alia pericula à cervicibus Regum Polonorum, quicunq; ſecuturi ſunt venturis temporibus: ne ullum eâ in gente Regicidii exemplum ullo tempore exſtet, ſicut in quibusdam aliis, ubi Vicarii Tui horrendo auſu vitâ Regnoq; ſunt non rarò miſerè ſpoliati. Verùm, ne illud quidem, AVDITORES, deſiderare quis poteſt in SIGISMVNDO noſtro, quod in Moſe omnium laudibus celebratur; qui totis diebus populi cauſſas cognovit, quod & miratus eſt Iethro &, conſilio ſubminiſtrato ab omni iſtâ nonniſi ſpontaneâ moleſtiâ virum avocavit. Scitis, ſcitis enim ipſi A. & plurimi fando accepere, quàm patientiſsimè, toto Regni ſui tempore, diſertiſſimis litigantium querelis ſe commodaverit, ac graviſſimas, illas aurium plagas fuerit perpeſſus. Quaſi ſcilicet ſibi dictũ eſſe meminiſſet à mulierculâ illâ pertinaciter occlamante: aut audi me, aut Rex eſſe noli. Nunc ſobrietatem & temperantiam, raras hodie Principibus aulisq; virtutes: nunc militares Regis noſtri laudes decantarem: quarum hæ tum præſertim in ſermone fuere omnium, cùm Valachos in tutelam ſuſcepit, Roſwanæ, à Transſylvaniæ Principe miſſo Duci, exercitum eripuit, & armis

mis exſutum palo ſuffigi mandavit; cùm Smolenſcum à Moſcis, ante centum annos & ultrà, non bello, ſed proditione Polonis ereptam recuperavit, dum obſidione bienni vaſtatam & attritam poteſtati ſubjecit ſuæ; ac alia ſub auſpicio ejus & fortunâ ſunt geſta præclarè: niſi viderem me nimium provehi. Abreptus enim ſum in mare elogii SIGISMVNDIANI. Panegyricum tamen opus contexere non conſtitui: ſed cauſas luctus noſtri, in quo nunc verſamur, exponere. Ad vitæ exitum Regiæ, qui illum ipſum nobis dolorem attulit, veniendum. Ubi ne nunc quidem cœptam cum Moſe collationem pertexendi deeſt materia & ratio. Tot utiq; annos SIGISMVNDVS non vixit, quot Moſes centenarius, ac qui præterea viginti alias æſtates ſupra centum vidit; quot exactè annos unus exegit, inter anteceſſores Noſtri, protractus ex humili casâ ad aulæ faſtigium, Piaſtus. At quotusquisq, inter Reges, imò homines promiſcuè, cum cervis tam diu durat, aut cornicibus. In *Regibus Poloniæ* nullus eſt, qui, poſt dictum ejus gentis Principem (*penes id nomen enim eâ tempeſtate erat ſumma autoritas*) centeſimum annum attigit. SIGISMVNDVS I. Domini noſtri Avus, octogeſimum, paucis conceſſâ leniori vitæ exodo, abſolvit. Noſter anno ætatis LXVI. poſtquam, ante triduum, paulò ſenſiſſet ægritudinem, ab attonito ſtupore concuſſus, obrutusq, catarrho, cùm ferè omni vitæ tempore, quod ſatis conſtat, firmus vegetusq; fuerit, eſt denatus. Cæterùm populi Hebræi Princeps annos tantùm XL. præfuit: Noſter Regni gubernacula tractavit quinq; ſupra XL: cùm anno à Servatoris ortu M D LXXXVII. ipsâ Adventus IIIâ Dominicâ, à Primate Regni ſolemniter eſt *inſignitus* Coronâ. Haud multis certè profectò hoc admodum

raræ felicitatis munus indulgetur cœlitus, ut tamdiu honore ſummo fruantur. Sicut facilis eſſet computatio, quot turres Chriſtiani nominis Regum (ut Ethnicorum non veniat in mentem) mors interea temporis pulsârit: infinita autem numeratio, ad quàm multas pauperum tabernas diverterit. Etiam oppidò rari, nec totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili, è Regis anteceſſoribus fuere, qui in hunc cenſum venire poſſunt. Unus CASIMIRVS Jagellonides exactè par eſt regni ætate SIGISMVNDO: ipſe generoſæ & inclytæ ſtirpis autor, VLADISLAVS JAGELLO, ſuperior, utpote qui totis annis XLVIII. fasces regni tenuit: reliqui omnes inferiores; ſicut & ipſe Moſes, quicum commiſimus SIGISMVNDVM, pace tanti Amici divini, ſerviq; Deo chariſimi. Quare tandem ut Moſi ſuo, tam bene de ſe merito ac undiq, laudatiſſimo Principi, juſta fecit populus Judaicus defuncto: ita Moſi gentis noſtræ, quod hucusq; me ſatis eviciſſe pro perſvaſo habeo, idem honoris debemus cumulatiſſimè. Quem quidem nunc finiendo luctus publici ritu mœremus: at vice gratorum omnium ſpondeo, polliceorq; futurum, ut perpetuò nobis jucunda futura ſit memoria Chariſſimi & Benigniſſimi Regis & Patris Noſtri. Qui ſanè id moribus ſuis effecit, ut SIGISMVNDI nomen pio & in ævum grato animo ſimus celebraturi & veneraturi. Cujus hoc ad omnes, quotquot unquam hoc oculis ſuis ſunt & auribus uſurpaturi, ex ore noſtro ſit præconium, ex intimâ animi noſtri mente profectum:

SIGISMVNDVS III. REX A POLONIS
ELECTVS, SVECIS NATVS, PACIS, PATIENTIÆ, PRVDENTIÆQVE ARTIBVS
INCLYTVS, EST LETHODATVS, ANNO

CHRI-

CHRISTI MDCXXXII. PRIDIE CALENDARVM APRILIS: CVM VIXISSET ANNOS LXVI. REGNASSET ANNOS XLV. QVI VIX VNQVAM TVRBAVIT GEDANENSES SVOS, NISI CVM MORTVVS EST. REQVIESCAT IN PACE, ET VIVAT, VIGEATQVE IMMORTALITATE NOMINIS ET VIRTVTVM SVARVM.

Itaq; vix opus eſt, mei Auditores, ut porrò usq; adeo deploremus Eum, in primis rectâ lugendi ratione neglectâ. Noſtra fata atq; mala, quæ in hac orbitatis caligine noſtræ cervici imminent, illo ſcilicet noſtro Sole amoto, potiùs lugeamus & metuamus. Indice digito iſta oſtenderem, niſi de iſtis lippi tonſoresq; mutirent: & exſpuendum eſſet, ex veterum more, ad malum omen, non autem ſermone exprimendum. Nemo tamen credat, nos tam abjecti animi eſſe, ut deſperemus & haſtam abjiciamus: ac, Rege ad Cœlites migrante, de Regno conclamatum eſſe dicamus. Eſt Senatus & Nobilitatis Ordo uterq; Polonicus fortis atq; ſolers, videbit, quid è re ſit ſuâ noſtrâq;. Sunt in eâ Megiſtanes, in quorum manibus eſt ſumma Regis eligendi autoritas, divinarum humanarumq; rerum peritiſſimi. Tantummodo Deum invocemus, ut in optima conſilia conſpirent. Cumprimis enim nos erigit animosq; addit, quòd nos non lateat, vivere ac ſupereſſe Regem Supremum, totius Orbis moderatorem. Reliqui reges moriuntur omnes, & ipſi Tyranni ſiccâ morte ad generum Cereris deſcendunt. Quicquid alii argutentur, Reges Galliæ non mori, quòd naſcantur, non eligantur. Stat enim ſententia divina & lex mortalitatis immortalis: *Ego dico*, inquit ſummus Ar-

SIGISMUNDUS TERTIUS,
POLONORUM ET SVECORVM REX.

Anagr.

IS PRIMUS RECTOR, NOVUS MOSES, LEGVM TVTOR, VINDEX.

In

PANEGYRICUM
funebrem
DN. MOCHINGERI.

EReptum ſibi quem flent regna Polonica Regem,
Pruſſa flet ereptũ quem ſibi terra Ducem:
Is fortis Legum tutor, vindexq́; novusq́;
Moſes, & primus Rector in Orbe fuit.
Hunc MOCHINGERÆ æquaſſet facundia Ivadæ,
Menſura immenſæ ſi foret ulla rei.
Illa quidem ſummum æquavit de Rege dolorem:
Summus at haud æquat publica damna dolor.
Qui queat hæc Pruſſis, queat hæc ſarcire Polonis;
Mox SIGISMVNDVM det Deus, oro, novum!

S. NÆRANUS.

URBIS GEDANENSIS
PLAVSVS;
SUPER
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS,
VLADISLAI SIGISMUNDI,
SVECORVM, GOTHORVM ET VANDALORVM
HEREDITARII REGIS &c.
DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,
AD
REGNI POLONICI FASCES
ELECTIONE;
DESCRIPTVS
ORATIONE,
IN FREQVENTISSIMA PANEGYRI GEDANENSI,
ANNO M DC XXXII.
DIE II XBRIS, HORA X MATVTINA,
PER
JOHANNEM MOCHINGERUM
HABITA.
TYPIS PRODIIT RHETIANIS EDITA.
GEDANI.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI,

VLADISLAO SIGISMUNDO,

POLONIÆ SUECIÆQUE REGI,

MAGNO DVCI LITHVANIÆ, RVSSIÆ,

PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ

&c. &c.

VITÆ ET REGNI

FELICITATEM ET DIVTVRNITATEM!

SERE-

SERENISSIME ET POTENTISSIME

REX,

Liceat mihi, per gratiosissimam Clementiam Tuam, Tibi Polonicâ Coronâ redimiendo acclamare, cum populo: *Feliciter!* In quo si pecco, tantâ cum multitudine, pieq; pecco. Teneo equidem sic gentium quoq; omnium consvetudinem, quæ Regibus novis semper sunt fausta apprecari solitæ. Præcesit, SERENISSIME DOMINE, clamor Civitatis nostræ Tibi applaudentis; præcessere preces Fratrum Deo consecratorum ardentissimè & copiosissimè pro Te fusæ: jamq; item ego, silentio facto, prodeo & exclamo, quantum possum, voce elatâ: VLADISLAO SIGISMVNDO *felicitatem!* Hoc argumentum est ejus Orationis, quàm non minùs adorans Comitatem Tuam, quàm reveritus Majestatem (quorum ornamentorum nexus quò rarior, eò pulchrior est in Regibus) supplex exhibeo. Confido fore, ut probetur Tuæ Majestati pietas mea, vel Universæ potiùs Urbis Tibi deditissimæ & fidelissimæ. Ex cujus ingenio & animo, postquam tantos vidi audiviq; Optimatum & Universæ plebis applausus, hæc dixi. Quod eximium beneficium gratiæ & favoris Tui, nova nobis erit lætitiæ & gratulationum materia.

MAJESTATI TVÆ

devotissimus,

Johannes Mochingerus.

INVITATIO AVDITORVM.

SVperesse videtur, LECTORES, post tot argumenta publici gaudii, super Electione Domini nostri Clementissimi, ut Musæ quoq; loquantur in ludo nostro, veluti in domicilio suo, atq; theatro honestissimæ gloriæ, ubi florum lectissimorum coronam præsentem habent, Regiq; novo universæ urbis nomine applaudant. Atq; ego sanè, si inter Vates mihi locus obtigisset, exemplo Poëtarum Principis, in magno quidem instituto canentis, Sicelides Musas Helicone evocarem: ut, qvalis quantaq; fuerit super hoc argumento lætitia nostra, exprimerent, & eâdē operâ simul, qvàm bene de VLADISLAO SIGISMVNDO ominarentur, ipsæ ore suo edissererent. Verùm isthac de re viderint laurigeri. Ego non admordi laurum. Qvemadmodum fingunt, Musas dedisse Hesiodo laurum gustandam, ut, eâ commansâ, fieret vates. Nec, ut alius ex eâdem familiâ cecinit præfatus:

Fonte labra prolui Caballino,
nec in bicipiti somniasse Parnasso
memini, ut repentè sic Poëta prodirem.
Heliconidasq, pallidamq, Pyrenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces.

Ad sacra Vatum affero Orationem nostram. Quamvis enim nō ignarus sim tenuitatis meæ, neq; ullis fortè, aut vix mediocribus eloquētiæ præsidiis instructum me sentiam, ut tantarum cōgratulationum ardorem & concertationes valeam referre: visum tamē est, infantiam meam potiùs prodere, quàm silere intempestiviùs. Audimus enim quosvis in circulis Regi novo felicia apprecari. Turpe foret, quasi datâ operâ, esse me velle elinguem. Namq; etiam, in tantis omnium acclamationibus, ac post tot celeusmata, non difficile erit interstrepere. Non secùs ac valde utiq; proclive est, si vel inexercitatus in arte canendi, multorum inter concentus, conetur sonum, & vocis suæ periculum faciat. Addo, qvòd affectu me iri adjutum in re tantâ confidam: ceu Cræsi filium, Atyn, in

vocem

vocem qvoq; erupisse legimus, exclamantem, ne Pater occideretur, qui ad id imminentis periculi tempus fuisse mutus perhibetur. Quid ergò lætitia & hilaritas animo concepta non efficiat? Quæ certè homini etiam infanti, repagulis quasi remotis omnibus, verba inspirat & excutit. Scilicet, ut scitè Fabius ait: Pectus disertos facit. Neq; non alienum videri posset, prolixè Regis amissi deplorasse fatum: at, in Ejusdem locum novo suffecto, Eoq; Optimi Parentis Optimo Filio, ac penè eodem, SIGISMVNDO redivivo, intra silentii limites se continere, nec verbum facere. Vtrinq; verò, & non vivis minùs, quàm fato functis, Regibus sunt persolvenda recordationum honorificarum tributa. Quapropter, quod felix sit fortunatumq;, die Jovis proximo, horâ IXâ copiosiùs sum hac de re dicturus è Lycei nostri cathedrâ. Argumentum autem Orationis pium potiùs erit, quàm novum vel audax aut admirabile, quod scilicet non facilè alicui in mentem venisset. Namq; nonnisi hortator ero ad grates, hoc electionis Regiæ nomine, persolvendas *beneficentiæ divinæ. Præibo postremò verba, ut denuo ardentissimè voveamus, quò firmum, faustum, salutare atq; diuturnum sit imperium* VLADISLAI. *Subintexam* plausus nostri descriptionem, ejusq; rationes aliquas. *Sed auribus delicatis lenocinari mihi* non est animus, neq; summopere accurabo, nostra ut dictio niteat, veluti littus Erythræum gemmis refulget & unionibus. Satis erit mihi, si ipse ego cœlesti ardore inflammatus scintillas in concionem spargam, ut animi nostri succendantur ad thus gratiarum DEO debitum adolendum & suffiendum. Panegyricas Regis laudationes alii meditentur, qui, ut disertissimus Nazianzi Pontifex, Gregorius, inquit, tubas Tyrrhenicas Oratione superare possunt. Nos, ut possumus, si non possumus, ut debemus, VLADISLAVM, iterum atq; iterum elogiis nostris prosequemur: sed ita, ut præsertim in laudando Regum Rege, quem ipsimet Reges nobiscùm colere necesse habent, nostra sudet Oratio. Neq; videri debet à sacro esse alienum Mystâ: qvod ad omnes, qui Christo nomen dederunt, attinet, sic illud ab Apostolo nobis præscribente: *Adhortor itaq; & præcipio ante omnia, ut pro Regibus & quibusvis in eminentiâ constitutis, omnia precum & gratiarum genera instituantur. Idq; in eum finem, ut avertatur, quod impedit tranquillitatem, & semper sit locus pietati atq; honestati, sub regno pacato & quieto. Hoc enim bonum est & acceptum DEO, servatori nostro.* Hucusq; præco divinus. Taceo, quòd omnium nostrûm interfit illa exorare apud DEum, quæ perstringemus. Quare adeste, quæso, & animos non secùs atq; aures purgatas adferte. Rempublicam Regi commendabimus: sed & hunc atq; istam, DEO. Pietas Vestra, amorq; novi

Regis,

Regis; deniq; ſtudium Veſtrum in colendis in univerſum Poloniæ Regibus, quod multis obſervantiæ & fidelitatis argumentis declaratum dediſtis, confidere me facit, daturos Vos locum petitioni meæ & comparituros haud gravatim: ut Vos non usq; adeo urgere videatur neceſſe eſſe. Valete, ſub Rege novo felices! Scripſi, Anno à Rege univerſi, Chriſto nato 1632 VLADISLAI SIGISMVNDI. primo, pridie Dominicam Servatoris, Jeroſolymam Regio apparatu intrantis. Valete.

ORA-

ORATIO.

MAGNIFICI ET NOBILISSIMI DOMINI PRÆCONSVLES, SCHOLARCHÆ, SENATORES, PRVDENTISSIMI SCABINI; PATRES PATRIÆ OBSERVANDI: REVERENDI ECCLESIARVM ANTISTITES, FRATRES SINCERE DILECTI: EXIMII DOCTORES ET MAGISTRI: CIVES ELEGANTISSIMI, JVVENES CVLTISSIMI: CONCIO VNIVERSA FLORENTISSIMA, FLOS CIVITATIS ET CORONA LECTISSIMA.

QVod ex hoc loco ſupplici voce apud immortalem Deum, eumq; ſupremum hujus Univerſitatis Imperatorem, efflagitavimus: ut poſt tenebras, quas, SIGISMUNDO occidente, ſenſimus, novum atq; ſalutare aliquod ſidus illuceſceret, cujus ortus, quaſi novi Solis, lucem caliganti Urbi redderet & publici mœroris inviſam tempeſtatem ſubitâ ſerenitate diſcuteret, impetravimus. Impretavimus, inquam, cœli munere, quodq; cumprimis ſermonibus atq; prædicatione omnium eſt celebrandum, concordibus Senatus Sarmatici & inclytæ Polonicæ Nobilitatis, voto Urbis conſentientibus ſuffragiis, Regem ac Dominum Clementiſimum, VLADISLAUM SIGISMUNDUM, heredem faſtigii ac virtutum paternarum; adde, (quod certâ animi fiduciâ credimus) Patrii affectus in nos nunquam non propenſiſſimi æmulum. Quantus ex obitu Parentis fuit conceptus dolor,

quem haud ita pridem teſtati ſumus è cathedrâ hac atratâ: tantum nunc eſt ex imperii in Filium derivati auſpiciis commune gaudium. Nam quod in Patre nos amiſiſſe planximus: hoc in Filio nos recuperaſſe, bonâ ſpe & exſpectatione recreamur. Eam in animis noſtris obnatam hilaritatem, quum permultis argumentis publicè declaratam dederimus: hac voce quoq; intra præſentes hujus Muſarum delubri parietes explicabimus. Teſtabuntur illi ſecuturis ſeculis, teſtabitur hoc ſolium, quo applauſu, quanto cultu, quantâq; veneratione VLADISLAUM SIGISMUNDUM exceperimus: ante quem Regum nulli forſitan ex hoc loco acclamatum fuit. Quum enim Regi novo humanæ dignitatis apicem è turbâ quivis in circulis gratuletur: laudem omnino pari jure pietas noſtra merebitur, ſi ei in hac honoratiſſimâ concione felicitatem, ut breviter complectar, noſtrorum deſideriorum ſummam, qvâ turgemus, geſtientis lætitiæ quaſi grandem uterum ferentes, apprecemur. Quo nomine neceſſum etiam erit, ſalutem Ejusdem, quâ ſalus quoq; noſtra eſt comprehenſa, Omnipotenti Regi commendare.

Quapropter, ut hinc velut auſpicatò exordiamur, Tibi, Rex Regum ſempiterne, prolixas & ex intimo corde manantes perſolvimus gratias, habituri easdem, cum omni conſequentis ævi memoriâ, quòd preces noſtras ratas apud Clementiam Tuam eſſe volueris. Acerbum vulnus nobis inflixeras, exemto rebus noſtris Regniq; Univerſi, vel afflictis, vel multivario diſcrimine circumvallatis, SIGISMUNDO Rege Patreq; noſtro providentiſſimo: Tutemet ipſe verò paulò poſt medicas manus adhibuiſti, &, dictamnum digito oſtendens, VLADISLAUM SIGISMUNDUM nobis

præ-

præfeciſti. Quam Tuam in nos benevolentiam, ſi breviùs & aridiùs, pro ſermonis noſtri paupertate, deſcribimus; Panegyriſta Tuus, ſceptroq; lyrâq; probatus, de ſuo penu locuplete, verba nobis largietur, quibus Te admodum capi ſcimus: Sanaſti plagas noſtras: liberaſti à foveâ vitam noſtram: circumtegis nos benignitate & miſerationibus: renovaſti aquilam Polonicam, ut juveneſcere omnibus videatur, & virentem juventam induiſſe. Miſericors & gratioſus es, Domine, multusq; in miſericordiâ. Non in æternum litigabis, aut perennis erit ardor iræ in nos Tuæ, nec culpis noſtris æquus pœnarum numerus & modus: emicabit Clementia Tua, & ex indulgentiâ ſcelerum noſtrorum petet lauream. Quæ paterna Clementia Tua ita in oculos omnium incurret, ut hoc cœlum, hoc dium, Ceu Patri ſatis erit leve ſupplicium noſtrum: imò ceu benevolo Parenti volupe erit, non offenſas tantùm noſtras nobis remittere; ſed & nos novis indies beneficiis, ex cenſu patrimonioq, Tuo benevolentiſſimo abundantiſſimè derivatis, adobruere. Tuum hoc eſt in univerſas ſub Cœli ambitu gentes beneficiũ, ut plebeiæ mentes fortè cogitant, vulgare quidem, at ſanè magnificum prorſus, nec unquã à noſtrâ infantiâ, pro dignitate deprædicandum; quòd ſingulis ſuos Magiſtratus autoritate pollentes, quibus nil minùs, quàm terra Sole, carere poſſent, ordine arcano ac ſingulari præſtituis. Ediſſerant nobis, ſi qui ſunt, quos impietas ita occœcavit, ut inficientur Numen Tuum: qui fiat, ut barbariſſimi quiq;, & ipsâ barbariâ ferociores, ſuæ homines ſortis, quos vulgo exemtos dignitate muniviſti, tantopere exoſculentur & colant, paratiſſimi quoq; vel fortunas vel ſanguinem, vel quicquid eſt carum, pro iis prodigere. Unde illud quidem mentibus noſtris inſedit, mortalibus

quibuſcunq; in Orbe univerſo timorem Majeſtatis Tuæ eſſe ingenitum: ſimiliter ut ſplendorem, ſapientiam atq; potentiam Tuam loquitur lex Solis, ab orbitâ nunquã exerrantis, Lunæq; ac cæterorum ſiderum ordo, totiusq; naturæ ingenium. Hæc tamen quaſi coronis eſt Tui hujus beneficii, in quâ inprimis extollendâ noſtra nunc laborat Oratio, quâ nonniſi charos atq; familiares Tibi populos ornas, quòd his eos Reges adſignas, quos ipſe cordium ſcrutator unicus exploraſti, &, quales in rebus gerendis ſint futuri, prævidiſti. Quemadmodum ſummæ rerum, apud Hebræorum gentem, Spõ. ſæ adinſtar Tibi adamatam, præfeciſti virum, quem ais amatorio ſermone ſecundùm cor Tuum fuiſſe, hoc eſt, dilectiſſimum & ad animi Tui ſententiam conformatum, nec niſi unum è multis. Quem filius Salomo ferè retulit, ſapientiæ tamen laude etiam præſtantior, ut in quibusdam aliis Patre paulò inferior. Ad quos ſi acceſſerit, quem noſtris neceſſitatibus es largitus, ut iſtum pietate, atq; fortitudine bellicâ, hunc pacis & prudentiæ ſtudio exprimat (quod à Te votis omnibus contendere audemus, & jam verò etiam eſſe nos nactos quaſi pro perſvaſo habemus) novum hoc Tui in nos amoris, præter ſexcenta alia longè plura, pignus erit. Sunt enim innumera Tua in nos benefacta; etſi hoc in cenſum non veniſſet, quæ junctim atq; catervatim nunc in mentem veniunt, cùm tamen unicum iſtud ſolummodo meditari fuerit animus, & Oratione efferendum ſumere. Idq;, ſive quòd quidam inſtinctus Tuus de ardentiori gratiarum actione nos hortetur: ſive, ut oppidò opportunè admoneamur eſſe quasvis cogitationes noſtras longè longeq; inferiores comprehendendis beneficiis Tuis, cùm numero pluribus, tum magnitudine admirabilibus. Itaq; nobis in

eorum penſiculatione accuratiùs hærentibus, idem ferè uſu venit, quòd iis hominibus, qui aciem oculorum, illuſtri & claro die, in Solem intendunt. Nam illi quidem igneo ſplendore circumfuſi vident atq; confitentur, eſſe immenſam & multò clariſſimam lucem ſideris illius, quod eſt princeps reliquorum omnium & vas verè admirabile: ſed quanta ſit ejus magnitudo atq; ſpecies, hebeſcentibus nimiâ claritate luminibus, neq; vident, neq; ſentiunt. Similiter & nos, cùm animo atq; memoriâ intuemur mirifica Tua & multis fructibus efflореſcentia beneficia, eorum & multitudine & magnitudine obruimur. Si apud quenquam inobſcurata eſt recordatio Tuæ de nobis providentiæ in bello nupero, dum, eo induciis ſecutis diſpuncto, reſpirationi noſtræ ſuo tempore conſulere voluſti; certè in animo noſtro perpetuâ commemoratione hæret. Jam ſanè valde pertæſi eramus calamitatum & accipiendarum & reddendarum, quibus Tu metam ipſe unus pro voto poſuiſti. Hoſtem potentiſſimum, qui *fortunam ſecum ad nutum vehere videbatur, ut aliorſum victricia arma transferret, quaſi manu injectâ, abduxiſti.* Regis SIGISMUNDI *inuſitatam in nos benevolentiam*, Tuo arbitratu, cui ipſi Reges parére habent neceſſe, flexiſti, ut miſertus onerum noſtrorum (quæ enim cauſa eum magis inflammaſſet, quàm Pruſſiæ & Civitatis hujus, ſibi maximè charæ, ſub pondere laborantis & labantis anxietas?) *in induciarum leges conſenſerit ac paratiſſimum animum ad æternam pacem, re rectè legitimeq; compoſitâ, habuerit.* Magna multaq; hæc ſanè ſunt, cùm ea apud animum meum penſiculo: verùm quànto magis ea penſito, tantò pernoſco penitiùs, ea & Orationem meam & meditationem abſorbere. Satis erit tamen Tibi, ſat ſcio, tanto Evergetæ, ut om-

nia ſecula loquuntur, nos agnovisſe iſta. Nunc, poſtquam SIGISMUNDUS mortalitatis legem explevit, VLADISLAO, heredi patriarum Virtutum, ſalutes noſtras commendaſti. Quaſi nos notisſimo hoc indicio ſecuros esſe velle juberes, fore, ut non amiſisſe nos SIGISMUNDUM experturi ſimus, ſed in filio, VLADISLAO SIGISMUNDO, Urbis Patrem redivivum, habere. Teſtatur enim experientia, vulgare & populo commendatisſimum argumentum, parentum Te in ſobole mores, mirabili atq; occulto artificio, ingenerare. Quocirca, quantumcunq; posſumus, plaudimus & applaudimus Tibi, ſignaq;, quoad posſumus, haud obſcura lætitiæ liquidisſimæ damus. Præſtinguit quidem oculos noſtros lumen vultus Tui; verùm agnoſcimus tamen Tuam de nobis propitiam curam, quæ vicit omnium exſpectationem, & caſtigavit meticuloſas quaſcunq; ſeditiones. Solent interregna ferè Rempublicam variis caſibus affligere; &, ut nox nihil moderabile ſuadet, ita, in interregnorum tenebris, Rege, quaſi Sole, amoto, ut quisq; eſt audacisſimus, ita graviora quæq; non veretur patrare. Nihil tale, quod ſera cogitabit poſteritas, nunc vidit Polonia: quieta omnia, tranquilla omnia, quaſi in Regis oculis. Compeſcuit quosvis laudabilis & in exemplum poſitus Procerum rigor, aut ipſa Regis futuri, VLADISLAI, præſentia; vel, quod malumus credere & celebrare (Tibi enim tribuenda, quæ Tua ſunt) Tua, quæ mentibus quocunq; flectendis imperat, reverentia. Quem tam propitium nobis Deum ni fateamur hoc nomine ſtudioſisſimè colendum esſe, hymnisq; quibuscunq; extollendum, ac quibuslibet honoris ſignificationibus proſequendum, ingratisſimi ſimus mortalium.

Verùm,

Verùm, velut ab arâ, me ad Vos verto, AUDITORES, atq; ad eos, quicunq; solennia hæc nostra sunt audituri, meam converto Orationem. Nemo, inquam, miretur, esse & videri nobis tam illustrem nunc natam super VLADISLAI electione materiam festivitatis. Nam omni seculorum memoriâ, nationibus quibuscunq; fuit proprium, Reges novos splendido pompa-rum apparatu & insolito acclamationum cultu, velut exorientia sidera, excipere. Quid enim aliud sibi voluit, apud Iudæos, læta atq; clamola ista, tam tubicinibus præeuntibus, qui fragore omnia replevere, quàm universo populo vel millies acclamante, Vivat, vivat Rex, electi *Regis deductio*: quem, nonnisi boni ominis & spei de *firmâ ac felici administratione* conceptæ caussâ, ad rivos vel fontium scaturigines perungebant? Apud quos recentioribus seculis etiam receptum fuit, vel ramis vel vestibus viam sternere, ac quicquid vel ipsi Reges jusserant, vel plebi venerat in mentem, in Dominorum honorem, *hujusq; amplissimam* declarationem præstare. Quod vel ex *unicâ historiâ Servatoris nostri*, Optimi Maximi, Regiâ solemnitate Solymam intrantis paret. De eoq; more antiquissima ac fide dignissima Hebræorum monumenta nos docent, non tacitâ interpretatione ejusdem arcanâ. Verùm is hodie ferè est communis gentibus *universis*; nisi quòd hac tempestate Reges Christiani primò & ante omnia oleo delibuti in divinis Basilicis populo sistantur. Acclamationes autem sunt quibusvis eædem vel verbis, vel sensu. Qui quidem ritus omnes & magnarum rerum simulacra in se continent, & inprimis gaudii è re nati testificationem exhibent. Quò spectat quoq;, in Imperatorum inaugurationibus Romanorum ac Regum quorundam, Trojani bovis asatura, tum

vini è fonticulo uberrimè fluentis liberalitas, ac deniq; aureorum & argenteorum nummorum in vulgus dispersio, ut & quædam alia, quibus ad lætitiam plausumq; multitudo, velut purpurâ elephanti, incenduntur. Neq; absq; exemplo sunt nobis usurpatæ lætitiæ significationes, cùm campanæ perstrepuére, tormenta boarunt, missilia in aërem affabrè exsurgentia & miros exprimentia orbes incensa fuere, ignesq; excitati, & quodcunq; clamori & gaudio datum fuit reliquum. Nempe, quum lætitia ista animo concepta exsultantium clamore hominum non satis exprimi videretur: jussæ sunt campanæ & horrentia fistularum ora ebuccinare gaudia nostra. Ignes accensi studia nostra & mirificum in novum Regem apertissimè demonstravère ardorem. Atq;, ut nihil incultum in oculos Regios venire debet: ita quicquid pro Rege ornando est institutum, artem ostentabat & industriâ se commendabat. Vide mihi, si lubet, coronas Regias, ut non temerè ex auro & unionibus sunt conflatæ; sed novo atq; insolito artificio distinctæ, & summâ lapidum omnium varietate compositè adglutinatæ. Nec trabea Regia atq; paludamentum quomodocunq; picta; sed exquisito opificio, ut solent esse Phrygio aut Babylonico opere confectæ texturæ, tam clara, quàm variegata. Taceo reliqua, quæ cum naturâ certant. Ita sanè temerarium fuisset, inordinatis quibusdam struibus communem in modum succensis declarare honorem Regi præstandum (quod populo tamen ob effusum gaudium indulgeri solet) Senatus Amplissimus artificiosè confectas è pulvere pyrio machinas in fumum atq; cineres redigi curavit. Si tamen quicquam prætermissum videatur, quod tantæ magnitudo lætitiæ poposcit, aut ad jucundissimam istam hilaritatem magis

decla-

declarandam judices, id vel ignorasse nos, vel in aliud tempus reservasse, credas. Picas Psittacosq; Regem recèns electum salutantes, quod vetus Roma maximopere est mirata, neutiquam placuit adducere: quippe quòd apud sanos istud in admirationem venire vix potuisset; quia, ut Poëta haud inelegans eleganter cecinit:

Expedivit Psittaco suum χαῖρε,
Picasq; docuit nostra verba conari
Magister artis, ingeniq; largitor,
Venter.

Aut, si mirum id alicui videatur, insanus sit, si credat esse serium, hoc est, à ratione & consilio quenquam colendi profectum. Quin ergò nosmet ipsi potiùs ex intimâ mente exclamavimus: Salve, aveq; lumen nostrum, VLADISLAE SIGISMUNDE. Quemadmodum enim priscos lumen serò in sacra vel in convivia illatum excitare solebat, ut vel χαῖρε Φῶς, salve lux, dicerent; vel exclamarent, vincamus: quidni intuentes VLADISLAUM, Regio splendore radiantem, ita salvere jussissemus? *In divinis certè paginis Magistratus* vocantur lucernæ: & à Lycei principe *lumina* obelisci altè imposita. Quin opportunum videbatur, remotissimorum Thulensium consuetudinem imitari, apud quos, ut historiarũ produnt annales, annis singulis continua est quadraginta omnino dierum caligo, nullis intermicantibus radiis & Sole quasi sub terrâ sepulto. Cives autem, post diuturni temporis molestiam, lectos viros in montium cacumina mittere solent, ut sideris benefici primam lucem claritatemq; de longè promicantem conspicantes ad se referant, revertanturq;. Illi igitur è summis verticibus orientem Solem excipientes & suavissimâ voluptate pleni, cùm redeunt in Urbem, quasi prodromi claris-

simi luminis, civium omnium plausu maximo excipiuntur. Ita (non profectò ignota loquar) omnes hactenus anxiè hoc desiderium tenuit audiendi nova de novè electo Rege (& eum esse futurum VLADISLAUM sermo omnium perhibebat): de quibus quum nuncius advolasset ad aures nostras, gratulationes populi haud infrequentes, plaususq; fuere tam intenti, quàm qui potuerunt esse intentissimi. Communis utiq; ea vox audiebatur, profectò hoc affectu sensuq;: Salve, salve, post tenebras interregni dispulsas, lux lumenq; nostrum, VLADISLAE SIGISMUNDE.

Quanquam nescire neminem volumus, præter morem tralatitium, & aliis nos argumentis esse impulsos ad id omne genus solemnitatis peractæ. Quæ ne lateant, summâ vocis contentione proclamare audemus: Optima quæcunq; atq; applausu tanto digna nos sperare & polliceri nobis de VLADISLAO. Firmat animum nostrum bene consulta electio tot Procerum ac numerosæ nobilitatis, deniq; nostra eo in loco, quem fidelitate nostrâ, tam Regum autoritate, quàm Primorum applausu adstipulante, tantùm non jam ante duo secula obtinuimus. Quicquid autem aliis, iisq; nec indoctis nec imperitis videatur, quòd successio sit electioni longè anteponenda (cujus litis contentiosâ exagitatione nunc non lubet interturbare serenitatem festivitatis nostræ) meo judicio, magnam autoritatem electio electo conciliat, eundemq; subditis mirum in modum commendat: ne dicam, quòd unâ eâdemq; operâ spemq; fiduciamq; in animis eorum accendat. Succedunt quicunq;, qui Regio tantùm sunt prognati sangvine: at deliguntur, si res sit nostræ optionis (ut in nostrâ est electione) nonnisi virtute condecorati. Ibi fortunæ ludibrium in infantem,

quan-

quandoq́; in puerum, in imbecillis animi hominem ſummam rerum transfert: quâ luctuoſâ ſucceſſione acerbius nihil. Quod ſi enim gubernatori navis, utcunq́; præſtanti, filium rudem in ſucceſſionem non ſufficimus, ne, quos ille ſervavit, iſte evertat: nec Philoſophiæ Scholam proximus, exſtincto Præceptore, ſed ſapientia ſimillimus excipit: cur regnandi unam artem, præceptorum pleniſſimam, & ex cujus erratis omnium pernicies pendet, pueris trademus? qui, ſi hereditatis jure habent, ut regnent, ſubditis eodem jure, ut pereant, relictum eſt. Haud difficile foret, quæ dicta ſunt, exemplis communire; ſed, quum obvia ſint, quid opus eſt, vulgatiſſima memorare? Contrà ſuffragiis eligentium vix alius renunciatur, niſi qui judicatur, quoad humanitus proſpici poteſt, idoneus ad frena capeſſenda: nec niſi vir, isq́; animo virili prædi-tus, & Regiis inſtructus ornamentis. Si mutari mores electorum quis oggerat, ut Saulis, Neronis & Galbæ exempla teſtantur: audiet, homines ab hominibus eligi, quos fallere & falli ab humanitate non eſt alienum. At nec ii, qui ſuccedunt, ſpei conceptæ ſemper ſatisfaciunt, aut perpetim inſiſtunt anteceſſorum veſtigiis: quippe quos, cùm ſceptra arripuere, haud rarò virtutum incurioſos deprehendas, propter quas ipſorum majores ſunt ad regimen evecti. Neq́; juvandi ſunt calculo, qui ajunt, litigioſas ferè eſſe electiones: quas ut fateamur tales eſſe non ſemel, audiemus tamen, quid dicturi ſint ad eam, qualis noſtra fuit VLADISLAI. Qui quidem planè omnium voluntate & voto in Parentis locum ſubvectus eſt, ut contradicentem habuerit neminem: quaſi, cœleſti oraculo, citra ullius invidiam, applauſu verò nullius non. Videri poteſt, ad hoc faſtigii natum eſſe VLADISLAUM. Nam nec in Poloniâ temerè diſceditur à ſtirpe

masculâ, si qua exstat: sed, jure moreq; nostro, eligi potiùs debuit VLADISLAUS, ut tot haberet testimonia, quòd sibi ob virtutes Regnum debeatur, quot habuit suffragia. Virtutis videlicet munus esse debuit corona; non fortunæ. Quo honore, quâ gloriâ cogitari nequit ulla præstabilior. Certè Regiâ dignitate majus est, tantæ dignationis solio ab omnibus dignum censeri. Quum multi sint, qui aliorum virtutibus debent Regnum partum, non meritis suis. Juventam sanè suam, & eam, quâ ingressus est, virilem vitam ita instituit VLADISLAUS, ut speciminibus egregiis undiq; exhibitis oculos omnium in se rapuerit: quem nemo non Patri, si quid ei accidisset humanitus, diceret esse surrogandū. Adeo, velut facile fuit Apollonio Tyaneo (quem gentilitas stultè credidit Numen habere) veluti ex oraculo dicere, cùm Vespasianum audiret sumo mane dare operam negotiis, eaq; studiosissimè conficere; Vir iste imperabit: ita huic comparandos omnes istos divinatores autumo, qui nunc in digitos pedum se surrigunt, quòd maturè prædixerint, Regem nos habituros VLADISLAUM, quem viderunt, ista agitare animo, quibus suam Regno probaret industriā. Prudentium atq; sapientium hominum est celeris divinatio, inquit alicubi Peripateticorū Coryphæus. Vates tamen hos dicamus, ex veteri apud Græcos jactato versiculo, quòd optimè conjecerint. Severiam profectò & Cernihoviam, Balearidum more, occupavit partas. Quorum ea laus Balearidum circumfertur insignis, quòd nemo inter eos, quum pueri essent, alio sit cibo usus, quàm quem perticæ illigatum fundâ dejecisset. Ita jussus erat VLADISLAUS à Parente acquirere Marte proprio Ducatus Severiæ & Cernihoviæ: quos etiam cùm subjugavit, Ducatuum istorum & Severiensis & Cernihoviensis,

ensis, Administrator laudabiliter hucusq; audiit. Et observata sunt hæc VLADISLAI ornamenta non domi tantùm, sed & foris: ut & Imperator & Pontifex alium nullum SIGISMUNDO sufficiendum commendârint, quàm hunc ipsum. Quod uterq; tam per literas, quàm per Oratores suos copioscè prolixeq; accurârunt: præcipientes, istum in modum se optimè Regni saluti pro more & amore consulere. Quorum si jungas quidem elogia suffragiis nostris, ita VLADISLAUM exornant, ut nulla corona, nec purpura, nec sceptrum Regem ullum decorare possit magis. Sed quoniam hæc publicè nota sunt, frustra iis percensendis immorer diutiùs.

Aliud argumentum VLADISLAO applaudendi ex ipsâ re nobis occurrit. Adde enim, quod caput rei est, in electionibus locum esse divinæ virgulæ, cujus tam insignis in successionibus significatio non est, tum vel novâ hac ratione cum successione certare de dignitate *potest electio. Fit enim in hac*, ut Regnum capessat, *quisquis editus est atavis, avis, aut parentibus Regibus*, quod fortuitum esse, nec ultrà æstimari scribit gravissimè gravissimus autor Tacitus: non item sanè in illâ, ubi virtutis multò potior, quàm sangvinis habetur ratio. Illicq;, quod mage mireris, & rerum summarum potestas in fœminas cadit; de quibus tamen ut ingeniose ita verè non nemo:

Apta quidem telæ est, sed inepta est fœmina telo:
Indignumq; viris subdere colla colo.

Etsi quidam ejus jugi minimè sunt impatientes, utpote apud quos exemplum est admodum felicis & longè præclarissimæ administrationis muliebris. Qui tamen, si sapiunt, vel non interruptam Regiæ prolis masculæ se-

riem

riem ſibi apprecabuntur, vel, re & fatis aliud ferentibus, cum errore naturæ, Viras Viraginesq́; tales, qualis Eliſabetha fuit ſexum ſupergreſſa. Quare ſi fiat, ut degeneres in majorum loca ſuccedant, iſto animo ſunt toleranda eorum imperia, quo & ſterilitas & imbres nimii, cæteraq́; mala: cujus generis pharmacum laudatus autor eò propinat. Longè verò aliter atq́; multò tantò melius ſe res in ſuffragatione liberâ habere deprehenditur. Nutus enim ibi divini, velut rerum arcanarum certi indices, ferè obſervantur: ut id decantato Piaſti exemplo è commentariis Polonicis depromto docere poſſem, niſi alterum ex ultimâ Tyriorum vetuſtate gravius videretur, idq́; ejus generis, quod feſtivam hancce panegyrim, meo animo, poſſit multâ jucunditate, tanquam bellum acroama, perfundere. Tyrum (ut memorat Juſtinus) urbem Phœniciæ multò clariſſimam, inopinata ſervorum conſpiratio oppreſſerat, ita, ut cuncti ad unum cum ſtirpe perierint liberæ fortunæ viri. Servi verò rerum potiti, uxores & filias eorum, quos perdidere, ſibi jungunt matrimonio. Duo tantùm ex omni civium numero, ſenex nempe cum filio, eoq́; admodum puero, ob mite clemensq́; imperium herile, ſervi ſui operâ, cui manus parricidio contaminare religio fuit, ſunt occultè ſervati. Cæterùm accidit, ut, cùm primùm conſilia de creando Rege iniri cœpta ſunt, is, qui domini heriq́; ſui rationem habuerat, ad Stratonem (id nomen erat ſeni hero) rem totam detulerit. Conſtitutum autem erat inter ſervos, ut, qui eorum primus ſolem naſcentem poſtridie conſpicatus eſſet, tanquam ſuperis Rex gratiſſimus conſalutaretur. Itaq́; monet hominem de ſe optimè meritum Straton, inſtruitq́;, ut, cùm cæteri in ortum oculos intendiſſent, ipſe contrario ſtatu murorum & ædificiorum faſtigia, quæ aliquanto priùs à ſole feriuntur,

tur, reſpiceret. Id quod conſilii ſecutus, ante omnes, Soli ſ
à ſe animadverſum radium derepente à tergo demonſtravit. Cæteris in admirationem verſis ac ſcitcitantibus, cujus id hominis eſſet commentum (nam ſervile ut crederent, non potuerunt in animum inducere) coactus id eſt prodere, quod ab hero à ſe ſervato eſſet profectum, confeſſus. Vitâ itaq; Stratoni & filio ab omnibus conceſsâ, quem cœleſti quadam providentiâ ſibi eſſe ſervatum agnovere ſenem, in Regem conſtituunt, nefariæ crudelitatis in heros commiſſæ crimen religioſâ numinis obſervantiâ expiantes atq; purgantes. Quod qui non videt ex divinâ directione accidiſſe, nil videt. At non obſcura item circa electionem VLADISLAI divinæ voluntatis indicia ſunt palam animadverſa. Quorum unum haud poſtremæ notæ quidni potisſimùm in luce ponamus? Divinum eſſe quis neget, quòd omnium, omnium vota conſpiraverint in VLADISLAUM, ut nec unum de Regno ſecum contendentem habuerit æmulum. Si annales regni vel pauliſper replicare libet, inveniemus è veſtigio, non tam planâ & ſecurâ viâ ad ſolium pervenisſe Johannem Albertum, magni Principem animi & ingenii, filium Caſimiri Jagellonidæ, Patris & Patroni illius noſtri, quem piâ perenniq; memoriâ ſemper proſequemur, beneficentisſimi. Nempe, poſt hujus obitum, varia utiq; Procerum erant in Comitiis, quæ Regis creandi cauſsâ tum Petricoviæ celebrabantur, in Regis defuncti filios ſtudia. Propter ætatis prærogativam & ſpecimen virtutis bello Tartarico editum, Johanni iſti Alberto favebant pleriq; : alii tamen Alexandro, natu proximo: pars Sigismundo juniori Regnum addicebant. Ad ſummam, variæ & validæ erant undiq; rationes: ſed motus inde acriores. Tandem verò Johannes Regnum am-

bire neceſſe habuit armatis pronubis, quos & ipſe collegerat, & mater in præſidium, velut auxiliares copias, ſummiſerat; idq; demum ſuffragiis Procerum exambiit, ut & populi foris circa comitium ſtantis clamore adjutus. Repetamus etiam vel leviter memoriâ (nam horret animus tacitos caſus meminisſe) quàm difficilis Sigismundo Parenti ad Regnum fuerit aditus. Ut verè dici posſit, eum longè meliori fortunâ idem filio reliquisſe, quàm ipſe nactus eſt. Quod ſanè nonniſi fato fieri, nemo inficias ibit, ſi non qui rerum harum curâ ſupremum Numen tangi profanè negare audeat.

Sed ut præſens hæc in electione VLADISLAI conſenſio ſine dubio ad divini arbitrii normam eſt compoſita: ita non deſtituta eſt humanis rationibus, quas ordine expoſitas vix parùm juvabit admirari. Cùm enim primò quàm optimè vellent Reipublicæ conſultum Electores, nihil invenere conſultiùs, quàm ut Parenti Filius, SIGISMUNDO VLADISLAUS SIGISMUNDUS, liberâ, ut præclarus atq; multorum ſeculorum uſu firmatus mos in Poloniâ tenet, creatione ſufficeretur. Attentum ſcilicet, & ſubditis fore gratum, in quorum omnium eſt oculis, & finitimis venerabilem, utpote quem ſtudioſè Regno commendatum ivere, & barbaris reverendum, quos ejus tyrocinia minimè latent, hoſtibus autem, ſi qui ſunt, aut (quod omen Deus avertat) ſunt futuri, facilè opponendum. Quin & mentem Patrum commoviſſe videtur defixis altè radicibus conſtans Polonis ſemper charæ ſtirpis Jagellonicæ reverentia, quæ non minùs iis facilè cõmendabilem reddidit electũ, qàm quibuſcunq; Polonici ſagvinnis amabilem efficiunt duo iſta prænomina, quibus ſalutatur Rex Dominusq; noſter Clementiſſimus, VLADISLAI nempe alterum, alterum SIGISMUNDI.

Ita

ſta enim legimus, Regilianum, ſub Imperatore Galieno, à Mœſis eſſe dignum viſum, cui ſceptra faſcesq; deferrentur, quippe cui nomen eſſet ipſum Regificum. Cùm enim in cœnâ quæſitum eſſet, à quanam origine nomen Regiliani deſcenderet? ac reſponſum fuiſſet à Regno vel Rege, cujus varia eſſet per caſus flexio, ita ut dicatur Rex, Regis, Regi, deſcendente inde porrò nomine Regiliani; ecce oppidò milites id ominis & nominis arripuerunt exclamaveruntq;; ergò Rex eſſe poteſt, ergò regere poteſt: Deus ipſi Regis impoſuit nomen, ſit Rex noſter. Neq; abſimile eſt alterum, aut ab inſtituto hoc alienum, quòd Antonini nomen, ob unius illius memoriam, qvi pietate ſuâ ſibi agnomen Pii comparavit, tam carum charumq; Romanis fuerit, ut Imperatoriæ dignitati impar cenſeretur, qui eodem non inſignitus eſſet nomine. Quanquam id demum Antoninus Eliogabalus ita vitiis ſuis collutulârit, ut planè inviſum eſſe cœperit. Quid mirum ergò è Summatibus unum vel alterum ad bona illa & fauſta nomina VLADISLAI & SIGISMUNDI reſpexiſſe: cùm talia in mentes hominum omnium neſcio quâ arcanâ ſuavitate ſe inſinuare facilè ſoleant. VLADISLAI quidem nomen memoriâ aliquot Regum eſt celebre, ac præſertim VLADISLAI Jagellonis & VLADISLAI alterius Jagellonide nati, optimorum, ut uno verbo dicam, Regum. Inter SIGISMUNDOS autem primus eâ fuit & mentis & corporis firmitate præditus, ut illius ope & injuriarum obliviſci & adverſas res nullo negotio tolerare potuerit; hujus verò, tam ferreas equorum ſoleas, quàm chartularum luſoriarum faſciculos levi manu diſcerpere. Quem excepit SIGISMUNDUS Auguſtus, longè plurimis ornamentis egregius. Poſt hunc ſecutus eſt, tam Henrico, quàm Ste-

phano

phano decedentibus, SIGISMUNDUS III. qui nisi sibi multò simillimũ filium reliquisset, sempiterno in animis nostris reliquo desiderio confici nobis contigisset. Ad quem modum nomina Regis Dominiq; nostri pensitata fuisse, non est adeo incredibile. Sed dictæ familiæ paternæ dignitatem & bonitatem vel cumprimis esse spectatam, nihil est credibilius. Namq; eo nomine Pater planè quæsitus, eq; Sueciâ advocatus, cùm natum esse constaret Patre Johannne III· Rege Sveciæ & Catharinâ Jagelloniâ, SIGISMUNDI, filiâ. Videtur enim esse persuasum optimatibus, quicquid sit Jagellonicum, valde prodesse Reipublicæ. Et profectò à Jagellonis regno, velut ab optimo auspicio, semper aliquid accesit felicitati & amplitudini Regni Polonici. Ut minutiora non persequar: Vladislaus, familiæ caput, thesauris suis auxit ærarium Polonicum, & Lithvaniam, alterum Regni oculum, corpori inseruit. Sub Casimiro Jagellonide nos ad idem Regnum accesimus: cujus tutelam atq; patrocinium adversus Cruciferos, quòd miserè nos cruciarent, imploravimus. *Sigismundo I. regnante*, Prussia Orientalis, formâ Reipublicæ in Ducatum commutatâ, tota ab Imperio Romano avulsa, in clientelam Ejus concesit. Sigimundi III. industriâ, Smolenscensis Urbs recuperata: quam frustra ingentibus copiis antea obsederat Basilius, portentum hominis, nec unquam eam intrasset, *nisi* aureo fuisset asino vectus. A VLADISLAO autem, jam Rege Dominoq; nostro, Severiæ Cernihoviæq; Ducatus amplisimos & rebus affluentes omnibus esse occupatos, suprà cum laude commemoravimus. Quid non speremus ulterius? Nimirum ut occulto crescit arbor ævo, canente Poëtâ valde bono, fixa firmiter ramosq; latè extendens: ita felicisimè valde familia Jagellonica exsurrexit;

rexit, & admodum nobili accesſione auxit Poloniæ pomœria, augebitq;, ut ominari fas eſt, ſemper. Quod quum, ſicuti par fuit, penſi eſt habitū, nil mirum, vix difficilem fuiſſe deliberationem, ut ad VLADISLAUM, tanquam ad pulcherrimè effloreſcentem ſurculum Jagellonicum Regni Patres ſe reciperent, inde eum fructum ſperantes, qui ſibi & Regno ſit ſalutaris & utilis.

Ad ultimum autem (videtur enim me ſermo præter ſpem in tam ſvavi, ut ut etiam ſatis gravi, argumento protractus ad finem vocare) noſtri ſuffragii cauſſas illas penitiores attexere neceſſe eſt, quas nonniſi admodum ſuccinctè perſtringam, &, ut decet, abſq; fuco & cerusſâ. Quorſum enim aliò AA. noſtri nobis vertendi fuiſſent & oculi & animus, quàm ad ſpirantem vivamq; SIGISMUNDI effigiem? Ejus ſanè, poſtquam nobis eſt fato ereptus, ſemper obverſata eſt ante oculos memoria & imago: hærebamus in conſideratione bonitatis & ſuavitatis Ejus, quæ nunquam non ex omnibus SIGISMUNDI verbisq; actisq; eluxere. Conficientes igitur nos amiſſi Parentis (quem ita ſæpius nominare ſummum fas duco, quòd eò ſemper ſit viſus collineare, quò Pater potiùs videretur, quàm Rex) admodum triſti & luctuoſâ recordatione; ecce Numinis conſcientiæq; inſtinctus nos ad VLADISLAUM reſpicere juſſit, in quo viveret SIGISMUNDUS. Nam in eum quoq; modum facere ſolere conſtat viduas in orbitate relictas, quæ ab intuitu liberorum, in quibus mariti lineamenta conſpiciunt, doloris acerrimi ac intimis in medullis hærentis ſolatia quærunt. Ac cùm eo, quo Pater ſolebat, comi blandoq; vultu, quo illuſtravit Urbem noſtram, cùm hic quondam gratus hoſpes fuit, ac ſingulari quadam vi & virtute ſibi animos omnium de-

vinxit, ſe nobis objecisſet VLADISLAUS, nihil antiquius ac magis in votis habuimus, quàm ut cœlitus nobis Rex obtingeret, à quo nobis tuto polliceri posſemus optima quæq; ac univerſæ Civitati maximè proſpera. Itaq; cùm ſuffragio esſet colendus noſtro, nihil alacriùs eſt à nobis dictum unquam, quàm VLADISLAUM nos votis omnibus optare Regem atq; Dominum. Neq; exprimere verbis facilè posſum, quis ille ſenſus animi noſtri fuerit, cùm hoc vel tacitè cogitavimus, vel quo perfuſi ſumus, quum Amplisſimi Urbis Legati (quibus de reditu tum ſalvo, tum Urbi optato atq; fortunato, totius Patriæ nomine meritò jureq; gratulamur) ad nos & electionem Regis exoptati retulere, & quantam nobis Rex novus ſpondeat benevolentiam gratiamq; Regiam, votis penè majorem. Ignoſce tamen, Sereniſſime Rex & Domine, ſi hæc, quæ ſatis ſit privatim noſſe, divulgem publicè atq; commemorem, ut, quâ ratione nos Tibi adjunxeris, intelligant omnes. Ut paucis apud Te, non inſcius, pauco eſſe apud Reges Dominosq; utendum ſermone, dicam: perſuaſi ſumus, habituros nos in Te SIGISMUNDUM, hoc eſt Regem Patremq; & optimum & benevolentiſſimum. Neq; unquam, ſat ſcimus, nos fallet hæc tam præclara de Te concepta exiſtimatio, cui certè perpetuò obludent ante animum SIGISMUNDI Genitoris Tui décora. Et hic quâ in nos fuerit voluntate, ignorare non potes, quòd ejus conſiliis ſæpe interfuiſti, & lateri, quaſi aſſiduus comes, adhæſiſti. Altiùs etiam ſuſpiciens oculos Tuos referes ad inclitam charitatem CASIMIRI Noſtri; cui ante omnes debemus, quòd immunitatibus præſtantibus ſimus ornati communitiq;. Quæ exempla tum recentia, tum vetera, etiam nobis nil monentibus, ita Te inflammabunt, ut ne

vel

vel latum ungvem ab iſtis majorum veſtigiis deſiſtas, quorum memoriam tam præclara Eorum facinora atq; merita nunquam apud Urbem hanc ſeneſcere, nedum interire & exſpirare ſinent. Fave itaq; & complectere nos benevolentiâ Tuâ, quos virtutibus Tuis, eorumq; ſpeciminibus ipſâ Solis luce lucidioribus, ita Tibi devotos reddidiſti, ut crediderimus, peccaſe nos graviſsimè, niſi clementiæ Tuæ ſubjecisſemus bona fortunasq;, & ſalutes noſtras. Securè Tibi polliceri de nobis potes, quicquid exſpectari debet ab optimis paratisſimisq; ſubditis. Preces ſanè civium omnium pro ſalute felicitateq; Tuâ habebis aſſiduas, atq; inprimis Deo dicatorum hominum, quorum ſi non tantus eſt in Urbe noſtrâ numerus, atq; in aliis caſtris, omnes tamen Tibi flagrantisſimè precantur diuturnitatem vitæ imperiiq; felicisſimam. Declararunt hoc nuper publicè ſatis in concionibus tam divinæ quàm Tuæ Majeſtati votis, quarum hæc ferè ſumma erat, ut ſapientiâ ſis Salomo, felicitate Nebucadnezar, cùm in divinâ fuit gratiâ; precibus maximè fatigato Numine, ut & Tu pulcherrimâ Optimi Regis & nos ſimilem bonorum ſubditorum formam exprimamus. Quibus ego ex iſtâ familiâ poſtremus addo breve quidem, at ſeriò ſerium votum: Vive, vale, vireſce, vigeſce VLADISLAE SIGISMUNDE, Rex inclyte, ut Te DEUS indies dotibus Regiis magis magisq; exornet! Sis Boleslaus Audax, Miecislaus ſapiens, Caſimirus Juſtus, Henricus Probus, Caſimirus item Magnus, & Sigismundus longævus, laude deniq; quacunq; floreas, quæ celebratur in anteceſſoribus atq; majoribus Tuis! Similiter ad unum omnium, qui mœnibus noſtris continentur, fidemq; conſtantiamq; in periculis & ſtudium in obſervantiâ, & promtitudinem deniq; bonorum ſanguinisque, pro Tuâ Regniq; incolumi

tate,

tate, in necesſitate quâlibet, & quicquid eſt honoris, quod Regibus debetur, polliceri Tibi potes maximè. Verbo dicam, ſi magnificentiores habeas inter Tuos, Tui amantiores vix habes alios.

Poſtremò autem omnium, ad Te, Rex Regum Optime Maxime, revertor Oratione meâ, poſtquam Eum contemplati ſatis ſumus Regem, quem à muni benignitate Tuâ habemus: mecumq; ad Numen Tuum ſuppliciter adorandum tota ſe hæc concio iterum componit. Obteſtamur Majeſtatem Tuam, & omni animi demiſſione rogamus, ut adeſſe velis ungendo coronandoq; Regi noſtro. Caput Ejus orna ſapientiâ, pectus prudentiâ, manus robore, conſcientiam timore Tuo, animum pietate, omnia deniq; membra flore vigoreq; diuturno. Flecte voluntatem Ejus in nos, ut ſit Ei grata fides atq; obſervantia noſtra: veluti omnino eſt in manu Tuâ cor Regis, ſicut rivi ſunt in poteſtate aquilegum. Fac, ut ille in Regni paterni ſedem eſt evectus: ita paterno animo ſemper invigilet commodis noſtris. Faxis etiam tandem, ut, cùm multos annos in hoc Regno feliciter exegerit, fide fiduciâq; in merita Salvatoris unici unicâ, filii illius Tui unigenæ, æternum Regnum obtineat. Pariter autem Tibi devotâ mente commendamus Rempublicam atq; Civitatem noſtram, magnâ fortunarum parte imminutam. Fatemur equidem, inſigne hoc eſſe Urbis noſtræ ornamentum, nonniſi providentiæ Tuæ cœleſti, ac Regum noſtrorum laudabili clementiæ adſcribendum, quòd libero gaudeamus Tui cultus & præconii Evangelici exercitio: verùm adde tamen huic Tuo in nos favori, ut liberi ab inſidiis & inſultibus hoſtilibus priſtinâ felicitate & quiete fruamur. Fatemur quoq; libenter & debitè, ſi ſtatum noſtrum conferre velimus cum vicinarum Regionum ac Urbium oneribus, avara eſſe hæc vota noſtra; &, ſi peccata quoq; noſtra ſunt attendenda, quibus iram Tuam atq; pœnas juſtas bene ſumus commeriti, audacia: licita tamen eſſe videntur apud Te, benevolentiſſimum Dominum, qui paratus es veniam dare deprecantibus, & non rarò gratiam delictorum feciſti corruptiſſimis. Pacem da nobis Domine. Floreat intra mœnia noſtra pax aurea: pax aurifera; apexq; felicitatis Urbicæ. Procul ſint à Civitate noſtrâ annonæ caritas, peſtis, & quicquid eſt lernæ malorum. Fauſta ſint omnia, felicia, ſalva atq; proſpera, ſub Rege Novo, Pio, Juſto, Clementi, Forti, Felici. Fiat! In quo omine finio. Veſtram, AUDITORES, obſervantiam in Regem, quam confluxu & audiendi patientiâ teſtati eſtis, Ipſe approbabit, ſi de eâ inaudiverit quicquam: ut non opus ſit meo præconio.

DIXI.

GEDANENSIUM,

HUMANIORIBUS LITERIS FAVENTISSIMORVM,

HVMANITATEM,

AD LAUDES

I° GERMANICÆ LINGVÆ;
II° TYPOGRAPHICÆ,
III° BOMBARDICÆ,
ARTIS VTRIVSQVE A TEVTONIBVS INVENTÆ;
IV° ALEMANNICÆ POESEOS;

AUDIENDASQVE APPROBANDASQVE:

QVAE

TRINA DECLAMATIONE SOLUTA ET UNA VINCTA,

IN GYMNASII AVDITORIO MAXIMO,

DIE MARTIS PROXIMA, ANNI PROGREDIENTIS M. DC. XXXIII. HORA SOLITA ANTEMERIDIANA NONA,

GERMANICE

EXPLICABVNTVR;

JOHANNES MOCHINGERUS,

PERHVMANITER,

ADVOCAT,

P.

TYPIS RHETIANIS.

LECTORIBVS FAVENTISSIMIS

S. P. D.

JOHANNES MOCHINGERUS,

CONCIONATOR ÆDIS CATHAR:
ET RHETOR GYMNASII.

OFficiosè potiùs, quàm prolixè nunc invitandi estis, si non spernitis innoxiam voluptatem ex amœnâ literaturâ promanantem, ad audiendum quatuor Declamatores è ludo nostro prodituros. Quibus in mentem venit, concionem jucundis atq; suavibus quibusdam Oratiunculis mulcere. Illi enim, cùm sæpe à nobis accepissent, peream credi, eos tantùm in disertorum numero habendos, qui Romanè perorant; profectus suos in arte Oratoriâ, secundùm normam præceptionum nostrarum, aliquâ ex parte hactenus perceptam, declarare voluerunt speciminibus Germanicis. Atque Teutonicè dicturi audientur, proximâ die Martis, quæ Bacchanaliorum vulgò vocatur (utinam non sit!) ad horam antemeridianam IXam. Hoc quidem ordine non ætatis (cujus si alibi habetur ratio, quid hoc ad ludum literarium? ubi permisti juvenes adolescentibus certatim contendunt ad metam adultæ sapientiæ); nec familiæ (quam ut quisq; illustret potiùs, monitor sum, quàm ut ob ejus splendorem velit monstrari digito & dicier hic est); neq; deniq; literaturæ (cujus ad unum omnes sunt studiosissimi;) sed argumentorum, & quod ita visum est decens & congruum.

Primus prodibit IOHANNES MOLLERVS, LEORINVS SILESIVS, *cui vividi ingenij motus & quædam alia ad benè dicendum præsidia: is encomio ornabit linguam Germanicam.*

Secundus ADOLPHVS FRIDERICVS SCHLEZERVS, MEGAPOLITANVS, *qui jam aliquando publico cum applausu Latinè apud nos dixit: & privatim haud rarò. Hic* TYPOGRAPHIAM, *ejusq; autorem,* JOHANNEM GVTTENBERGIVM, *Teutonem laudabit.*

Tertius FRIDERICVS HENRICHSEN, GEDANENSIS, *ob ardorem & diligentiam in culturâ optimarum literarum egregiè commendabilis,* BERTHOLDVM SCHWARTZ, *Alemannum inventorem sclopetorum dignis laudibus efferet: adeoq; patrocinio sermonis tuebitur tormentorum, bombardarumq; usum.*

Quartus GEORGIVS NICOLAI ERASMVS, TYRIGETA, *qui propitiâ ferè Minervâ versus cudit funditatq;, sive Latinos, sive Germanicos: nunc scriptos quoque recitabit de studio Poëseos Germanicæ.*

Quo facto, missa erit panegyris. Spondeo breviter dicturos, sed &

sed & suaviter, nisi me omnia fallunt. Cæterùm vera mandaverit annalium monumentis suâ tempestate Cornelius: *Germani sine literis sunt:* hodie longè aliter se res habet. Testes sunt Bodinus Gallus, & Jovius Italus, parcissimi præcones laudum nostrarum, etiam cùm nobis eæ debentur: quibus veritas verba alicubi super eruditione Germanorum excussit. Verùm prodierunt & alij, qui scripserunt, Teutones inprimis alienos esse ab eloquentiâ. Cujus farinæ sunt, qui sunt commenti, repugnare felicitati disertitudinis acquirendæ ipsum aërem, cœlumq; Germanorum; indeq; evenisse, ut nihil disertum, nihil eloquens, nihil Atticæ, nihil Tullianæ elegantiæ unquam ex hac gente emanârit. Sed hoc figmentum explosit & confodit, disertissimus Tuiscones nepotum, Kirchnerus. Geminum est somnium eorum, qui spargunt, Teutonicam lingvam inopem esse, nec sat idoneam ad eloquentiam, ob naturalem scilicet ineptitudinem & tarditatem; qui nobis id persuadebunt nunquam. Quærant sibi alios homines. Edisserant enim nobis, amabo, quid requirant in disertitudine divinorum præconum, vernaculè apud multitudinem hodiè dicentium? Inter quos Coryphæus Lutherus sic scripsit, Sturmij, (Sturmij, inquam, gravissimi Latinæ Germanicæq; facundiæ censoris) judicio, ut meritò audiat Magister nostri sermonis, sive puritatem consideres, sive copiam. Ita quidem, ut principum consilia, judicia, scribæ omnes, Legati ac jurisconsulti Germanici hanc laudem tribuant homini Theologo. Idem ita è suggestu dixit, ut Florimundus Ræmundus, Gallus & Romanensis & Jureconsultus, in libro suo de hujus seculi hæresium Historiâ, memoriæ proditum reliquerit: Eum declamantem, velut œstro percitum, accommodatâ verbis actione auditorum animos mirificè perculisse, & torrentis instar, quocunq; volebat, abripuisse, &c. Hunc secundo cursu secuti sunt in sinceritate professionis & idiomatis haud pauci, neq; obscuri. Tum, quid disertius quibusdam Legatis, Senatoribus aut Patronis causarum, cùm fantur, ut nulli veterum cedere necesse habeant? Vnde & quidam, Cicerones, non minùs verè, quàm invidiosè dicti sunt. Itaq; haud falsò dixeris, in subselliis sacris & profanis hodiè regnare eloquentiam Germanorum. At mascula est iisdem, non usq; adeo fucata, ut Græcis: neq; ita affectata, ut Romanis Græcisantibus; sed quæ moribus gentis sit accommoda. Non respuit equidem sermo noster schematum pigmenta: aut proprietatis & puritatis nitorem: vel vocabulorum feliciter aut suaviter junctorum gratiam: aut phrasium copiam & pictam varietatem: aut periodorum dignitatem: sive alia quæcunq; comti sermonis décora. Id exempla testantur, ut verbis non sit opus; sicuti nec face in sublustri nocte. Etsi non inficior, malè illos consulere honori sermonis patrii, qui centones malè consarcinatos ex exoticis lingvis temerè ostentant, quoties duo triave verba loqvuntur, adeoq; omnia susq; deq; habentes miscent. Vtinã verò prodeant tandem aliquando viri auctoritate graves & dicendi gloriâ celebres, qui viribus & lacertis suis refringant hanc miscellè bla-

blaterandi consuetudinem! Putavit sanè Mysta divinus, Finkius, non esse inferius dignitate Theologicâ, super hac re in fermento esse, & invectivam attexere canonibus editis ad scripturam illustrandam. Quemadmodum exemplo suo nos pellicere vult ad vernaculi sermonis castimoniam Opitius, quem Virgilium Germaniæ meritò dicendum esse autumat Polyistor & amicus noster singularis, Berneggerus, Argentinæ decus. Cavebimus quoq; & nos, ne ad hunc lapidem impingamus in habendis Orationibus. Quod ergò gratum sit omnibus, sistent se laudati Declamatores ad diem, horâ adsignatâ, in Gymnasii nostri auditorio majori: periculum facturi, si Vobis placere possint, Viri humanioribus literis faventissimi: Vos, sistite Vos quoq; vel pro more Vestræ benevolentiæ familiari, vel amore nostrî; quos oro quoq; rogoq; juvenum gratiâ, qui putant magnum sibi calcar ad majora additum iri, si Vos applaudentes habuerint. Valete. Scripsi die V. Februarij

ANNO M. DC. XXXIII.

GEDANI.

DE OVO,

TYROCINIA DECLAMATORIA TRIA,

TRIBVS IDIOMATIBVS

A CLASSIS SECUNDÆ RHETORISTIS TRIBUS,

DIE XII. *MENSIS PRÆSENTIS OCTOBRIS,*
M DC XXXIII. ANNI HVJVS LABENTIS,
HORA, ANTE MERIDIEM, NONA,

EX INFERIORE AUDITORII IN GYMNASIO MAJORIS SUGGESTO,

EDITUM IRI.

PVBLICÆ VRBIS NOTITIÆ INSERO;

ET AD TYROCINIUM EORUMDEM

TAM AVSCVLTATIONEM, QVAM CENSVRAM,

LITERATOS CIVITATIS VIROS,
LITERISQVE CONSECRATOS ADOLESCENTES,
MAXIMOPERE STUDIOSE,

INVITO,

JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR.

INTIMATIONE HAC PVBLICATA

EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.

LECTORI S. P. D.

J. M.

RHETOR GYMNASII.

EXspirasse tironum exercitationes in palæstrâ nostrâ Oratoriâ nonnemo cogitabit. Verùm frustra est: nobis atq; Musis privatim ludos fecimus. Nunc in lucem & theatrum, studiosissimis hominibus implendum, inducimus è turbâ secundi ordinis palæstritarum nostrorum tres specimen aliquod edituros: qui ut aures oculosq; teneant, periculum facturi sunt omni studio & contentione. Argumentum dicendi habent amœnum, nec illiberale meo sensu: & si fastidiosiori cuidam videri possit è trivio petitum. At neq; decantatum ita est, ut prælium ad Salaminem. *Ovum*, inquam, *laudabunt*. De regibus, de pugnâ Marathoniâ ut dicerent, visum non est probabile. Nihil istorum viderunt tirunculi, nec ferè capiunt. Neq; de Ovo suo tamen ea in medium prolaturos esse prædico, quæ Themistius aliquis, qui Philosophiæ subtilitatem cum dicendi ubere copiâ, ut cum auro purpuram, immiscuit, exponere nobis fortè posset. Verùm explicando, quantillum in promptu est, experiri volunt, an possint vultus spectabilium audientium, quos sæpe viderunt illustrare parietes Lycei nostri, ferre? Meo consilio, hortatu & imperio id audent. Quippe partium nostrarum esse tenemus; maturè ingenerare animis adolescentium, qui imbui debent purpurâ eloquentiæ, audaciam illam, seu animi magnitudinem: quâ quoniam caruit Isocrates, scripsit, quàm habuit Orationes suas, melius. Ipse verò rerum intelligens doctor doceri eam volebat, si à præceptoribus dari posset, & si ei præmii loco solvenda essent decem millia minarum, hoc est, aliquot millia aureorum. Papæ! Ad actionis quoq; decus tempori allicien-

dæ

endæ ſunt avidæ mentes: quod Romanis videtur in mente fuisſe poſitum, qui cœnæ tempore, cùm ſecundæ menſæ inducebantur, docti Platonis dialogos á pueris ad pronunciationis venuſtatem informatis recitatos oculis auribusq́; hauriebant. Noſtris puſionibus familiaris equidem exercitatio nõ abſimilis eſt, & in digniori quoq́;, & à religione commendabili argumento; verùm, quod pace elegantiorum dixerim, quæ miſerè pædagogicis recitatorum ſonis ac quaſi neniis turpatur. Reliqua, ut ad noſtros palæſtritas redeam, quæ proment, aut noſtra ſunt, aut Phœnicis literati, Erycii Puteani: qui ovum Latinâ Oratione ita depinxit, ut ſtatuâ dignus videri poſſit, cum inſcriptione veteri: REGI ELOQUENTIÆ. Nemo, ſat ſcio, leget ejus meletema, ſine honeſtæ voluptatis intimo ſenſu. At quoniam largiùs extendit encomium hoc, nos contractius recitatoribus tradidimus. Ad iſtum ſcilicet modum (cujus è re præſenti in mentem venit,) quo ova à melioris notæ matribus prognata aliis inferioris genii ſupponuntur, ut prole generoſioris proſapiæ beemur: quod in eorum, quæ claſſicos autores habent, cum adoleſcentibus communicatione exprimere uſu adeò non alienum eſſe videtur, ut videatur commodiſſimum. Illi ea recitatione facient ſua. Si induſtriæ & voto noſtro non reſponderint, cùm audientur publicè, tacitè cogitabimus, quod luſit Epigrammatum conditor ferè ingenioſior, quàm probior, in argumento conſimili:

Quem recitas, meus eſt, ò Fidentine, libellus:
Sed malè cùm recites, incipit eſſe tuus.

Verùm abſit malum omen. Quicquid tamen accidet, ſpe firmâ ſum, ut amore incenſi glorioſæ rerum animorumq́; Dominæ eloquentiæ eam unicè impoſterum amplectantur & ad Oratoriam laudem, deinceps valde incumbant. Quibusdam enim feliciter quoq́; evénit ignominia: ut Adriano, de quo Spartianus. Tres ſunt dicturi. I. HEN-

I. HENRICUS MöLLERUS, Gedanenſis, qui Latinè perorabit.

II. JOHANNES GEORGI, itidem noſtras, Germanicè ad eundem ſenſum dicet.

III. WENCESLAUS JARZYNA, Polonus, Polonicè omnia reddet.

Cùm enim idiomata iſta tria apud nos uſu creberrima ſint, ſi recenti, at vix improbabili exemplo eloquentiæ experimenta in iisdem inſtituantur, haud jure reprehendi poteſt. Si qui tamen ſunt, qui aliter ſentiunt, liceat mihi quæſo ab iis diſſentire. Aliud eſt adſpirare ad gloriam dicendi in ſcholæ umbraculis; aliud in clariſſimâ luce hominum non inveſtium. Qui hoc decus attigere, dicant ſententiam. Audiemus. Noſtri ad diem XII. hujus menſis horâ IX. ex inferiori diſcentium ſuggeſto, in auditorio majori, velut poſt tabulam, dicent aucupaturi judicia. Quibus verò commodum eſt, honorificâ ambulatione ad domicilium Muſarum noſtros probabunt conatus. Ad quos inprimis ſpectandos cenſendosq; invito Amplisſimos Phrontiſterii noſtri curatores, opellarum noſtrarum cenſores; quibus rem feliciter agere! Valete omnes, & idem mecum precamini. Gedani, ANNO M. DC. XXXIII. die VIII. Octob:

GEDANENSIS URBIS
OCELLI;

VNIVERSI AC SINGVLI
LITERARVM PERITISSIMI
VIRI,

LITERARVMQVE STVDIOSISSIMI
ADOLESCENTES;

(SI COMMODO FIERI POTEST VESTRO,)

ADESTE

PROXIMA APRIL: XXIX HVIVS M DC XXXIV. ANNI,
HORA IPSA DECIMA,

IN GYMNASII NOSTRI ACROATERIO AMPLIORI,

PROPENSAS PRÆBITURI AURES,

HENRICO MARTINI,
GEDANENSI,

DE CONSVLTATIONE,

CIRCA VITÆ GENUS SAPIENTER ELIGENDUM,
RECTE INSTITUENDA,

ORATORIO MORE EDISSERERE CVPIENTI:

QVO NOMINE

VOS

HVMANISSIME ATQVE OFFICIOSISSIME
ROGANS ADSVM

JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR.

EX OFFICINA RHETII TYPOGRAPHICA.

S.

ADvocandi mihi iterum estis in Athenæum nostrum ad declamationis pompam ornandam, quod vix multo verborum apparatu faxo, ne fortè morer quenquam; nec ambitiosè etiam, quanquam id seculi nostri libido exoptet; neque ita aridè tamen, ut vetus fuit formula: Venite & dicenti aures præbete. Exponam hoc amplius, quid & quis dicturus sit: Vos, si vultis, convolabitis. Argumentum, inquam, erit non è trivio illud petitum, quod in circulis tamen nec injuriâ perstrepere deberet: maturè scilicet eligendum aliquem vitæ scopum esse, ad quem destinanda sint omnia studia & cogitationes, ac, quod rarius &, ni fallor, magis ad sapientum palatum erit, discendum esse à teneris, quæ ad anticipatam informationem faciunt, ne quis in metâ figendâ aberret. Gravis atq; digna tractatione materia, nisi me omnia fallunt. Absq; hoc sit, *quisquis vivis*, aut studes, ardelionatus infamiam & incommoda vix effugies: sed nec patriæ, cui nascimur, teste Romano Consule & Rege Oratorum, utili tibi esse licebit. Vix operam quoq; ludam, si dixero, quàm opportunum videri hoc debeat, in theatro Urbis nostræ (utinam vel Orbi dicere liceret!) ad audiendum explicasse. Quàm proh dolor! hodie nullæ, aut stultæ super hac re cogitationes! Fatis se multi tradere putant; at fatuis veriùs sese immergunt occasionibus. Alii gloriæ, alii divitiarum Helicen sibi hic ob oculos ponunt: alii, quorum magna hac tempestate messis est, quia vident hoc turbulentum seculum milites multos colligere, militiam malitiamq; miseri eligunt. Omnes hi, nisi alium colorem afferre habeant, inconsultè: quidam impiè. Quique parentum, aut agnatorum, aut familiarium exemplis tantùm aliquid audent, nec illos, ni digniorum cogitationum habita

bita sit ratio, sapienter usquequaq; facere censendum est. Etsi enim demus, id aliquando feliciter contingere, accidit tamen quoq; secus. Naturæ semina, ut ille ait, muniorum dignitas & honestas, patriæ salus, suprema lex, vix in deliberationem eheu! veniunt. Hinc periculum est, ne hoc universi pulpitum exhibeat ineptos plerosq; histriones, qui, quo consilio susceperunt personam suam, eopse eam sustinent, hoc est, nullo. Mihi semper arrisit illud solertissimi repurgatæ professionis in fide primipili nostri, Martini; *Inter homines ad aliquem ordinem vitæ aptos natosq; & factos, vel mage fictos, magnum discrimen esse.* Sapienter! Neq; improbabile cuiquam videbitur illud Celtibericum, quod omnium pace ad intelligentium gratiam & voluptatem apponere liceat:

Mas vale puñado de natural, que almoçada de sciencia. Id est: plus valet naturæ pugillus, quàm scientiæ modius. Prætereo alia, quæ non sunt minoris momenti. Sed nec suasores oculati in consultationem vocantur, neq; qui veniunt, satis semper sunt Lyncei. Formatorum juventutis equidem est explorata habere ingenia, & fideliter suam aperire sententiam. Alterum celebratur in Rhetore Constantinopolitano, miro illo in auditorum indole dignoscendâ artifice Libanio: alterum in Apollonio Alabandense, itidem dicendi magistro, qui, quanquàm mercede doceret, non tamen patiebatur, testimonio Ciceronis, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere; verùm dimittebat eos, & ad quam quemque artem esse putabat idoneum, ad eandem impellere atq; hortari solebat. O factum benè! Sed & in consilia tam fidorum consultorum veniendum est. Nam frustra surdo fabulas. Imò par est credere, interesse Reipublicæ, ut foveantur cives ad artes ingenio quorumcunq; & bono communi congruas. Verùm abrumpo; ne Orationi conciliaturus audientiam, lectoribus fatigatis Orationem effudisse videar. Dicet quædam hujus farinæ HENRICVS MARTINI

TINI, qui, cùm ad eam literaturæ nobilissimam partem, quam ab omni memoriâ humanitatis nomine insignivere, suâpte sponte inclinet, meritò se ei mancipat. Itaq; edere vult specimen genii sui, ingenii & instituti. Vos judicabitis: ego spero tale fore, ut non semel nobis applaudentibus exhibuit. Si in eloquentiâ pedem figere debeat, animatus est sequi Coryphæum Oratorum Græcorum, ut pari successu quamcunq; lingvæ imbecillitatem emendet. Hunc, sultis, audite. Imò, ut velitis, oro & contendo. Destitui coronâ res est magni mœroris orantibus, atq; quædam eorundem calamitas. Læta autem spes à benevolentiâ Vestrâ nobis affulgere videtur. *Habebitur declamatio ad diem proximum Saturni, qui est XXIX. April. hora IXâ. matutinâ in Acroaterio maximo. Scripsi Gedani, Anno M. DC. XXXIV, pridie Dominicam in Albis, ut vocant? Valete.*

URBIS NOSTRÆ GEDANENSIS,

NOBILISSIMI PROCERES,
REVERENDI SYMMYSTÆ,
LITERARUM DOCTORES,
SCIENTISSIMI QUICUNQUE CIVES;

AD AVDIENDAM ORATIONEM,

QUAM

PAULUS GILBERTUS,
NOSTRAS,

DE

PEREGRINATIONE

DIE XI. FEBR. HVIVS ANNI M. DC. XXXV.
HORA, ANTE MERIDIEM, NONA

HABERE EST PARATUS;

OMNI STUDIO
ADVOCANTUR ET INVITANTUR

A

JOHANNE MOCHINGERO,
ÆDIS CATHARINÆÆ CONCIONATORE,
GYMNASIIQUE RHETORE.

EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.

URBIS NOSTRÆ NOBILISSIMIS
PROCERIBVS,

REVERENDIS SYMMYSTIS,
LITERARVM DOCTORIBVS,
SCIENTISSIMISQVE QVIBVSCVNQVE
CIVIBVS,

JOHANNES MOCHINGERUS,

Concionator ædis Catharinææ, & Rhetor
Gymnasii.

S. P. D.

VIri undiq; egregii, solemne esse humanitati Vestræ, ut comiter vocati facilè Vos præbeatis auditores spectatoresq; ostentationum, quas juvenes laudis abeloquentiâ cupidi in ludo nostro exhibere solent, satis superq; perspectum habemus. Itaq; confidentiùs Vestram benevolentiam iterum solicitare audeo, ut ad ornandam pompam declamationis, proximâ mensis hujus die Xâ habendæ, ad horam IXam, in Acroaterium maximum Lycei nostri confluere haud grave Vobis videatur. Exemplo moris antiqui id fiet, velut paucis exponã: si fortè ea cui lubido sit, instituti illius notitiam ex perfunctoriâ pagellæ hujus lectione comparare sibi, quæ præbere eandē nobis fuit. Advocatos enim esse olim auditores ab iis, qui diem promittebant, ut Latini loquebantur, aut declamationem, ut Græci, multorum monumentis proditum exstat. Quin ipsos illos, qui oratione artificio quodam exstructâ in publicum prodire, & ingenii sui lumen ac eloquentiæ decus venditare volebant, invitationes obire fuisse solitos, ædes auditorum circumeundo ambivisse, fores pulsasse, rogasse, ut dignarentur audire, locupletissimorum testium verbis confirmare longè facilimum. Inter alia multa verò proximè obvium est, Hippiæ verba, recitante Principe atque Parente Philosophorum, Platone, afferre, quibus ille rogat Socratem, ut & ipse adsit, atq; alios secum ducat ad se audiendum. Incredibiliter enim gaudebant splendidissimo theatro, hoc est, audientium multitu-

dine

dine & coronâ quadam. Deniq; missi quoque nuntii, qui declamationem indicerent. Tum convolasse vocatos non credibile tantùm est: sed & Synulcus suo exemplo apud Athenæum fidem facit, cùm ait: Si ad sermones audiendos invitatus fuissem, non ignoro veniendum esse. Nolite igitur, priscarum virtutum studiosissimi Viri, tam laudabilem præcedentium consuetudinem temporũ intermittere: verùm ut instituistis, tenete potiùs solemne vestrum, magnâ quidem cum laude benevolentiæ in universa literarum studia. Pollicentur sibi tantundem à propensissimo animo Vestro declamatores, qui nocte unâ atq; alterâ insomni ductâ & gloriolæ soliciti secundas admurmurationes ac existimationem aliquam, apud Vos, tanquam lectissimos judices, quærunt. Ut adeò humanitatis penè interesse videatur, tam anxiam solicitudinem abstergi jucunditate, secuturâ ex præsentiâ Vestrâ honorificâ. Ac, ut reliqua taceam, Urbis nostræ insigne quoq; decus est, si advenarum quicunq; velut in publicâ luce conspiciat, quæ sit Vestræ in optimas literas voluntatis perseverantia: quas & hic & alibi studio impensissimo Vos quondam coluisse celebratissimum est. Id genus laudis verò asserere, multis palmis potiùs sentiendum. Hac tempestate præsertim, cùm multi passim amorem Musarum juvenilem, senili odio & vilipendio commutant: nempe cùm aut quæstum facere incæperunt, aut honores supra vulgus adepti sunt. O dedecus! Tandem vilis planè & immemoris animi argumentum esset, si delicatulus aliquis fastidiret cœtus Scholasticos, quorum partem & partum nos aliquando fuisse ipsi meminimus. Verùm absit, ut hæc effutiisse videar, quasi in mentem venisset dubitare de Vestri affectus in eam studiorum partem, quibus ab omni memoriâ humanitatis nomen assignatum fuit, constantiâ. Venerunt ista sub calami cuspidem, & bono quidem omine, ut haud vanè conjicio. Hinc enim oppido opportunè tot mihi suppetunt laudandi Vos argumenta, quot ad excitandum, si opus fuisset, quæsita mihi essent. Vidit Vos non semel Athenæum nostrum circumfusos circà thronum declamantium, ut non nemo ex eorum numero se in pedum digitos surrigere potuerit,

festi-

festivè secum cogitans, quod ille apud Arrianum inquit: Hodie plures me audiverunt multò. Permulti sanè: quippe eleganti oratione capiuntur. Vos hanc Urbis nostræ gloriam sponte vestrâ asservatum itis: ut de eâdem ex vero circumferri famâ possit, quòd & opibus libenter florere velit, & siliceat, vel invidiâ favente, vires suggerente numine, literarum ornamentis fulgere. Vos deniq; cùm subire tecta Musarum in Phrontisterio nostro commodum est, id videmini velle indicare, honoratissimam quidem esse operam nostram, quam navamus ornatissimæ juventutis Moderatores aut liberis Vestris, aut qui iis sunt à privatâ culturâ: esse quoque eandem modis omnibus benevolentiæ prosequendam. In quâ sententiâ, ut perseveretis, enixè quoq; Vos hortamur & oramus. Postremò, ut ad institutum præsens pedem reflectam, agite amabo, novum specimen benevolentiæ Vestræ edite in audiendo PAULO GILBERTO nostrate, qui meditatus Orationem de peregrinationis utilitate & commodis; cujus recitatione se vestris judiciis commendare vult, quòd aliâ ratione nondum sit integrum. De peregrinatione, inquam, dicturus est; quandoquidem institutum ei est, eas doctrinæ opes, quas *hic colligere cœpit*, excursione quadam in Poloniam augere: cumprimis verò, ut sermonem vicinæ regionis in sinu ejusdem addiscat, quem & quæstuosum hic esse apud nos & penè necessarium, habemus exploratissimum. Maximè omnium autem Vos, è summo ordine lectos Scholarũ Curatores, adesse optamus, ut velut ex exemplo præsumatis, quàm credibile sit votis exspectationiq; Vestræ aliquando facturum satis alumnum hunc vestrum, quem stipendio ornatum fovere in usum Reipublicæ visum est Vobis. Benè ominamur de eventu sperato, & eundem seriò vovemus. Valete omnes, Nobilissimi, Reverendi, Scientissimiq; Viri, cùm diu, tum feliciter. Scripsi ad diem VII. Februarii ANNO â partu salutifero M. DC. XXXV.

PRO
CONSERVATA BORVSSIA,
ET
PACE RESTITVTA;

SUPPLICATIO URBIS GEDANENSIS.

IN
DEI OPTIMI MAXIMI
HONOREM
ET

VLADISLAI IV.

POLONIÆ SUECIÆQVE REGIS,
MEMORIAM;

GEDANI,
ANNO MDCXXXV. DIE XXVII. SEPTEMBRIS,
IN CELEBERRIMO CONSESSU PANEGYRICO,
ORATIONE EXPLICATA,
A
JOHANNE MOCHINGERO:

EDITAQVE
TYPIS RHETIANIS.

URBI GEDANENSI

SACRUM

AB

AUTORE.

AVDITORVM INVITATIO, ANTE ORATIONEM PVBLICATA.

SVpplicationis ritu res est digna, quæ publico famæ nunc celebratur præconio. Supplicationis inquam; sed non Romanæ tantùm paganicæ, verùm Christianæ. In illâ quidem clarissimi imperii sede sæpiùs fuisse observatum, ut, post res præclarè cum boni publici commodo gestas, decernerentur supplicationes, ex Consulis Romani satis constat monumentis; multò autem etiam uberiùs ex aliorum, qui supplicationum talium pompam pluribus ivere proditum. Sic illius ipsius Consulis atq; Oratorum Regis nomine supplicatio item in Deorum honorem immortalium est constituta; commemorato, quòd is primus Consul togatus incendiis Vrbem, cæde cives, Italiam bello liberasset. Quid igitur nostram quoq; in præsens deceat pietatem, res loquitur: nisi si fortè usq; adeo probabili, si quædam excipias, religionis Ethnicæ exemplo convinci velimus. Nam, postquam pacificatione factâ, ullâ sine dimicatione, ut ut miles & arma in promtu essent, supremo videlicet annuente Numine, Rex omnis generis laude, potissimùm verò felici Reipublicæ domi militiæq; admodum prosperè hactenus administratæ eventu, ad stuporem inclytus recuperavit Borussiam, exoptatissimæq; eam tranquillitati pristinæ restituit; si nihil aliud in gratitudinem Optimo Maximo declarandam, aut in gloriam Regi, quem alterum, post DEum, sospitatorem meritissimò agnoscimus, debitam conemur, quid mereamur, nisi æquissimam à gentili in DEos Imperatoresq; suos pietate opprobrationem? Equidem tantum pacis partæ beneficium, in Basilicis Divinis, ad summam latitiam abundè explicantes nuper audivimus sanctos Theorhetores: &, si rectè animadverti, per valuit multùm eorum ad grati animi exsuscitationem adornata cohortatio. Sicut enim Romæ fuit tralatitium, in istis ad DEorum se prosternere pulvinaria supplicationibus: ita vidimus (testem quemq; appello) Civitatem multò populosissimam è tectis suis effusam, sacrisq; infusam ædibus, & ante & secundùm meridiem diei sacrâ solemnitate peractæ, non pedibus tantùm, sed corpore etiam toto, atq; ipsâ quoq; mente, ad DEum advolvisse & luculentissimè

agnitæ divinæ Clementiæ omni ſtudio grates perſolviſſe. Continuanda verò, o mei, eſt hæc, ſupplicationis celebritas, niſi nos iterum Romanorum pagana ſuperſtitio in pudorem dare debet. Apud hos namq, non unius, ſed plurium durabat dierum ſpatio ſupplicandi opera. Quâ gratiâ, ſi per omnes licet (licebit autem, procul dubio, per fervidos quoscunq, divini Numinis cultores) die pròximo hujus menſis XXVII. ad id exempli opere exprimendi tam me componere, quàm cunctos convocare eſt animus: quò ſcilicet, tam ex recordatione jam perſolutæ gratiarum actionis novam capiamus voluptatem, quàm aliâ inſuper defuncti teſtificatione, usq, & usq, gratum memoremq, animum noſtrum demonſtremus. Sicut vero in ſupplicationibus Romanis diverſa peragere mos erat: ita & noſtrum eſſe ducamus, quod noſtri eſt officii, atq, penes nos ſitum, nihil negligere. Qui rectè & proſperè enim imperium geſſerunt, triumphi honore quondam afficiebantur, ſuas ſtrenuè peragente partes Magiſtratu, ſua ſimiliter, quæ omnium erant, exſequente populo. Summus quidem Vrbis Procerum ordo arcus erigebat triumphales & inſcriptione imperatoris honorificâ exornabat: turba cætera, intermiſſis operibus quibuscunq, dies feſtos agebat lætosq. Quâ penè ipſâ & nos, ut notum eſt, incesſimus orbitâ. Neq unquam, ſpondeo, excidet memoriâ dies ille hujus menſis XXI^us tantâ, quantâ ſcimus, Euchariſtiâ concelebratus; quin apud omnem omnium ætatum poſteritatem erit valde commemorabilis. Quâ luce, tam feſtivâ illâ, & triumphalis (ut feſtinè potuit exædificari) cœli laqueare ſub dio pulcherrimè repræſentatum omnes oculis noſtris ſpectavimus, & Triumphatori deſtinatum à Magiſtratu elogium ibidem inſcriptum, cum applauſu admurmuratioeq, ſecundiſſimâ, in hanc quaſi ſententiam legimus:

VLADISLAO IV. POLONIÆ SVECIÆQVE REGI, VICTORIOSA PACIFICATIONE TRIPLICI INCLYTO, VERE SEMPER AVGVSTO, QVOD DIVINITATIS INSTINCTV, MENTISQVE MAGNITVDINE, EX SENATORVM CONSILIO, SVBDITORVMQVE VOTO, PACEM CVM HOSTIBVS FECIT, POST DEVM, ALTERI

TERI BORVSSIÆ LIBERATORI, FVNDATORIQVE QVIETIS, (CVI MVLTOS LÆTOSQVE ANNOS SIMVL VOVET!) SENATVS POPVLVSQVE GEDANENSIS.

Quid populi læta ſigna dantis omnivarium ſtudium dicendo repetam? Accedat tamen his omnibus (quod mihi, quanquam fortè nimis curioſo, videtur reſtare) ut in nobili illo, quod Muſæ ſibi apud nos elegerunt, Gymnaſii noſtri domicilio, lætitiâ geſtiente, audeamus aliquid. Nam quid etiam vetet hocce? De me ſit, quæſo, fas edicere: ego certè, ſi negotii mole vel obrutus oppreſſusq; deficere debeam, volo committere, ut videar potiùs otiari voluiſſe, quàm facilè probabilem aliquem, qui ad publicæ hilaritatis cumulum adaugendum conferre quicquam poſſit, valde admodum & ſponte & promtè ſuscepiſſe laborem. Si aurium utriq; exſpectationi oppidò nimis diverſarum ſatisfacere me poſſe mihi perſuaderem, poſſem ſanè ludi; ſed quia nonniſi pietatis & gratæ mentis debitum expungere volo, facilè, ut arbitror, favorem emerebor publicum. Quia enim eò mea unicè tendit mens, non ut diſertus, ſed ut pius gratusq;, tam erga DEum, quàm Regem, & Vtriusq; inſtrumenta videar, quidni ſine dubitatione mihi pollicear, fore profectò, ut & fama & apud omnes gratia mea futura ſit integra. Videbor namq; nihilominus Panegyriſtæ ſimilis, cujus tanta eſt hac tempeſtate exiſtimatio, quanta vix eſt aliud quodcunq; literarum genus tractantis: ut ut eam rem mihi modò non ſit curatio. Quicquid ſanè proferetur à me in medium, DEO præcipuè in grati ſignificationem animi, tum Regi in cultum, nec non Vrbi in ſtudium, juventuti item in exemplum, ut & mihi deniq; in exercitationem eſt cogitatum. Hocq; mea mihi, fateor, voluntas impoſuit. An ulli vero unquam noxæ fuit, ſive DEO gratias agere, ſive Regem obſervare, ſive bonos in luce collocare, ſive ſibi aliisq; velle eſſe utilem? Quamobrem necquicquam item à Vobis, Viri hujus Vrbis æquiſſimi, mihi metuo; ſed pro certo potiùs habeo, cum meo hac in parte planè congruere judicium Veſtrum; idq; attentâ æquè ſapientiâ Veſtrâ, æquè pietate. Quanquam in eâ ut confirmer ſententiâ, humanitatem Veſtram quæſo rogoq;, ut pariter DEO, pariter Regi, pariter demum lætitiæ publicæ, quibus ſimul omnibus inſtitutum eſſe hoc noſtrum conſecratum intellexiſtis, id deſideratiſſimi honoris habeatis, quò ad concelebrandam panegyrim noſtram, quæ audiendâ (ut di-

ximus)

ximus) gratiarum actione cumprimis absolvi debet, die decurrentis mensis XXVII, ad horam matutinam IXam, adesse frequentes haud dedignemini. Quam ut ego tam propensæ erga nos mentis vestræ publicam declarationem in memoriâ meâ, omni vitæ meæ tempore, conservabo; ita precabor insuper, ut ipsi Cœlo sit accepta & longè gratissima. Dabam Gedani, Anno 1635. die XXII. Septembr:

ORA-

ORATIO.

CELSORUM ATQVE PRÆPOTENTIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM LEGATI, PERILLUSTRES ET MAGNIFICI DOMINI; AMPLISSIMI ET NOBILISSIMI URBIS HUJUS REGIÆ PROCERES; PL. REVERENDI, EXCELLENTISSIMI ET CLARISSIMI VIRI; CIVES FLORENTISSIMI; LITERATISSIMORUM VIRORUM ET LITERATORUM JUVENUM ADOLESCENTIUMQUE CONCIO HONORATISSIMA, AMANTISSIMA.

 Ætiores in hoc Musarum delubro vix unquam convénimus. Vultus ille nostrûm omnium, hoc ipso, utut egregie sit jucundum, cœlo serenior lætitiam in intimis medullis latentem satis prodit. Et tam suavem quidem pectoris sensum haud paucis hucusq; testificationibus declaravimus: sed egressus nescit adhuc metam modumq;. Intelligimus probè, nec animo nostro, nec judicio de tanti, quo divinitus affecti sumus, beneficii admirabili magnitudine, satis fieri posse. Ejus itaq; & exoptatissimè acquisita possessio, & usus quotidianus locupletissimus, hilaritatem identidem renovat. Ludus merus festivitasq; videtur, tam singularis memoriam boni recolere, quam nulla etiam ullo certè tempore obliterare poterit oblivio. Ut nemini scilicet ignota est temporum horumce felicitas, tam sperata diu, quàm expetita sæpius, & nunc approbata omnibus: ita

obludit ſemper ante oculos quorumvis læta illius lætificaq; ſpecies, quæ ad incitandos animos noſtros & commovendos maximopere, tam eſt efficax, quàm quæ eſt efficacisſima. Quis miretur verò noſtrum tam conſtans tamq; commune gaudiū? Ipſam, quanta quanta eſt, Urbem (Civitatis enim civiumq; exultationem jam tetigimus) calamitatis metu liberam, dicere audeo gratulationis planè participem: dum, quoad poteſt, caput erigit, cœloq; infert, quòd nec tormentis ſit concuſſa, nec hoſtili exercitu circumſeſſa, nec ab advenis deſerta, neq; deniq; inquilinorum fracta lamentationibus. Agros etiam Borusſiæ univerſæ, ſi quis mentis oculos auresq; advertat, hoc in autumno ridere percipiet; quod Poëta, cùm eſt

formoſisſimus annus,

quoſcunq; verno tempore facere canit. Cæterùm mænibus campisq; illud unum deeſt, *quòd lingvæ* ope ſermonisve tantam *lætitiæ ſuæ vim explicare* queant, &, quibus ex pace almâ copioſè fruuntur, emolumenta innumera ediſſerere. Quæ tamen cùm nobis inſtrumenta, Urbis ruriſq; cultores, & laudi ſuæ & celebritati humanæ (in quantum fas eſt) inſervientia Optimus Maximus rerum omnium conditor indulſerit; agite, amabo, cœptos felicitatis atq; hilaritatis noſtræ ludos continuandi ergò, quod poſſumus, peragamus ſtrenuâ operâ; quodq; ſuperioribus diebus alibi fecimus, iſthac feliciter illuceſcente luce, hoc quoq; in theatro, (ut nusquam & nunquam non adeſſe numina, non gentilium tantùm opinatio, ſed & Chriſtianorum fides permittit arbitrari) tum omni ex parte præſentem DEum, tum qui *Deorum*

clarent

elarent nomine, Majeſtate ſuâ animis noſtris & oculis quaſi incoram obverſantes, non tam novis, quàm innovatis ritibus colamus. Supplicationem utiq; non dierum tantummodo aliquot pauculorum, ſed vitæ, quàm longæva etiam ſit, tam inſignis dignitati muneris deberi, pietas omnium nullo negotio dabit.

Principiò autem Deorum Deo, illi ſummo vereq; unico Deo, ſuas dicemus laudes; Deo inquam, veluti principi autori largitoriq; pacis tranquillitatisq; noſtræ; poſtea Regi, á Cœleſti majeſtate ſecundo; deniq; Proxenetis omni jure laudatiſſimis. Si quid autem dictione pro eo, ac meretur, à nobis non poterit exprimi, animo reconditum, tanquam perennaturæ feſtivitatis gratiarumq; actionis fomitem, fovebimus, & omni ſtudio alemus. Iamq; etiam, ſin attineret, Vos, Domini & Auditores mei longè longeq; honoratiſſimi, orare non defugerem, veluti idem ipſis in ſacris antiquitus fiebat, ut lingvis faveatis; ſed, quod manifeſtum eſt, favetis utiq; oppidò luculentè.

Vetus apud Romanos Ludorum lex fuit: Ludi cum honore Deorum junguntor. Teſtis eſt Conſul Romanorum omnium multò celeberrimus, & omnis eorum turba, qui nobis eosdem vel accuratè deſcriptos reliquere, vel aliud agendo quomodocunq; enarravere. Quæ Liberalia vocabantur, Liberi Patris, hoc eſt, Bacchi in honorem, à ruſticis peragebantur, ob collatam in ſe vini, quod ei acceptum ferebant, largiùs ſuppeditati gratiam. Tum alii quidam è Ludis Conſualia audiebant, quibus Neptunus honorabatur. Eundem enim & Conſum appellabant. Equiria Marti ſacra erant. Quæ omnia, & his longè

plura,

plura, è Chriſtianis ſcriptoribus antiquioribus, ob eruditionem tam ſacram, quàm ne-ſacram, maximæ dignationis, Tertullianus loco quodam perſtrinxit, & judicii ſui mirificè accurati acutiſſimo obelo confixit. Quicquid id verò fuerit rei, docere hoc nos poteſt negotioſa illa gentilium ſuperſtitio, infandam eſſe hominum qualemcunq; feſtivitatem, quæ cum Numinis recordatione non eſt copulata. Audiant verò hoc bene diſerti illi quidem inferiorum Poteſtatum Panegyriſtæ & buccinatores, ſed infantiſſimi ſupremæ Majeſtatis cultores; audiant inquam, ſi volunt, vel res ſuas ſibi habeant. Nos quidem in præſens ſic planè ſentimus, nec aliter ullo ſentiemus tempore, quàm omnes oſtentationes humanas, velut Ludorum priscitus uſurpatorum ſolemnia, cum honore Dei omnino miscendas eſſe. Sic ipſe,

quem dixit Roma parentem—;
Roma patrem patriæ.

exemplo ſuo præivit. Quanquam enim ille, ut pluribus obſervatum, glorioſulus ſuarum fuit laudum decantator præcoq;, aliquo tamen loco, quantâ potuit laterum vocisq; contentione, in concionis ſuæ curriculo exclamavit: *O Dii immortales (Vobis enim tribuam, quæ veſtra ſunt, nec verò poſſum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tamq; repentinas, in illâ turbulentiſſimâ tempeſtate Reipublicæ meâ ſponte diſpexerim) Vos profectò animum meum tum conſervandæ patriæ cupiditate incendiſtis: Vos me ab omnibus cæteris cogitationibus ad unam ſalutem Reipublicæ contuliſtis: Vos deniq; in tantis tenebris erroris & inſcitiæ clariſſimum lumen menti prætuliſtis meæ.* Atq; alibi in eandem ſententiam: *Ego, ſi me dicam nefariis conatibus reſtitiſſe, nimium mihi ſumam, & non ſim ferendus. Ille, ille Jupiter reſtitit: ille*

Capi-

Capitolium, ille hæc templa, ille hanc Vrbem, ille vos ſalvos eſſ voluit. Diis ergò immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemq; ſuscepi. Hæc Tullius. Idemq;, quod Romæ dixit, orbi in documentum præſcripſit, ut intelligatur ab omnibus, eſſe ſanè in rebus bene feliciterq; peractis univerſis & ſingulis Deo primas tribuendas, ſecundas hominibus. Sed ſatis mihi jecisſe videor religioſi officii noſtri fundamenta: jam igitur ad Deum converſis, inq, cœlum potiùs animis ſublatis, quàm palmis, cùm quas in promtu habemus, tum quas poſſumus, balbi blæſiq;, ac tantùm non infantes, effundamus laudes. Aut, quia valde ex re fuit, quòd Aaron, à naturâ præſidiis eloquentiæ affatim inſtructus, loco elingvis fratris, apud Ægyptiacum Dominum dicendi munus obiit; noſtrâ quoq; vice loquatur, non ſine tum ſui tumq; ſexus ſui præclariſsimo honore, admodum diſerta Debora, ſermocinatrix & oripotens illa, ut cum omine nomen habuit, prophetis; loquatur inquam, & ſuis verbis encomium divinum enitatur. Animos advertamus; aures Deus:

Dei laudes mecum celebrate, quotquot Urbs Gedani gremio ſuo complexa tenet. Ei gloria debetur, ei gratia. Omnes de gratulationis officio appello: ad officium impello omnes. Omnes in tam legitimi inſtituti partem voco. Omnes, qui divinâ tangimini religione; & Vos, Reipublicæ hujus Proceres, ad laudes Deo perſolvendas, quoad poteſtis, animoq; vultuq; Vos componite. Conſentaneum eſt, fore, ut omnes exemplum Veſtrum promtisſimè ſequantur. Domini, & totius iſthujus Univerſitatis Regis ſummi, eſt inſtituenda laudatio. Ejus in

hanc Urbem, Borusſiamq; totam, non magnam magnæ mundi Patriæ portionem, at vix poſtremã omnium, eſt deprædicanda ſingularis benignitas. Domine, Domine, in magno metu, mœroreq; maximo jacuimus, ne, poſt ſequeſtræ pacis exſpirantem malaciam, tempeſtate ſuperiori exortâ, inter conſiliorum tam variorum, quàm ambiguorum fluctus, navis Civitatis, miſerè & funditus quaſſaretur. Tu tamen Deus, ſoſpitator noſter, felicisſima halcyonia miſiſti. Quid halcyonia? Imò, quod ex geminis iſtis induciis, tanquam è Caſtoris & Pollucis duplici illâ flammâ, oppidò jucundè conſpectâ, colligere audemus, tranquillitatis ſempiternam ſtabilitatem polliceris. Jam quidem nimis quàm feriabatur fluvius Urbem alluens, nec ſolitâ navium naviculaarumq; copiâ oppletus nos exhilarabat, ſqualebat potiùs tam triſti aſpectu, quàm cùm arbor eſt comæ honore viduata. Claſſis illa, quæ in noſtri portûs oſtio apparituram faciebat, neſcio quid hoſtile minabatur. De noſtris item onerandis cogitabatur navigiis; ſed ut durateus equus inſtructus fuit in Trojanorum perniciem: Tu, Pater, omne depuliſti periculum. Tu eam omnibus inſeruiſti mentem, quaſi receptui cani audirent; audirent eſſe aliorſum transferendas copias, & hîc nec clypeum, nec haſtam cernenda eſſe, his in oris. Admiramur atq; laudamus equidem tam grati de pace conſilii, quàm exſpectati Proxenetas; ſed Tibi, ſucceſſûs primario autori, in acceptis eſſe ferenda omnia agnoſcimus. Partâq; jam ſecuritate aliquâ, & otio priſtino nobis reſtituto, erectiores ſumus, &, quemadmodum par eſt, laudem Tibi debitam devotamq; meditamur; qui,

ſicut

ſicut placuit, ex tam turbulentâ calamitate ad tranquillitatis portum nos provexiſti. Eja agite, qui hæc ubicunq; gentium audietis, juvate nos; & Vos præſertim, qui tantæ ſalutis eſtis compotes, vel exſpectatores nobilcum exſtitiſtis; juvate nos tanti in boni præconio. Otioſa & ſupervacanea fuit bellaturientium omnis alacritas: ſalus eſt parta ſine ſangvine, ſine cæde, ſalus omni victoriâ major. Cœlitus ad nos venit hoc beneficium, & per quorum manus id muneris in nos conferre voluit cœlum. Hos qualis qualis etiam egerit ſtimulatio, divina tamen ſimul adfuit, ne otioſè res noſtras ſpectarent, ſed accederent officio, & quantam quantam poterant, operam nobis & incolumitati noſtræ navarent. Magna utiq; profectò eorum ad communem pacis rem promovendam conſpiratio fuit: ſed Te, ut luculentè ſatis apparuit, inſpirante. Bene illis ſit iterum per gratiam Tuam, à quibus ad noſtram utilitatem pars auxilii quomodocunq; eſt allata! Scimus, quàm anxia fuerit tam grandis beneficii exſpectatio noſtra: neq; immemor Tu eſſe potes, quoties & quantopere ejus obtinendi ergò aures Tuas defatigaverimus. Tu, ut ſoles, tanti nos doni pauliſper ſuſpenſos tenuiſti deſiderio: ne non gratius eſſet, quod, poſt tantilli temporis metum, poſt tantam ſolicitudinem, poſt tot vota, ut tardiùs, ita omnino gratiſſimè venit. Nunc munus iſtud Tuum, nunc mentem exoſculamur; &, cùm aliud non poſſumus, Te amamus, Te laudamus, Te adoramus, &, qvod loquendo non poſſumus, cogitando, ſi poſſumus, exſequemur. Unica hæc Tuam opulentiam remunerandi ratio eſt relicta indigentiæ humanæ; gratiarum ſcilicet actio, & per-

petua acceptorum recordatio. Hanc igitur ex intimò corde ſpondemus, &, quæ Tibi ſunt in amoribus, præcordia noſtra damus, dicamus, conſecramus; bene illud factum Tuum affectu vectigali & penſantes modò, & penſaturi omni tempore. Hæc fœmina enthea, ad mentem noſtram & ſententiam.

Jamq; nunc Regis etiam noſtri & ſibi & nobis ſic congratulantis pene hæc verba mihi videor audire. (Similiter enim Imperatores triumphantes in Capitolio adorasſe legimus.) Gratias Tibi, inquit, Rex Optime Maxime, Tutelaris Regnorum Regumq; ſupreme, ago lætus lubensq;, per manus meas, quod voluiſti, re Regni Poloniæ, & Regionis ſimul iſthujus Borusſiacæ, in hanc diem & horam usq; incolumiter ſervatâ geſtâq;, bene. Eandem, ut facis, auge & amplifica propitius; oro id ſupplex. Eſt ſanè credibile A. A. gratulationem hanc ſupplicationemq; hanc in intimis eſſe Regis ſenſibus, qui uti tenet, ipſum nobis imperare, ita bene meminit, Domino ſubjectum ſe eſſe, per quem Reges regnant.

Itaq; modò minùs intutum erit, poſt dictum primò cùm à nobis, tum à Rege hymnum; quantum æquum eſt Regi, poſt Deum ſecundo, debitum elogium ſubjicere. Qui enim nos jure in aſſentantium numero jam ponat aliquis, cùm Maximi Univerſitatis mundanæ Rectoris principem gloriam in minorem rerum humanarum Dominum (utcunq; tamen id alias nimiùm crebrò fiat) minimè transferamus; ſed, oraculo Servatoris ſic edocti, quod eſt Cæſaris, Cæſari demus: quod autem Dei eſt, Deo. In memoriæ potiùs ſocietatem, quàm gloriæ, admittimus Principem. Et quidni jure ſuis ornetur is juſtiſ-

ſimo

simo encomiis, qui nihil de Divinitatis eminentiâ præcerpere voluit. Quanquam nihil, hoc etiam pacto, sine consvetudinis veteris, quæ in celebratissimæ Urbis domicilio fuit recepta, faciamus calculo. Ita enim, ut gnaris constat, tulit Reipublicæ mos, non mentionem tantùm qualemcunq; fecisse Imperatorum in ludis publicè adornatis; sed immensis etiam insuper plausibus & clamoribus immodicis, iisq; vel confusis utrisq;, vel certo consilio peractis, Dominos colere. Tunc quippe (ut Poëta loquitur) vel plausus

. - - arte carebat ;

Vel votum distinctumq; compositumq, proferebatur in medium, tam alio, quàm hoc sono: *Diuturnum DEus faciat imperium Tuum in multos annos!* Aut decantabatur illud:

De nostris annis Tibi Juppiter augeat annos!

Quidni autem id moris in præsens cum favore publico teneamus, acclamantes exclamantesq;: (ut videlicet, cùm pectoribus ad transparendum materiam specularem non obduxerit natura, intimos tamen animorum recessus & latebras clarâ voce explicemus verbisq;) Vive, Vive, inquimus, bene VLADISLAE, Pacificator æternâ recordatione dignissime, VLADISLAE. Multa Patri Sigismundo debemus; vix pauciora Tibi, VLADISLAE. Utiq;, post Deum, sub providentiâ & benignitate Vestrâ, nostram omnem incolumitatem. Patri Tuo, (da veniam Domine: accepta affectusq; noster hæc nobis dictat verba) Patri quoq; nostro, ob curam de nobis paternam, sex annorum securitatem, quæ motus superiorum temporum excepit,

nexu proſperæ recordationis ſingulari eapropter Majeſtati & Clementiæ ſuæ adſtricti, debemus: Tibi, ut præſentis fide fulti pacificationis ſperamus, ſex annorum ſupra viginti. Quanta igitur erit, toto iſthoc tempore, Urbis hujus ſanitas, felicitas, vigor virorq́; tanta erit, Te, poſt Deum, autore, Te fautore tanta. Si mentis quidem Tuæ ardorem, ſi ad bellandum vires neceſſarias attendimus; miramur, Te iſti non geſſiſſe morem, his non eſſe uſum; ſi periculis etiam ſuis nuper ſe admirabiliter oſtentantis, ut cum ſeculo loquamur, fortunæ Tuæ recordamur, miramur tantò magis: ſi contrà tamen amorem, quo erga nos egregiè flagrare vidéris, nihil magis in votis habens, quàm ut nobis ſub imperio Tuo cùm tranquillis tum felicibus eſſe liceat, nil miramur, armorum Tibi ferias placuiſſe & otia, laudamus magis. Laudamus verò: quia tam grande beneficium nullâ aliâ ratione rependere poſſumus. Aut, ſi quid reſtat, quod penes nos eſt, ex majorum more & eorum verbis, libenter meritoq́; Tibi acclamamus, illis inquientes verbis, quæ in literarum ſubſcriptione ad Imperatores miſſarum, pietatis ergò, ſubjiciebant: Vota pro Te facimus, Imperator, Liberator noſter, Fundatorq́; quietis noſtræ. Ac præſertim verò ſanctiſſimorum in Orthodoxiâ Chriſtianâ anteceſſorum exemplo, precamur Tibi vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, ſenatum fidelem, populum probum, Orbem quietum; deniq́; quæcunq́; vota Tua ſint, quanquam ſint privata. Certè multò tutiùs & ſecuriùs deſideria Tua explenda eſſe orare poſſumus, quàm Imperatorum nondum Chriſtianorum, atq́; ideo minimè Tecum comparandorum,

vota

vota Deo majores commendabant. De exercitu forti, cujus item inter priſcorum bona verba erat mentio, protollimus optare. Speramus enim, Tibi manu militum vix ampliùs fore opus: &, niſi læva nobis eſt mens, ex multis benè ominamur. Pactiones ordine factæ cum Moſchis, cum Turcis, cum Svecis (at quantis illis adverſariis!) ſecuros nos reddunt. Eſt equidem Moſchorum lubrica valde fides ſemper metuenda: ſed ſigna illa pedibus Tuis ſubjecta vix patientur eſſe immemores, ne facilè arma Tua, aut, quod potius eſt ſuſpiciendum, Numen irritent, niſi denuo luere velint. Turcos, ſi ſapiant, illud intra limites continebit: Bona quies eſt. Ni fortè feſtinare tamen malint ad extremum jam pridem illis indictum interitum, ipſisq; etiam vigilantibus ſomniatum. Et, ſi libet, feſtinent. Sed & illi quoq; de æternaturæ concordiæ ſtudio ſpem nobis fecerunt amplisſimam, & ad id pollicitationibus tam verbo, quàm ſcripto editis, ſeſe obſtrinxere. De Suecis quietè nobiſcum victuris minùs attinet dubitare; tanquam Chriſtiani nominis teſſerâ & Sacramento nobiſcum conjunctis. Admirantur quidem aliqui admodum, Te, Domine non niſi amicis ſermonibus & pacificâ tractatione iis occurrere voluiſſe, qui, cùm Parenti Tuo parére ampliùs non fuit lubitum, aſſeruere ſe magis magisq; in Regni ſtatum; ſed illi (quod plebejis animis relinqui ſatius eſſet) pro affectu ſuo & captu populari ex obviis omnia dijudicant; minimè autem ex ſapientum arbitratu & lance. Bellum verò iſti amplectendum fuiſſe felicitati Tuæ opinantur. At opinantur tantummodo. Quorſum enim bellum? Quorſum, ajunt rerum intelligentes & in

posterum acutè prospicientes, Bellonæ subeunda alea? An ut Borussiæ, tam Tibi, quàm Regno insigniter charæ, juxta ac caræ, partem aperto Marte iis eriperes, qui eam occupavere? At habes eam sine cæde & sangvine partam, recuperatam. Recepisti Borussiam Tuam incruentâ victoriâ. Vidimus pacificationem egregio exitu terminatam; gladium vaginâ vacuum non vidimus. An ut regnum avitum occupares? At carere eo potes: si vis: potes id etiam, mentibus aliter inclinatis, cùm minimè speres, acquirere. An ut deniq; Imperator victor triumphi & supplicationis priscis probato honore dignus audires? At sine bello etiam pro Te isthoc honore mactando, habemus Tullii exemplum, alterius illius, ob rem conservatam Romanam, Romuli. Illi Consuli supplicatio, nullis armis sumtis, non ob cædem hostium; sed ob conservationem civium, novo & inaudito genere, decreta est; ille Urbem, domicilium clarissimi imperii, stantem; ille cives integros & incolumes, sine exercitu, sine dimicatione unus, quem Sol vidit, togatus dux & Imperator servavit, primusq; ante omnes Patriæ Pater, omnium applausu, audiit. Quis Tibi verò, Domine, ob communem hanc nostrûm conservationem omnium, vel gratulationes, vel gratias, vel si quid magnificentiùs aut honorificentiùs à nobis excogitari posset aliud, nos debere inficias ire audebit? Casimirum, qui nos benevolentiæ suæ gremio, tyrannidem Cruciferorum fugientes, excepit, famâ, quantum possumus, extollimus. In animis nostris vivit, in sermone floret. Quis non ferat etiam fatentes, ei triumphos nos, omnia honoris ornamenta, monumenta gloriæ, laudis insignia,

appre-

apprecationum ſtudia, memoriam deniq; ſempiternam debere: qui & nos & bona atq; fortunas noſtras ex faucibus Orcinis erepta defendit, ſtabilivit, atq; ut lætâ & perennante pace incolumitateq; frueremur, providit. Vivet, vivet, VLADISLAE, item recordatio nominis Tui his in oris, non minùs à Te denuo conſervatis. Et ut ſermo de Clementiâ atq; Manſuetudine Tuâ anguſtis Borusſiæ terminis profectò contineri nequit: ita laus debita tantæ Virtuti Tuæ non terminabitur hujus terræ finibus, quæ jam utiq; in Orbem omnem evolavit, & longè lateq; vagatur. Cui certè, niſi prorſus ſapientum aberrat calculus, nulla poteſt par alia gloria reperiri.

Nam, ut ſcholam hanc hic loci explicemus, fatemur ſenſus noſtros congruere cum eorum judicio, qui exiſtimationem à pacatis rebus, eâ, quæ bello motis acquiritur, præſtabiliorem & ampliorem eſſe ſentiunt. Sin quoq; nulli inveniantur, quibus id in mentem venit pro certo habere, facilè eidem ſententiæ conciliabitur fides auctoritasq;, ut digna approbatione conſideratorum omnium videri poſſit. Sed vereor, ut perinde ſit audiendo intellectum, atq; ego ipſe cogitans ſentio, quod dixi: quapropter, quod animo concepimus, magis in lucem protrahemus. Nempe, Principes arbitramur atq; Reges, ſexcentis partibus majorem gloriam meritiſſimò eſſe aſſecutos, quibus, certo pacis argumento, licuit cum paucis Janum claudere, quàm quibus, bello imminente, aperire ex more ſolemni fuit neceſſe. Principiò autem ab exemplis lumen & firmamentum ſententiæ huic noſtræ fœnerabimus. Celebratur enim graviſſimorum autorum literis, & ad omnem poſteritatis

memoriam commemoratur, ſemel Jani portas, peſſulo pacis obducto, obſerasſe Numam; icto autem cum Pœnis fœdere iteratò Luctatium Catulum; tertiò Auguſtum, confectis bellis civilibus omnibus. Quâ de Auguſti admodum ſingulari felicitate cumprimis inſignis exſtat apud hiſtoricum haud poſtremæ notæ, Freculphum annotatio, in talem ſententiam: *Ab oriente*, inquit, *in occidentem, à ſeptentrione in meridiem, ac per totum Oceani curriculum, cunctis gentibus unâ pace compoſitis, Jani portas tertiò Auguſtus tunc clauſit; quas ex eo per duodecim fermè annos quietos, ſemper obſeratas otio, ipſa etiam rubigo conſignavit, nec priùs unqvam, niſi ſub extremâ ſenectute Auguſti pulſatæ Athenienſiũ ſeditione & Dacorũ commotione patuerunt.* Cogitate A. A. à Numâ ad Auguſtum effluxiſſe annos plus quàm ſexcentos ſeptuaginta duos, & tanto intervallo tres tantùm à pace nactos eſſe celebritatem. DEus enim hanc laudem magis habet caram, quàm ut illam plurimis communem faciat. Unum illum Joſaphatum, Judæorum Regem, ob religionis infucatæ operam ſtrenuam, toto ferè regni ſui tempore beavit pace continuâ. Taceo, in annalibus gentium prædicari Aurelium Probum, quem, pace toti Orbi partâ, uſurpaſſe hæc verba ferunt: nihil opus eſſe militibus, quoniam hoſtes deeſſent. Prætereo, decantari itidem Martianum, quo regnante tam alta fuit in ditione Romanâ quies, ut tum aurea ſecula diu exoptata ſub cœlo fuiſſe ſit exiſtimatum. Omitto commemorare, quòd tanta Edgaro, Britannorum Regi, aliquando obtigerit felicitas, ut, cùm omnia ipſi eſſent tranquilla, (quippe cui undiq; bene cum hominibus conveniret,) eò cogitationis devenerit, ut univerſam pecori infeſtorum luporum, qui hoſtium unicè reliqui erant, exſtirpare allaboraret turbam.

Indi-

Indicta relinqvo compluria ejus generis: & à Salomonis celebritate maximum dictis pondus addam. Audiant rem omnes & expendant ſecum accuratè. Aut pacis laurea, inquio, eſt præſtantisſimum famæ Regiæ ornamentum: aut falſus eſt falli neſcius, neſcius fallere. Namq́; legimus, quòd, cùm unicè Salomo peteret Sapientiam, DEus, præter opes, ipſi pollicitus fuerit, Regem futurum ingentis nominis. At quale id tandem exiſtimationis decus fuerit & unde comparatum, diſertè etiam ſacrorum monumentorum paginis proditum exſtat. Inde verò illud, ut ad ſummam dicam, quod res eſt: à ſapientiá ſcilicet & pace ſub ejus regno otioq́; eſt profectum. Clarisſima ſunt hoc de verba; quæ æquè intimâ mente ſunt penſiculanda: ſicuti ex penitisſimis Regis medullis profluxere, quibus longè apertisſimè id muneris cœlitus ſingulariter ſibi tributum eſſe deprædicavit; *Quietem*, ait, *Jehova, DEus meus mihi circumquaq́ dedit. Non eſt adverſarius ullus, nec mali occurſus.* Licuit videlicet tum cuivis ſub vite ficuve ſuâ hilares dies agere; licuit regnante Regum illo tum ſapientisſimo & pacatisſimo, tum felicisſimo deliciari. O præclarum nomen! O Regibus Dominisq́; omnibus præprimis expetendam felicitatem! In proclivi autem eſt conjicere, qvòd aliquis cogitare poſsit, nova tamen, quæ quot ſeptimanis, hac tempeſtate, alendæ præſertim curioſitatis gratiá, ſparguntur, non tam quietarum, quàm bello perturbatarum rerum circumferre memoriam, & unicè ibidem & ſe jactare & jactari milites; vix autem ſemel enarrari, bellis legitimè compoſitis, Pacificatorum nomina, dein æternam eſſe eorum oblivionem: ſed id conſideratum cordatumq́;

hominem vix tantillum movere poteſt. Felix ſanè oblivio Regni iſtius Reipublicæq;, quæ pace gaudet obſcurâ, at multimodis utili. Miſeranda è contrario eſt ejus loci fama, qui in luce quidem in relationibus iſtis & narratiunculis publicis ponitur; ſed interim belli flammâ eſt correptus & corruptus. Et quale etiam, obſecro, eſt nomen illud Martiorum pullorum, quod longè lateq; increbrescit ex Calendariis iſtis Compitalitiis? Vix ſanè invidendum. Venit in memoriam, quod Pertinacem Helvium dixiſſe accepimus, cùm legisſet fratricidam, Caracallam, à devictis gentibus, nomen Germanici, Parthici, Arabici & Alemannici, in titulo adſcripſiſſe: adde, (cum diaſyrmo, inquit, & acrimoniâ quadam) adde, ſi placet Getici: quoniam ſcilicet Getam germanum occiderat, ut tam Getas, quàm Gothos armis ſuperaverat. Quæſo univerſos atq; ſingulos, quid verò in ſubroſtranis iſtis chartis enarratur (etſi, quod tanquam maximè præclarum eminere videtur, ad animum revoces) quàm aut turpiter victos eſſe bellatores iſtos, aut, cum infinito multorum damno, ac nec raro ſuomet ipſorum proprio, vicisſe? Scilicet

It nova, ſed triſtis, per multas fabula cœnas!

campos eſſe vaſtatos, pagos deuſtos, urbes vexatas, periiſſe aliquammultos miſerabilibus valde modis, quosdam mortem quidem effugisſe, ſed in extremam incidisſe calamitatem, omnia ſusq; deq; eſſe verſa.

Egregiam verò laudem: ut Poëta canit.

Quanquam & jure in conſiderationem hic vocetur, ecquosnam præconia iſta & laudes circulatoriæ habeant autores? Si certè ea unica laus vera eſt,

quæ

quæ à laudatis profecta (qvemadmodum quidem probatisſimorum ſic fertopinio,) quis, amabo, magnifaciat, ſcripturitione quorundam de trivio hominum ſe obſolefieri potiùs, quàm concelebrari? Et quia nullo ferè delectu, judicio nullo, nullâ fide conferruminantur nova iſthæc; res ipſa loquitur, nec ipſa, nec conſarcinatores eorundem magni eſſe precii. Bella ibidem ferè ebuccinantur, bellorumve motus metusve, hilaritates Magnatum, convivia; & id genus ſimilia: aliquando etiam vel clades navium, vel prædæ. Ecquando autem chartis iſtis mandabitur, quòd luculenta quædam in certas oras ſint collata cœli munere beneficia; quòd latiùs latiusq; extendantur pomœria Eccleſiæ; quòd ſingularia alicubi ſint edita juſtitiæ ſpecimina; quòd eximia ſint ſeculi inſtrumenta nonnulla animadverſa; artes vitæ humanæ admodum utiles ſint vel inventæ vel perfectæ; & quæ alia ſunt his gemina, quæ ſcitu eſſe digniora iis, quæ ferè vulgantur, & ad lætitiam gratulationemq; publicam magis idonea, nemo non dixerit, cui ſanum eſt ſinciput. Sit igitur mihi fas, quæſo Vos, A. A. & liceat mihi bonâ cum veniâ Veſtrâ omne meum ſuper novis iſtis ex intimo pectore proferre judicium; idq; quia nos in eam diſſertationem occaſio usq; adeo commoda deduxit. Nil equidem moror dicere, poſſe nuncias iſtas pagellas, quales hodie in circulis exponuntur, Salomonicis navibus multò aptiſſimè comparari, quæ ex longo itinere reduces, ut auditum, ſimias complures & pavones apportavere, hoc eſt, talia illa animalcula, quæ ad riſum & oblectamentum potiùs naſcuntur, quàm uſum; quanquam de reliquo iis hac parte iterum

ſunt diſſimiles, quòd aurumq́; & argentum, hoc eſt meliora, in derelictis deſerant. In iſtis ergò paginis utramq́; facere paginam, & ibidem oſtentari, ecquî cordatis perſuadebitur, magni eſſe, etiam cùm perſuadebitur? Quin verò hi ſibi ante oculos potiùs ponent, quod de Caſſii Brutiq́; ſimulacris non eſt à Tacito tacitum; cùm non conſpicerentur, fulſiſſe maximè. Ita certè optimè eſt comparatum cum Regno, cujus nulla in monumentis illis plerumq́; nugigerulis fit mentio. Atq́; ſic omnino famam, vel cumprimis mereri Regem, qui ibi nullam habet, pro certo eſſe poteſt. Sed hæc videri poſſunt, aſſenſum eò nondum mereri, cùm ſine appoſitione rationum lentiùs diſputentur. Argumentis itaq́; ſtatuminanda erunt, quæ exemplis hucusq́; illuſtravimus, aliquâ fortè cum ſpecie. Quare, agite, ipſa totius negotii penetralia aperiamus & inſpiciamus. Quæſo igitur, an non laus ſit virtutis? Id ſanè omnium adſtipulatione magnus Lycei Doctor clarè docet. Et in eundem ſenſum ſummus Orator: *Vera laus*, ait, *uni virtuti debetur.* Quod ſi ita eſt, facili utiq́; operâ jam efficiam, virtutes multo multoq́; plures, ac maximopere arduas, in pacificatione edi, præ quàm in bello. Fortitudine & fortunâ, ac hac potiſſimùm, niſi omnes fallimur, geruntur bella; pacificatorii contrà congreſſus, præter corporis vim, animi exigunt robur, id eſt ſapientiam, eamq́; valde oculatam & toroſam. Dandum eſt aliquando hoſtibus quicquam, ne videamur in ſpeciem potiùs, quàm ſeriò, iniiſſe pacis conſilia. Negandum vicisſim eſt aliud, ne tranſpareat deſperaſſe nos de victoriâ, aut hoſtium timuiſſe larvam. Et denuo eſt largiendum aliquid, ne videamur

potiùs

potiùs à victis pacem extorsisse, quàm ab iis, qui vix omni ex parte inferiores fuere, (utrisq; adhuc periculo aliquo impendente, quia scilicet Mars est communis,) impetrasse. Præclarum & sapiens est factum, paciſci cum paribus; cum imparibus aut turpe, aut crudele. Nec non abnuendum est aliud, & consilio quàm longissimè prospiciendum, ne res communis libera pactionibus servitutis indignè & stultè implicetur. Universa hæc & singula, ut intelligitis universi atq; singuli, tantam certè mentis perspicaciam requirunt, quanta potest esse maxima. Quin animi quoq; fortitudini est locus in compositione pacatâ, quæ omnium recto judicio est maxima, dum offensæ fidâ oblivione sunt sepeliendæ; quod ferè est caput pacificationis. Habemus in promtu exemplum in nostrâ compositione, ut verbis non sit opus. Ex eo autem Tullius omnes Cæsaris laudes illi uni postponit, quòd justè egerit, quòd sapienter, quòd mansuetè, quòdq; eos conservarit, quos culpa erroris humani tenuit, & victoriæ conditio jure affligere potuisset. Hacq; ipsâ animi magnitudine vel maximè commendari voluisse videtur Cæsar, quòd seipsum scilicet posset vincere, cùm vicisset alios, & injuriarum esse bene immemor. Cujus item virtutis en luculentissimum in concordiâ nostrâ simulacrum. Sic enim ejus è legibus prima se habet, *Sit omnium utrinq; anteactorum amnestia.* Et potuisset utiq; multis malè esse, nisi Rex voluisset esse bonus & videri. Jamq; etiam in memoriam regredior, quomodo in stabiliendæ pactionis præludionem, ad magnum fortunatumq; bellatorem (dicendum enim, quod res est) Gustavum, scripserit Pacificator noster, cùm

jam dignitate Regis Poloniæ esset auctus: *Præterita* (sic incipiebat epistola) *non tam odia, quàm arma, neq; morem Principum, neq; jura obliterare possunt.* Bonum id omnes interpretabamur omen. Ita autem ad multorũ præliorum Victorem noster, ut illum sui ipsius superandi exemplo anteverteret. Quem tam placabilem animum non publicus tantummodo hominum favor excepit; sed divina etiam benignitas, (ut non est nefas credere) ipsis tribus est remunerata præmiis: victoriâ nimirum Moschorum, & duplici concordiâ cum magnis hostibus, intra paululum tempus admirabiliter firmatâ. Nec non mutuum inde profectò amorem cognatus Princeps concepisset, nisi vivere desiisset, antequam tam eximiæ indolis exemplum ad ipsum pervenit. Intelliget hoc autem Orbis & suo merito æstimabit, si quicquam intelligit, æstimatq; quicquam. Sed ut à nobis dicenda modò pertexam, nonne bellatores, quanquam felices, nonnisi miramur, aut metuere solemus; pacificatores autem, ipso naturæ instinctu, non admirabiles tantùm sunt, sed & amabiles, ac insuper verò, integerrimi judicis judicio, Beati audiunt? In quo deniq; judicio qui non meritò acquiescamus, imò meritissimò?

At Vos, quæso A. A. ne me putetis ex inconsiderantiâ ad insolitum argutandi hoc genus delapsum esse. Non certè nescio insolens esse, floscŭlis è literaturâ decerptis tam præclaram per se, quam aggressi sumus, materiam exornare; nec immemor sum, quid panegyri hujus notæ debeatur: sed sumsi mihi tamen hanc doctrinam sciens volensq; ut imminueretur sensus (rectiùs dixero error,) nimis quàm vulgaris;

non

non creſcere Principes pace ullo pacto, ac ne quidem nominetenus; ſed bello. Enimvero hoc reliquum erat Domino Regiq; noſtro, ut ſic eniteretur, quò majorem ex pace adipiſceretur claritatem, poſtquam ex congreſsibus cum hoſtili manu iteratis maximam Eum eſſe conſecutum, Orbis novit.

In orbitam tamen revertor. Diximus hucusq; de otiorum noſtrorum autore principe, qui eſt Deus; diximus de factore eorundem ſecundiſsimo, VLADISLAO, REGE (quod quanto poſſumus laterum conniſu iterum dicimus) Pacifico; diximus, inquam, quantum pietas potiùs ſincerior inſpiravit, quàm diſertior: facturi ſumus ad extremum ordine, quem grati, imò gratiſsimi animi ſtudium nobis commendavit, ſi de tanti boni Proxenetis Conciliatoribusq; laude ſuâ non fraudandis quicquam adjunxerimus. Qui ſanè niſi fuiſſent, quomodo hæc pax, amabo, potuiſſet fieri? Illi conſilio & providentiâ, *quantum valuere, labore* penè plus quàm valuere, *remisq; velisq; manibusq; pedibusq;*, quod dicitur, eò contenderunt, ut quiete exoptatâ frueremur. Verbo dicam; eſſe eos inſtrumenta boni ſeculi. Nam rectè & ſapienter è Gallis, laudatiſsimi ob eruditionem nominis, Briſsonius, ore alius idem pronunciantis, de pragmaticis ejus generis Viris cenſuit: *Summis imperii moderatoribus pia & decora ſuadentes, inſtrumenta ſunt boni ſeculi.* Quæ inter ſanè & Legatorum eſt Ordo, ac vel maximè, cùm tranquillitati publicæ ſtabiliendæ navant omnem ſedulam operam. Ut quidem Principis dignitas Deo eſt proxima; & ille hujus eſt ſimulachrum; ita Principi vicina Legati, ut & hic meritò illius imago audiat. Quemadmodum

verò haud temerè ſuprà Pacificos Bellantibus Dominis Dominos antepoſuimus: ita eodem jure præ Fecialibus Caduceatores eſſe ſuſpiciendos conjicere poteſt nemo non. Et ſanè arduum eſt, Legatorum talium ſpartâ cum aliquo fructu defungi. Sexcenta optimos conatus eludunt. Quis igitur non intelligit, qualis quoq; de Collegio illo noſtræ pacis Procuratorum ſenſus eſſe noſter debeat intimus: dum illi magnis iſtis minutisq; (quanquam quid potuit hîc eſſe minutum, quod vel armis vel pace terminandum fuit?) expediendis tricis, tot dies menſesq; impenderunt, ut nobis demum nunc liceat ex voto eſſe tranquillis. Certè profectò, quòd mirificè ad eorum immenſam laudem facit, labor iſte omnis exſpectatione celerior & opinione de eventu conceptâ fructuoſior efflоruit. Quemadmodum autem illi à magnis Poteſtatibus huc ſunt amandati (quod muneris loco nos inferiores habemus; in Regem fuit ſtudium) ita æquiſſimum, ut, re tam egregiè confectâ, cum publicâ lætitiâ & gratiarum actione dimittantur. Quorum in commune quia ea eſt felicitas, ut illis homines Urbici ſatis grati aliquo opere iisdem digno eſſe nequeamus, niſi quòd libentiſſimè eorum agnoſcamus erga nos merita, & deprædicemus; ſummarum Dominationum erit, à quibus ad nos venerunt, operam fidemq; meritiſſimis honoribus & præmiis compenſare. Nos equidem eorum memoriam animis noſtris nunquam patiemur excidere. Et grande utiq; nefas eſſet, niſi ſigillatim hoc loco meminerimus autoritate Eminentiſſimorum partis Utriusq; Commiſſariorum, &, jure præcipui, Quinque-Virorum Polonicorum: quanquam & horum recordati,

nihil

nihil aliud præstare possimus, nisi ut fateamur, minimè & Hisce nos dignas, pro eo salutis nostræ caussâ suscepto & glorioſè exantlato opere, posse referre gratias. Illustrisimi præsertim Cancellarii (Cujus cum operâ indefessâ Reliquorum conspiravere studia) propensum affectum in coalitionem animorum & armorum abolitionem, ne laudare, quantum æquum est, nos posse apertè edicimus. Cujus suprà quàm dici potest & tunc præclarè enituit contentio de quiete procurandâ, cùm nescio quæ Enyo quosdam, sub ipsum pacificum congressum, ad vesanos motus stimulare & agitare incœperat. Tum enim ille, velut alter Mercurius, caduceo mentes manusq; suavissimè cohibuit. Interpretari igitur lubet, fato has exstitisse turbas, ut publicè constaret, in hujus præcipuè Irenarchæ operam oculos esse dirigendos. RICHELIUM Gallia suspicit, cui, post Regem, suam adscribit incolumitatem claritudinemq;, quam hodie nihil inferiorem habet, imò majorem & ampliorem, quàm ullo tempore: ZADZIKUM verò pari jure veneratur Polonia, veneratur Borussia. Quid? quòd sicut iis, qui naturalium momenta caussarum subtiliùs sciscitantur, & arcanis cœlestibus nobiles curas intulerunt, docere est suetum, præter Solem, agere in hæc inferiora omnem siderum reliquorum chorum, ac inter se eorum effectiones misceri: ita justum revera est, cùm Regis adscribere benignitati, tum indefesso Quinque-Virorum istorum Polonicorum studio, pacem hanc nostram tranquillitatemq;. Quibus cùm nihil item rependere habeamus, nec non pro eorum salute, quia & ipsi nos unicè salvos esse voluerunt, vota exsolvimus. Possumus homines omnes Phœbi Phœbesq;

ac cæterorum luminum lucem contemplari, quorum etiam vires in nobis abundantisſimè experimur; ſed nihil ad ea vel ſplendore vel viribus augenda conferre poſſumus. Perinde nobiſcum Borusſis eſſe comparatum ſentio. Poſſumus ac debemus, Dei in nos Clementiam, Regis benevolentiam, Legatorum exterorum induſtriam, magnamq; Delegatorum in pacem inclinationem agnoſcere; ſed quid eſt in viribus noſtris, quod aut Deo Clementisſimo, aut Regi benevolentisſimo, aut Legatis induſtrioſisſimis, aut Delegatis noſtræ ſalutis ſtudioſisſimis, in vicem rependere poſſumus? Verbis tantùm peragenda ſunt omnia; quæ factis non licet. Et verborum quoq; modò faciendus erit finis; nunquam autem recordationis tantæ benefactorum opulentiæ, & noſtræ contrà inopiæ. Illud ſupereſt, ut, quam veſtro favori adſignamus partam, conſervetis nobis, bona Numina, felicitatem, quò nos oppreſſos beneficiorum Veſtrorum magnitudine & copiâ teneatis. Nos ſanè tantam proſperitatem nobis apprecamur diuturnam. Hæc enim noſtrûm cœlo manus mentesq; inſerentium vota ſunt. Cuſtodi, ſerva, protege, Optime Deus, hunc ſtatum noſtræ Regionis præſentem, hanc pacem, hunc Regem, Regnumq; Poloniæ: & conſilia quæcunq; & pia & ſalutaria omni tempore ad exitum felicem provehe! Refulſiſſe videtur ſpes liberorum certa parentibus, innuptis matrimoniorum, literarum cultoribus efflorescendi, mercatoribus rei faciendæ, opificibus alimoniæ facilè acquirendæ; omnibus, ſalutis, quietis, pacis & tranquillitatis publicæ, privatæ. Ita ſolemnis erit nobis in publicis privatisq; laudationibus materia, tam Cœleſtis favor, quàm Regia clementia, & tam Divinorum, quàm Regiorum Pacificatorum induſtria.

DIXI.

GRATIARVM ACTIO AD PRÆSENTES
DNN. LEGATOS.

CELSORUM ATQUE PRÆPOTENTIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM LEGATI, PERILLUSTRES ET MAGNIFICI DOMINI, ſingulares me Veſtris Dignitatibus gratias debere profiteor. Vos non tantùm grave iter ſuſcepiſtis, boni iſtius, quod prædicavimus, nobis procurandi cauſſâ; quâ in re communem cum Magnorum Regum Legatis laudem habetis: ſed &, quæ Veſtra in literas ſingularis eſt humanitas, non dedignati eſtis Veſtro ſplendore Athenæum hoc illuſtrare. Illud in univerſam Urbem Gedanenſem & Regionem Borusſiacam beneficium eſt, hoc in hunc locum peculiare, peculiari gratiarum actione, ſi quid poſſem, celebrandum. Sed, quod non poſſum, memoriæ & eloquentiæ omnium præſentium commendo; qui, quantum valent, hoc nunquam non extollent, quòd ſentiant univerſi & ſinguli, eximiam eſſe PERILLUSTRIUM VESTRARUM DIGNITATUM comitatem; quibus undiq; fortunatum & ſalvum in florentiſſimam Patriam reditum mecum omnes, omnes precantur, ut & Reipublicæ Veſtræ Fœderatæ, aut pacem, ſi optabilis eſt, aut felix tutumq; bellum.

QVI
LITERATORVM SVNT MECOENATES,
VEL LITERARVM AMANTES;
VT
AFFECTVM SVVM
PVBLICE TESTARI HAVD GRAVENTVR,
CONFLVENTES
AD ORATIONEM AVDIENDAM,
QVAM,

DE PRÆMIIS
IN REPUBLICA
CONFERENDIS ET MODERANDIS,

IN GYMNASII NOSTRI AVDITORIO SOLITO,
SOLITA HORA NONA,
DIE XIV FEBRVARII HVJVS M DC XXXVI ANNI,
RECITARE EST ANIMATVS,

HENRICUS BERMANNUS,

NOSTRAS:
OMNI TAM OBSERVANTIA, QVAM STVDIO
CONTENDO

JOHANNES MOCHINGERUS,

IN ÆDE CATHARINÆA ADMINISTER SACRORVM,
ET IN GYMNASIO RHETOR.

P.
TYPO RHETIANO.

HONORATI LECTORES,

LITERATORUM MECOENATES,

AC QVICUNQVE LITERARUM AMANTES.

PEriculum facere iterum volumus, an Vos possimus argumento aliquo Oratione explicando tenere in theatro nostro literario? Id quod HENRICUS BERMANNUS, nostras, tentare modò vult, ad diem hujus mensis XIVtum, horâ IXâ: si tamen commodo illud Vestro fieri potest. Dicere instituit *de Præmiis in Republicâ conferendis & moderandis.* Grave, fateor, propositum est: verùm vix alio putavit inescari aures Vestras posse illicio atq; pabulo. Neq; Oratio inane debet esse verborum choragium, aut rerum parvarum causulas (ut magnarũ causarum disertissimus inter Romanos Patronus loquitur) explicare; sed ab alicujus momenti themate captare applausum. Adhæc verò illud quoq; ad rem declamatione pertractandam nostrum pepulit, quòd sit ei consilium, in studiorum suorum tyrocinio cum Oratoriis Politica jungere. Cujus sui instituti, quod non tacebo, neq; nullas ille rationes apud se habet. Dicendum enim prorsus est hoc loco, quod idem multùm facere videam ad amorem ei Vestrum conciliandum, quem, ne quid dissimulem, hac allocutione unicè quærimus. Obversantur eidem scilicet in mente exempla domestica, quæ tam sunt nobis quoq; bene cognita, quàm valde approbata: alterum videlicet Avi, alterum Avunculi, Vtriusq; eorum dignissimâ laude florentium. Ille jam beatè defunctus *DN. Hermannus Frederus*, Vrbis quondam Secretarius, in omnium nostrûm supersest memoriâ; alter præclarissimè Syndici munere fungens, *DN. Henricus Frederus*, cujus ore Respublica loquitur, dum tam dicendi facultate, quàm rerum civilium scientiâ egregiè floret, in oculis est nostris. Si quid igitur viribus omnibus, industriâ, & annuente Numine, consequi potest, istos assequi vult. Quis autem non facilè bene cupiat juveni tam sulphurati animi, ac exemplis melioribus inflammati? Quare, quicunq; estis, si indolem amatis bonam, promptissimis animis accurretis; sic divinatione aliquâ Vos oblectaturi, an futurum sit, si omnia faveant, ut ea simulacra, quæ in animo habet noster, aliquando referat? Si tamen aliquis est fastidiosior, ut vix possit persuaderi ad audiendum recentes è Scholâ declamatores, dum illud fortean secum animo menteq; volvit; quis tam patiens esse potest, ut aures commodet Arcadico juveni ruditu aliquo radendas? idemq; etiã insuper Shcolarum umbras penitus superciliosè despiciat: sciat se seorsim desipere, nec laudabiles laudatissimorum sapientum, eorumq; valde magnorum, mores & solemne tenere. Scholasticorum, hoc est, ex veterum sensu & judicio, scientissimorum quorumcunq; hominum

ludus

ludus semper fuit, in ludo versari: sed nos alia exempla quærimus. Neq; tamen hîc commemorabo, Zenonis, qui pater fuit Stoicæ familiæ, scholam sæpius intrasse, Regem Antigonum, & post obitum illius dixisse: Heu quale spectaculum perdidi! Neq; inferam, Pompejum (at quantum Imperatorem!) à bello Mithridatico reversum & Rhodum adventantem, liberalium artium professores omnes in officinis suis studiosè audivisse. Nec dicam, Carolum IV. Romanorum Imperatorem, in Scholâ Pragensi, non attento purpuratorum suorum fastidio & bile, quam fames conciverat; protractas disputationes auscultasse. Tacebo etiam, Alphonsum Arragonicum Regem, nunquam non cum elogio dicendum, ad auditoria, in quibus literæ docebantur, etsi longè distarent, pedibus venisse, ac humillimæ conditionis mistum pueris Æneida Homeri Mantuani, explicante Panormitano, considerasse. Omnia ista inter Scholarum cantilenas jam sunt. At illud unicè omnibus præferam faculæ instar exemplum LUDOVICI XII. Galliarum Regis. Ille, mortuo Consistorij Agennensis Præside, honorificentissimum & præclarissimum id munus, (dignitatem jure vocabimus) studioso cuidam adolescenti, quem scitè perorantem audiverat & viderat, ac ejus nomen in breviario notaverat, tanquam rei benegestæ præmium gratis contulit. Dignum, cui illud vetus præscribatur: BONUM FACTUM. Testis est, si quis aliquem requirit, Blasius Monlucensis, & ex eo, Besoldus, diligens multorum autorum lector ac Eclogarius. Eja itaq; agite, ô Vos Vrbis nostræ Rectores, tantum sequimini exemplum. Ludos, quos Majores erexerunt, (quod facitis) conservate & ornate. Eos, qui docent, discuntq; observate: utrosq; verò etiam preciis ad diligentiam & industriam acuite. Cumprimis autem ad laudem incensa atq; literarum ardore succensa, quasi, afflante benevolentiæ atq; beneficentiæ vento exsuscitate ingenia. Tanti deerit nec gloria facti, nec fructus. Vos quoq;, Cives omnes, atq; Civium DOCTORES Reverendi, ac quicunq; præclarum bonorum Virorum nomen tueri vultis, ordine feceritis, si in Scholarum stadiis currentes secundis admurmurationibus & sereno vultu juveritis. Quis enim Vestrûm est, qui nolit libenter suos à magnâ coronâ audiri, ac *digito monstrari & dicier, hi sunt.*

Ego sanè illud non rarò memoriâ repeto, quod antiquis proditum est annalibus. Nempe, cùm pater aliquando filios Lduos in udis Olympicis coronari cerneret, & populo flores conjiciente ipse inter victores procederet medius, adeò honorifico hoc spectaculo permotum fuisse haud usq; quaq; malum senem ajunt, ut in ipso liberorum amplexu, præ diffusâ lætitiâ exspirarit. Si quis id miretur, admirationis desinet, cùm apud animum suum pensiculârit, parentum magis in liberis suis animas habitare, quàm in seipsis. Sed quorsum ista tam altè petita proferimus, & cum quadam accuratione, ut videri potest, conquisita promimus? Obvium adhuc aliquid, quod in promtu

promtu eſt, ubi attulerò, non Vos motabor ampliùs, MEI LECTORES. Vidi ſæpe puer, ac Veſtrûm unus & alter quoq; novit, quomodo gladiatores noſtri, (rudiarios aliquo jure dixerimus) ſuos ſpectatores, imò æs eorum, cui inhiant, ad ſpecimina ſua invitent. Vt rhetoricari ſolent! Meminiſſe nunc attinet argumenta eorum. Divinâ ſe congredi adjutante potentiâ aliquando cornicantur. Temeritas autem eſt, ſic ſentire ac loqui, imò parùm abeſt à blasphemiæ crimine. Tum ad Magiſtratus autoritatem provocant. Rectè: ſed ea talis eſt, quæ connivet ad ſtulta populi ſtudia atq; delicias. De hinc paratragœdiant de fortitudine ſuâ: de quâ nondum conſtat, an talis ſit, an oſtentativâ cum quadam virtutis ſpecie, & vitio valde affinis. Ac deniq; appinguntur paria ineptientium, ut leviter dicamus. Et tamen multa confluit turba, nec piget emere nugas ſpectandi licentiam. Turba verò id facit, qualem nolim præſentem in palæſtrâ noſtrâ Oratoriâ: verùm velim exemplum ejus in re multò honorificentiori florem populi Suadæq; corcula ſequi, cùm ea à nobis ad meliora ſpectacula convocantur. Eò quoq; nunc invitamus Optimos quosq;, nec vulgares Viros, ad audiendum declamatorem noſtrum; quòd videlicet de præclaro argumento dicturus ſit: quòd omnium noſtrum amore dignus eſſe videatur; quòd in magnis Regibus familiare fuerit, de rebus literariis differentes audire; quòd quisq; ſuis id honoris vellet exhiberi, imò ſibi; ac deniq; quòd in leviori negotio fæx plebis excitata, cum accurſu & ſtudio quodam horas malè collocatura, laudem nobis præripere non debeat. Hîc certè rectiùs oleum operaq; impendetur. Aut me verò omnia fallunt, aut faciles Vos habebimus,

HONORATI LECTORES,
LITERARVM MECOENATES,
AC QVICVNQVE LITERARVM AMANTES ESTIS:

quos ideo ad extremum, ſi opus eſt, etiam oro rogoque. Scripſi Gedani, in Muſeo noſtro, Anno M. DC. XXXVI. die XII. Februar: Eulaliæ, quæ à bene dicendo laudem nomenq; accepit, laude nomineq; commemorabili.

DE

POLYTROPIA,

EX CATHEDRA GYMNASII SOLEMNI,
ANNO M DC XXXVI,
DIE IX. JVNII PROXIMA, PAVLO
POST MATVTINAM IXam,
HABERE ORATIONEM COGITANTI,
ELEGANTIS ET CVPIDISSIMI INGENII
DOTE ORNATISSIMO,
E NOSTRIS,
FRIDERICO HENRICHSEN,
VT AVRES DENTVR BENEVOLENTISSIME;
PRO DIGNITATE,
STVDIA, CVLTVM, REVERENTIAM,
CVICVNQVE POLLICITVS,
HUMANISSIMIS VERBIS,
PETO,
VOTISQVE OMNIBVS
EXPETO,
JOHANNES MOCHINGERVS,
AD D. CATHARINÆ ECCLESIASTA,
GYMNASIIQUE PROFESSOR.

P.
TYPORVM FORMIS RHETIANORVM.
GEDANI.

LECTOR BENEVOLENTISSIME.

SI verum eſt vulgatum illud, *cognoſcendi avido omne proœmium longum eſſe:* quid attinet multos hîc circuitus facere, antequam, quid hac allocutione velim, ordine expoſuero? Da igitur tantùm te mihi, quisquis es: conferam verba ad compendium, & paucis omnia exſequar. Doleo, MI LECTOR, in tam multivariâ omnis generis rerum cognitione, quâ hoc noſtrum florere ſeculum intelligimus, duo penè ignorari: certè vix inculcari, ut commodo omnium noſtrûm fieri par eſſet. Alterum *Polymathia* eſt; *Polytropia* alterum. Iſta quidem multæ diuturnoq; ſtudio acquiſitæ eruditionis; hæc tutæ & jucundæ cum hominibus conſuetudinis fructus eſt. Neutra Scholæ tantùm neceſſaria eſſe videri debet: utraq; ad vitam facit. Illa ita ſpreta eſt, ut nomen ejus, quod mireris, rariùs hodie audiatur aut legatur: cùm non item à veteribus tam incuriosè neglecta fuerit; ſed multa ſanè ejus apud iſtos mentio. Exinde eſt, quòd bonus quidam, quanquam recens, autor, cùm eâ de causâ in fermento eſſet, *Pudet me*, ait: *ſeculi hujus. Earum artium, quarum ſcientiam nobis adrogamus, nomina neſcimus.* Hæc ille: Verùm ego adhuc ita nolim ſtomacho effervescere. Quin hor-

tari omnes potiùs libet, quò eorū, qui ante nos ſapientiæ laude floruerunt, exempla ſecuti, eā ſectari inſtituāt doctrinā, quam ad neceſſitatem & voluptatè, deniquè & ad famam ſpectare omnino ſentire debemus. Dicat autem aliquis, qualis eſt illa tandem? Dicam: Varietas artium eſt, ſine quâ nemo ad ullam rem illuſtriorem ſatis ornatus accedere poteſt. Dicam iterum: ſtudium eſt, quod reconditis in artibus, atq; in quadam varietate literarum verſatur. Deniq, verbo dicam: *Polymathia eſt.* Eam Orator Romanus à quovis, qui gemino cohoneſtari velit nomine, requirit. Nam ita alicubi diſertè ſcribit: *meâ quidem ſententiâ nemo poterit eſſe omni laude cumulatus Orator, niſi erit omnium rerum magnarum atq; artium ſcientiam conſecutus. Etenim ex rerum cognitione efflore ſcat & redundet oportet oratio: quæ, niſi ſubſit res ab Oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & penè puerilem.* Non alia mihi eſt de diſſertatore quot dierum, aut quot horarum ſententia: ut qui ſanè, niſi & multâ & omnigenâ ſcientiâ ſit imbutus, in omnis ſermonis diſputatione copioſiſſimè & extemporaliter verſari nullo pacto poteſt. Conſentire autem mihi videtur, lectus de vitâ ciuiliter inſtituendâ ſcriptor, Guazzus: cujus hæc ſunt verba, turbida illa quidem, ut è verſione deprompta ſunt, ſed quæ tamen ea, quæ in autographo Hetruſcâ elegantiâ nitidiùs conſcripta leguntur, ad ſenſum ſatis exprimunt. *Cùm plerumque*, inquit, *in converſationibus contingat, ut de variis diſeratur, & de uno ad aliud (ut eſt in proverbio, di palo in fraſca, hoc eſt, de palo in ramum) proſiliatur: nihil eſt, meâ quidem opinione, quod plus honoris conferat, & majorem in honeſtis ſodalitiis gratiam conciliet, quàm ſi quis, ut dicitur, univerſalis ſit, & manicas diverſorum miſcellaneorum*

plenas

plenas habeat. Vide, ſis, reliqua, quæ antecedunt, & iſtis, quæ allata ſunt, antecellunt. Adhæc, ut de noſtrâ Theologiâ quicquam addamus; nec ea in Myſtagogo numeris abſoluta omnibus fuerit, niſi juſtam doctrinæ cùm humanæ, tum divinæ multiplicem copiam & elegantiam comitem habuerit. Etſi enim Myſtæ rerum ſacrarum proprium atque peculiare ſit, oraculorum Dei ſenſum tenere & dare: confitendum tamen eſt, id ſæpè exactè fieri non poſſe, niſi aliunde quædam promantur & aſſumantur. Dem autem, non ubiq; iſtius literaturæ apparatum explicari poſſe: quantò id vel mihi *magis eſt* concedendum, facilè apparere, utrum quis ejus *literaturæ*, quâ diviniori ſcientiæ miniſtrandum eſt, rudis ſit, an didicerit? *Vt enim,* (quod de ſuâ penu mihi Rhetoricus Doctor largiatur) *qui pilâ ludunt, non utuntur in ipsâ luſione artificio proprio palæſtræ; ſed indicat ipſe motus, didicerintne palæſtram, an neſciant?* ita in tractatione rerum ſacrarum non obſcurum eſſe poteſt, utrùm is, qui tractat, tantùm in tractatorio opere ſit jactatus, an ad tractandum omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit? De reliquis idem eſto judicium. Eja igitur, animæ nobiliſſimæ, aſſerite ad ſeculi noſtri laudem ab injuriâ oblivionis *Polymathiam:* eâdem autem, ad decus veſtrum, in omni vitæ ſtudiorumq; genere utimini. Qui ante nos in literarum ſtadio decurrerunt, lampadem hanc nobis tradidere: ridebimur, ſi inter manus noſtras hærens exſtinguatur. Aut, ſi hoc penſi habere non vultis, illud penſiculare reliqvum eſt: abſque hac ſi ſit *Polymathiâ*, omne ſtudiorum ge-

nus fore, ut illud, de quo Poëta ait, *cui ſit lumen adẽtum.* Ne plura: plus ſatis iſta ſufficere poſſunt, quæ hucuſque anguſtiori in hac pagellâ, ut quæ alteram non implere manum debet, de *Polymathiâ* ſunt expoſita. Quemadmodum enim Geographi orbem regionibus ampliſſimum parvos intra globi terminos arctant, & oculis contemplandum objiciunt: ſimiliter & ego de regno quodam ſcientiarum verba faciens, brevitatis, quàm ullius alius rei, rationem habere volo ſciens lubensq; majorem. De cætero ad eundem modum, quæ dolor nobis jure dictare videtur, *de Polytropiâ* loqui reſtat: quòd nempe ea inſuper multò magis ſit ignorata. Quæ tamen illa eſt virtus, MI LECTOR, quâ Homerus, Poëtarum Apelles, Ulyſſem, qvum eum ſummo pingere voluit opere, decorauit multò potiſſimùm. Hocq; in ipſo exactiſſimæ Odyſſeæ limine eſt reperire, cùm ita ſcribit:

Virum dic mihi Muſa polytropum, qui valde multùm
Erravit, poſtquam Trojæ ſacrum oppidum diripuit,
Multorum qui hominum vidit urbes & mores novit.

Scio, ſcio quidem complura hodie exempla ſe ingerere, quæ à *Polytropiâ* laudem mereri volunt: ſed apage mihi iſta, neque de iis hîc cogita. Aliud in ſtudiis ardelionatus eſt; aliud *Polymathia:* aliud itidem innocens *Polytropia*, non ferenda tantùm, ſed & laudanda; aliud verò fallax nocenſque ſimulatio, &, ut poſt alios ita loquar, veteratoria verſutia eſt: & hanc, ut nec laudandam, ſic nec ferendam eſſe, ſeriò & ex totâ animi mente cenſemus.

Ingre-

Ingrederer hæc uberiùs & enucleatiùs explanare, niſi id negotii FRIDERICO HENRICHSENIO noſtro, Oratione paulò curatiori, exponendum dare voluiſſem. Noſtro ajo HENRICHSENIO. Nam noſtras eſt, quòd in Urbe hac, communi altrice noſtrâ, natus ſit. Noſter præterea diſciplinâ & amore. Ad nos enim ſe applicavit, ut Cicero ad Molonem aliquando: tum reliquos in Athenæo noſtro Cratippos audiit. Jngenium, ſi dicere velim, tale habet, quale multi optent ſibi, ſi ſuæ mentis ſint. Eo quia utitur, facilè profecit: ac maximè, quia alteram quoq; ſtudiorum alam adhibet, multam inquam diligentiam, egregia in *Polymathiæ* regno ſpatia emenſus eſt. *Polytropiam* de reliquo ſibi comparare meditatur: idque, cùm commodum erit, effectum dabit. Ei ego juveni autor hortatorq; fui, ut informatæ de eâ ſcientiæ periculum ederet, publicequè quicquam aliis audientibus diceret. Dictum reddidit factum: utpote qui facilè ſibi optima quæque perſuaderi patitur. Supereſt igitur, ut uterq; noſtrûm intelligat, neutrum in eâ tantâ re audendâ peccaſſe; me imperando, illum obſequendo. Id Veſtræ, LECTORES MEI, benevolentiæ atq; judicii calculis declaratum nobis eſſe interpretabimur, prout propenſi paratiqúe fueritis, cum aliquâ frequentiâ ad meletema noſtrum audiendum confluere. Quoniam autem ea eſt quorundam, quos hic alloquimur, dignatio ac conditio, ut ad hoc officium, quo ornandi atque iuvandi ſumus, rogatu flectendi videantur: eos, ut par eſt, optimis oramus & invitamus verbis, ut & ad-

esse, & audire, quin &, pro edecumatâ illâ *Polytropiâ* suâ, censere dignentur. Audiri autem vult, de *Polytropiâ* dicturus Declamator noster, ad diem proximum XIV hujus mensis, horâ IX. in Lycei nostri auditorio maximo. Unum verò, antequam audiatur, deprecor & caveo. Idq; est, ut ne quis aut Ulysseâ prudentiâ instructior, veterani illud Imperatoris, Hannibalis cogitet, qui, quòd, se præsente, Phormio de re militari, cujus inexpertus erat, ausus dicere fuerit, Peripatetico doctori inter senes largiùs delirantes principem locum assignavit; aut apud animum suum hoc in dicentem jaciat dicterium: impudentem esse, qui gestum in scenâ agere audeat, spectante Roscio. Nam quidni precariò hoc dari juveni posset, ut securus, quasi in mentem ista Vobis non venerint, quæ instituit, tantùm sua peragat! Id quod si à Vestrâ æquitate & benevolentiâ impetraverimus, multum Vos, LECTORES, nostri amoris atq; honoris caussâ fecisse sentiemus, prædicabimus, &, ut quimus, ad memoriam conservabimus. Valete. Gedani, è Musco meo, ANNO cIↃ IↃc XXXVI. die IX. Junij.

GEDANI CALAMITAS:

RELATIONE FACTA,

DE FVNERIBVS QVIBVSDAM PRÆCLARISSIMIS,
NON ITA PRIDEM IBIDEM CONFECTIS;
EAQVE INTER RECENTISSIMO,
ET MVLTO OMNIVM ACERBISSIMO,

Dni. IOHANNIS ERNESTI SCHROBERI,

SIDERIS VRBICI FVLGIDISSIMI,
ANNO HOC, A CHRISTI ORTV, M DC XXXIX.
DIE OCTOBRIS PRIMA,
ÆTATIS SVÆ DVODESEXAGESIMO ANNO,
OCCIDENTIS;

ET

MAGNA CIVITATEM MOESTITUDINE REPLETAM,
OBITVS SVI OCCASVSQVE CAVSSA,
POST SE, TANTVM NON SQUALIDAM, RELINQUENTIS;
NAIMÆ INSTAR, CVM NAOMI,
CHARISSIMIS VIDVATA FILIIS,
EIVLANTEMQVE DICENTEMQVE:
NE VOCATO TE ME NAOMI; VOCATE ME MARAM:
EO QVOD ME AMARITVDINE
OMNIPOTENS VALDE AFFECIT.
PVBLICATA,

STYLO

JOHANNIS MOCHINGERI,

PATRII FATI TRISTITIA AFFECTI.

GEDANI,
E TYPOGRAPHEO RHETIANO.

I.

DE EMIGRATIONE
PETRI CRVGERI,

MATHEMATICI GEDANENSIS CELEBERRIMI,

SUÆ ÆTATIS ANNO VNDESEXAGESIMO,

ÆRÆ AVTEM CRISTIANÆ M DC XXXIX. DIE IVNII VI.

EX HAC AD COELESTEM VITAM
HINC ABEVNTIS,

RELATIO.

CIVISQVE HOSPESQVE GEDANI:
NE NESCIAS.
NON OBIIT, SED ABIIT
PETRUS CRUGERUS;
ECLIPSIN IAM PATI NESCII, IVSTITIÆ SOLIS
OBSERVANDI CAVSSA:
COELESTIS FORNICIS,
DVM SVBEO DIVERSARETVR,
CONTEMPLATOR ILLE VIGILANTISSIMVS:
ANTEHAC NUNQUAM VISI COELI NUNC INQUILINUS,
CVIVSQVICQVID CADVCVM,
DIE, IN FASTIS MEDARDO SACRA, HESTERNA
ANNO DOMINI M DC XXXIX.
SERMONES INTER VARIOS, SED PROSPEROS,
SUMMORUM, MEDIOXUMORUM, INFIMORUM,
DE AMPLISSIMA VIRI ERVDITIONE,
PARIQVE FAMÆ CELEBRITATE;
ET COMPRECATIONES SOLATII OMNIVARII,
MARITOQUE FILIAQUE SIMUL ORBATAM VIDUAM
DEUS, UNIVERSI CREATOR, UT RECREARE VELIT;

LVDO,

LVDO, IN QVO DOCVIT, VICINA IN ÆDE,
ALMÆ HOSPITÆ, TERRÆ GREMIO
EST INSERTVM;

ANIMA, CORPORIS HOSPES, FIDEI ALIS ADIUTA,
ET SPIRITUS SANCTI FAVONIO SUBLEVATA,

COELO CVM SE, VINCVLORVM EXPERS, INSERVIT,
TRIDVVM EST, ET QVOD EXCVRRIT.
NEMPE, CVM A SE ANIMO OCVLISQVE SPECTATVM ESSET
SÆPE SÆPEQVE;

ILLUM MUNDI OCULUM, SOLEM NON RARO OBSCURARI:
QUOD ITERUM PRONUPER EST FACTUM,
DIE FESTVM ADSCENSIONIS CHRISTI PRÆCEDENTE;
ALTERA SUI PARTE LECTO AFFIXA,
CHRISTIANUM IN MODUM IMPATIENS, INQUIT:
SEQUAR EUM, QUI SUPRA COELOS EMERSIT OMNES,

VT VIDEAM, NOCTE DIEQVE QVOD LVCET;
ANTE SECVLA, QVOD SPLENDVIT;
IN ÆTERNITATEM QVOD RADIABIT;

NUNQUAM NON OBSERVABILE, ADMIRABILE,
PERPETUOQUE ADORANDUM LUMEN, NUMEN.
ET ITA ABIIT, NON OBIIT:

HOC COGITANDVM RELINQVENS OMNIBVS,
NON MINVS POETA BONVS, QVAM ASTRONOMVS OPTIMVS.

Felices animæ, quibus hunc cognoſcere Solem;
Inque domum ſuperam ſcandere cura fuit.

ID QVOD,

GEDANI CIVISQVE, HOSPESQVE,
DE
VIRI MINIME GENTIVM OBSCVRI
EXCESSV
HABETO.

II.

EXSEQVIARVM

MARTINI OPITII, SILESII,

HONORI DEBITO MERITISSIMOQVE.

ABSIT ENIM,

SUPREMUM HUMANITATIS OFFICIUM
EI QVISPIAM VT INVIDEAT:
QUI EODEM PROMTISSIME PROSECUTUS EST OMNES,

ET CVM MAXIME VIROS INCLYTOS;

SICVTI ADMODVM NVPER *PETRI CRVGERI* FATVM,
MATHEMATICORVM NVLLI SECVNDI,
IPSE POETARVM SECVNDVS NVLLI,
INTER GERMANICOS VERE PRIMUS PRINCEPSQUE;
UNDE IAMPRIDEM BERNEGGERUS VATICINATUS,
FORE, VT GERMANORVM AVDIAT VIRGILIVS,
IPSIVS SERÆ POSTERITATIS IVDICIO.
EGO HOC DE EODEM DICERE HABEO:
EGREGIO FVISSE PRÆDITVM INGENIO;
COLLINEANS HABVISSE IVDICIVM;
MORES OSTENDISSE AMABILES;
MAGNIS NOMINIBVS FVISSE CHARVM;
NEMINI NON OBVIVM;
PATRIÆ, VT ET LINGVÆ EIVS, DEDITISSIMVM;
FAMÆ LITERATVRÆQVE NVLLIVS INVIDENTEM;
EO QUOD IPSE FAMÆ LITERATURÆQUE
POSSESSOR ESSET AMPLISSIMÆ.
VERSIBUS IN SCRIBENDIS METRUM NON EXCESSIT:
VITAM ET CARMINVM ARGVMENTA,
SI ABERRASSENT,
PVBLICÆ MEMORIÆ ERGO ET IMITATIONIS,
VT EXPIARET;
HYMNOS DAVIDICOS OMNES
IDIOMATE GERMANICO, ET POESI VERE GERMANA,
NON ITA PRIDEM CONCINNAVIT CONCINUITQUE.

CVIVS LAVDEM STVDIOSE AMPLIFICATVROS,

QUI IPSVM VIDERE, NOVERE, AMAVERE,
EIUS ETIAM POEMATA LEGERE, PROBAVERE:
EOQUE, QUI USI SUNT SIVE MAGISTRO, SIVE NECESSARIO,

ECQVIS DVBITET?

NOSHÆC PAUCULA, NON CELEBRANDI AMICI CAUSSA;
SED NOSTRI IN EIUSDEM RECORDATIONEM STUDII GRATIA.

NONDVM DOLOR! SENEX, IDEMQVE COELEBS,
SED MVLTA INGENIO ADHVC PARITVRVS,

EHEV! PRÆFESTINE OBIIT.

ANNOS TRES SUPRA QVADRAGINTA NATVS.
SEPULTUS IN ÆDE GEDANENSI MARIANA SUMMA.

SIC GEDANI IN VRBE OSSA QVIESCVNT:

NOMINE OPITIANO PER ORBEM VOLANTE.

III.

LEGE, QVÆSO, LECTOR LVGEQVE.

NOSTRAM ENIM, SI NOS HAVD ODISTI, DOLE VICEM,

HIC GEDANI IAM FUNERIBUS DENSANTVR FUNERA:
QUÆ INTER MAXIME FUERE ILLÆTABILIA;
HONESTORVM QVORUNDAM CIVIUM REPENTINA;
MATHEMATICI VIX COMPARABILIS INOBLITUM;
POETÆ ET POLYISTORIS IMPROVISUM:

SVCCEDENTE EHEV! NOVO, EOQVE TRISTISSIMO,
VERBIS VIX SAT EXPLICABILI,
LACRYMIS NON SAT DEPLORANDO.
QVANDO IS ETIAM VIVERE DESIIT,
IN QVO VIX QVICQVAM MEDIOCRE,
FORTUNA DIGNITATIBUSQUE ADMODUM PROPITIIS:

PRÆTER VESTITVM ET ANIMVM,
UTRUMQUE, OB MODESTIAM, VALDE MODERATUM.
CÆTERVM, NON MEDIOCRE IN EO INGENIVM,
QUO INSTRUCTUS OMNIVARIAS PERDIDICIT ARTES:
NON MEDIOCRIS IN EO INDVSTRIA,
QVA ENIXVS EMINVIT:
NON MEDIOCRIS IN EO MEMORIA,
QUA DOTATUS TOT COMPREHENDIT LINGUAS:
NON MEDIOCRIS IN EO COMITAS,
QUA CONDECORATUS DOMI FORISQUE ACCEPTUS EXSTITIT:
NON MEDIOCRIS IN EO PROVIDENTIA,
QUA USUS NULLI GRAVIS FUIT, SUAVIS OMNIBUS:
NON MEDIOCRE IN EO ELOQUENTIÆ SILENTIIQUE STUDIUM:
EX QUO INTER SECRETARIOS CIVITATIS ELOQUENTES COOPTATUS.
DENIQUE SUMMA DE EO SPES SEMPER CONCEPTA.
HINC, IN PATRIÆ COMMODA ET EMOLVMENTA,
HONOREM VERO IPSIVS, DECVSQVE IMMORTALE,
VIRTVTE, NON FAVITORIBVS,
AVT VIRTVTIS CERTE FAVTORIBVS
EVECTUS,
INTER SCABINOS, SENATORES, CONSULES, PRÆCONSULES:
OMNI TURBA CONCORDITER SEMPER APPLAUDENTE;
QUOD QUOVIS HONORE DIGNUS ESSET, SI QUISQUAM.
SICUT IDEM COMPROBAVERE MUNIA OBITA OMNIA:
JUDICIA, CONSILIA, LEGATIONES EXPEDITÆ;
EXSPECTATIONE SUI SUSTENTA, AUCTA, ADIMPLETA.

IS EST,
UT TANDEM HOSPITI PEREGRINOQUE DICAMUS:
CUM CIVES OMNES BENE NOVERINT, QUEM DICIMUS.
JOHANNES ERNESTUS SCHROEERUS EST:
QUO CUM PATRIA NIXA BENE SPERARET,
TANQVAM SCIPIONE SVO;
ECCE DEUS EIDEM ILLUM SUBTRAXIT;
SIBI VICTURUM, ETSI NOBIS NON VIVAT.
NISI QVOD INGENII, VIRTVTVM
VT ET COMPLVRIVM ORNAMENTORVM
RECORDATIONE,
CONSPICVORVM
IN ADOLESCENTE, CIVE, MARITO,
SENATORE, CONSVLE, PRÆCONSVLE,
VNDIQUE EXIMIO ET CHRISTIANE RELIGIOSO,
IN URBIS SUPERFUTURÆ MEMORIA, IN FASTIS,
VICTURUM EST NOMEN LONGE CELEBRATISSIMUM,
SINE ENCOMIO ITERVM DICENDVM,
ELOGIORUM ORATORIORUM POETICORUMQUE MILLE INSTAR
JOHANNIS ERNESTI SCHROEERI.
INTERIM NUNC BENE MOESTI GEDANENSES OMNES,
VERBIS FIDUCIAQUE VIRI DIVINI, PRECAMUR:
SICUT NOS AFFLIXISTI, LÆTIFICA NOS ITERUM DEUS!
FIAT!



AMPLISSIMO

DN. HENRICO FREDERO,

DE SALUTE CIVITATIS COMMUNI,
SVMMIS VIRIBVS;
DE COMMODIS AMICORUM SINGULARIBUS,
VIGILANTIA MAXIMA,
BENE MERITO, BENEQVE MERENTI,
GEDANI NOSTRI SYNDICO,

CUM
VIRGINE AMABILISSIMA;

REGINA VVIDERIA,

DN. MARTINI WIDERI,
FILIA SECVNDO-GENITA,
JAM ITERUM-SPONSO,
FAUSTA QUÆQUE PROPENSISSIME EXOPTANTIUM
ACCLAMATIO,

STYLO
JOH: REGINCHOMI,
CIVIS ET AMICI,
VT DEBENTIS, ITA VOLENTIS,
EXPRESSA,
ET IPSO FESTIVITATIS DIE NUPTIALIS,
RECORDATIONI DOROTHEÆ DICATO,
QVI EST IN FASTIS FEBRVARII SEXTVS,
ANNI NOVI M DC XL.

TYPIS RHETIANIS
EXHIBITA.



AMPLISSIMO

DN. HENRICO FREDERO,

DE SALUTE CIVITATIS COMMUNI,

SVMMIS VIRIBVS,

DE COMMODIS AMICORUM SINGULARIBUS,

VIGILANTIA MAXIMA,

BENE MERITO, BENEQVE MERENTI,

GEDANI NOSTRI SYNDICO,

CUM

VIRGINE AMABILISSIMA,

REGINA VVIDERIA,

DN. MARTINI WIDERI,

FILIA SECVNDO-GENITA,

JAM ITERUM-SPONSO,

FAUSTA QUÆQUE PROPENSISSIME EXOPTANTIUM ACCLAMATIO,

STYLO

JOH. REGINCHOMI,

CIVIS ET AMICI,

VT DEBENTIS, ITA VOLENTIS,

EXPRESSA,

ET IPSO FESTIVITATIS DIE NUPTIALIS,

RECORDATIONI DOROTHEÆ DICATO,

QVI EST IN FASTIS FEBRVARII SEXTVS,

ANNI NOVI M DC XL.

TYPIS RHETIANIS

EXHIBITA.

GRATULATIO.

CIvium Urbis noſtræ, ut & Tui Amantiſimorum, non uniusCivitatis hujus mœnibus comprehenſorum, omnis numerus, gratulatur applauditq; Tibi, non omine minùs, quàm numero attento, ſecundas, hac luce, *Dorotheæ* ſacrâ, nuptias, cum Virgine amabilisſimâ, cœlitusque deſtinatâ, celebraturo, *Sponſe* lætiſſime. Illi ſuarum eſſe partium id facere rati; ne non, pro re natâ, intelligeres, velle eos enixiſſimè univerſos ac ſingulos, ut nunquam non privatim Tibi bene ſit, cùm Tua id curæ gravisſimæ haud facilè unquam ſubterfugerit induſtria, ut Patriæ bono communi deſit nihil: & hi, ne non Tuæ erga ſe benevolentiæ ſtudia, quibus iterum atque iterum Te, pro virili, ipſis declaraſti negotioſum, qualicunque efflictim gratæ mentis documento teſtificationeq; opportunè penſarent: veriti utriq; inſuper, ne admodum inofficioſi viderentur, niſi occaſionem tam commodam, quæ ipſis ſe obtulit, officioſi honoris promptitudine Te colendi, ambabus prenſarent manibus, ſed otioſis mutisque ſibi elabi paterentur. Eſt equidem conjugalis vitæ ſocietas, ſi re potiùs, quàm nomine ſecunda fuerit, felicitatis, ad hanc vitam pertinentis, pars ſanè magna, quàm nec optare ſibi poteſt quisquam ſatis, nec ejuſce compoti pro digni-

dignitate, gratulari neceſſariorum, quisquis. Unde, quantumvis multa Tibi, *iterum Sponſe*, Dn. FREDERE, in vitæ Tuæ, non adeo multis annis numerabilis, decurſu incommunia proſpera obtigerint; illud tamen conſideratus aliquis tantùm non reliquis antepoſuerit, quòd primùm etiam nupturiens talem, divinâ benignitate favente, nactus ſis uxorem, quæ nec re, nec ornamentis, frugi matremfamilias, cùm auribus aliorum, tum oculis mariti mirificè ſe commendantibus, inanis fuit, ſed longè inſtructiſſima. Quàm etſi jam nunc hic laudatum ire vellem, nullatenus tamen mihi metuendum, ut aut illa in invidiam, aut ego in adulationis crimen incurreremus. Unicum certè hocce, *novenupte*, quî ſit nefas publicare nobis, bonæ, quæ in eâ quondam habitavit, mentis benè conſciis, ut & pro planè perſuaſo habentibus, eandem, quondam Tuam, *Turovianam Barbaram*, ſi, cœlo recepta, earum rerum, quæ ſub eodem mortales inter geruntur, modò gnara eſſet, indubiè non apud ſe in præſens lætaturam tantùm, verùm & in hunc prolocuturam ſenſum?

Fruatur novâ maritus olim meus compare! & diuturnior ipſi cum eâdem ſit ſocietas, quàm inter nos fuit! ſit autem tantummodo æquè ſuavis ipſi cum eâ vitæ uſus, atq; mecum fuit! nam hoc ſuaviorem, ſat ſcio, ipſe ſibi non optâbit. Gaudeant mea corcula, binæ illæ, perchariſſimæ mihi ſemper, *Barbara*, & *Catharina*, patris à me relictæ amori, ut & matris æmulæ! ego cum *Henrico* meo, qui me ſecutus eſt ocyùs, læta ibi degens, ubi, extra caſuum temporumque viciſſitudines, à benigno

gno judice posita sum, in meâ mihi applaudo felicitate, ut inexplicabili, ita inæstimabili; exspectoque verò, cùm tam onustum seris annis maritum, & prosperrimâ ac perennante famâ elatum, quàm filias (si ita Deo visum fuerit) matres, aviasq; factas, hic in contubernio habere dabitur, ubi novâ perfusa lætitiâ triumphabo, visis apud me iis, quos post excessum meum, in orbe varietati obnoxio, reliqui, translatisq; huc ad meliora, & receptis in commune æternitatis beatissimæ domicilium. O gaudium optatum! o lætitiam exspectatam! o sensum *inenarrabilem!*

Quid nos igitur, amici Tui, Sponse noves, agimus, dum conamur Tibi repræsentare, hilaritati & votis secundis Tuis, effusissimè bene cupientis, ante-maritæ Tuæ sermocinationem, Angelici eloquii similem? Agnosce tamen hinc quomodocunq, ejus à Te nec dum divisum, diversumq; animum: quemadmodum Imperator ille Augustæ, malâ Magi arte, sibi insanè id discupienti exhibitæ, per momentorum aliquot fluxum, se oblectavit conspectu, verrucæq; à se circa cervicis extrema curiosissimè quæsitæ animadversione. Tu bonam, & jam etiam beatam, quam primùm maritus habuisti, fœminam cœlo frui patere, ubi eam aliquando revera iterum conspecturus es, ut minimè opus sit ejus hìc contuitum vanis & illicitis appetere votis.

Nunc autem, *secundò & (o utinam!) secundè salutate Sponse*, ad recenter delectam dilectamq; Te converte Tuam *Reginam*, talem, uti auguramur, & nomine, & re, & virtutibus Tibi futuram, illamq; simul paso, simul

mul ſuavisſimo recipe amplexu, quæ, dubio procul, bonâ bonæ prioris conjugis cum pace, & multâ cum gratulatione noſtrâ, ſe Tibi advolvit. Hanc Numen Optimum, cui fœdera ſocialia ſapienter riteq; ſuſcepta, hoc eſt, Tuis ſimilia, (aliorum & malè initiatorum alius quæratur autor,) rectè adſcribere poſſumus, Tibi ſervaſſe, propriamq; dicaſſe, ex diei hujus Tibi nuptialis, *Dorotheæ*, hoc eſt, divinitus donatæ nuncupationi, dicati nomine, conjectare nobis jure aliquo videmur. Ejusdem Majeſtas Numinis Maxima, Tibi, *jam jam ſecundò marite*, thalamum floridum, Pater dotem, nos vota breviter damus.

Nam verba profundere non eſt hoc, hac feſtivitate, agere: quando merum eſt fundendum, cum inculpatæ moderamine liberalitatis, & alia inſimul vota, felicitatis cauſsâ amplioris, effundenda: quò ſcilicet, ex formulâ antiquâ, bene Regem Clementisſimum, bene Reginam, dignitate Auguſtiſſimâ Serenisſimam, bene Auguſtos Legatos, jam Civitatis hoſpites, bene Urbem devotionis expertæ! atq; ut perpetuus in aris focisq; noſtris lætitiæ ignis luceat, nec non certa perſeveret ſpes innuptis matrimoniorum exoptatiſſimorum, certa res nuptorum, ac vel maxime, ipſo hoc die ſecum nubentium, FREDERI, & WIDERIÆ!

Niſi quòd & *Nympha* audiri quoq; velle videatur, ita & meditantis vultum, & hilariter explicatam frontem, & labia apertionem blandè minitantia præſe fert, quæ à nobis, *Sponſi*, ſuisq; hoſpitibus, ut audientię honorem geniali hoc in cœtu facilè impetret, quis neget æquum eſſe? Quę, prout mos ferebat antiquus, ænigma ſponſale, uti conjicimus, nobis propinatura ſic infit:

Me

Me ſpectate viri, juvenes, junctæ atq; ſolutæ:
Sum, quod eram, nec ero, quod ſum: nec non tamen una.

Cui, modimperatore & magiſtro jubente, Sphingem domi habens, *D. Chryſoſtomus*, reſpondeat, his verbis, ex Homiliâ XII. in epiſtolæ ad Coloſſenſes Paulinæ caput IV, uſus:

Licet exhilarare nuptias, utpote lautis menſis, & copioſis veſtimentis. Hæc non amputo, ne videar valde agreſtis. Quanquam Rebeccæ ſuffecit ſolum theriſtrum. Sed non amputo. Licet exhilarari veſtibus. Licet præſentiâ venerandorum virorum, & reverendarum mulierum. Laudo, quòd adſint virgines, æqualem ſuam honorantes; quòd adſint mulieres eam honorantes, quæ in ſuum numerum eſt relata. Hoc rectè eſt conſtitutum. Sunt enim hi duo chori: chorus virginum, & chorus earum, quæ nupſerunt. Illæ tradunt, hæ ſuſcipiunt. Sponſa eſt inter eas, neque virgo, neque mulier. Nam illinc quidem egreditur; in hanc autem adſcendit claſſem.

Dixit autem ille, quod dici debuit, dici dignus magnus Apollo. Nobis non eſt hilariſimè epulantibus otium iſtis inhærere: quin pagellas has abſcondimus, & rem obiter expendentes, lætas inde damus, reddimusq; voces.



GEDANI NOSTRI
AURES LITERATAS,
JOHANNES MOCHINGERUS.
GYMNASII RHETOR,

AD
AVSCVLTATIONEM

ORATIONIS DE GEDANO,

AB
ERASMO FABRICIO,
THVRINGO,

DIE XI. OCTOBRIS. ANNI LABENTIS M DC XL.

IN ACROATERIO LYCEI MAXIMO,
PVBLICE HABENDÆ,

PEROBSEQVENTER, PERQVE AMANTER,
PERQVAM ETIAM HVMANITER,

VOCAT, INVITAT.



TYPIS RHETIANIS.
P.

GEDANI NOSTRI
HERIS CIVIBUSQUE,
CIVITATIS
COLUMINIBUS LUMINIBUSQUE,

S. D. I. M.

OPortet pluribus, DOMINI atq; AMICI MEI, quà debitâ obſervantiâ colendi, quà amore debito, in præſens Vos alloqui, ejus gratiâ hominis, qui de nobis, apud nos verba facere ſuum induxit in animum. Minimè tamen utriq; noſtrûm hocce eſt propoſitum, ut officioſæ reciprocantes ſerram blandiloquentiæ non niſi ludos Vobis apparemus: verùm longè aliud, quod jamjam aperietur, ſpectamus.

ERASMUS quidem FABRICIUS, è Germanis Thuringus, poſtquam Patriæ ſuæ gremio, in quo malus miles ima ſummis miſcebat, relicto, ante ipſum quinquennium ſe ad nos attuliſſet, ac vix quicquam ſecum, præterquam bonæ mentis aliquid, &, quæ hanc in adoleſcentibus ſe literis conſecrantibus oppidò crebrò comitari ſolet, paupertatem; Promontorium bonæ ſpei ſe attigiſſe ratus eſt, ubi Urbem hanc tenebat.

Vivebat verò tum adhuc, ut juxtà rem mecum tenetis, inter nos, qui jam nunc non niſi in memoriâ noſtrâ ſupervivit, Scholarum Curator, & Civitatis, inter quatuor Viros Burgimagiſtros, Rector multorum annorum meritorumq;, EGGERTUS KEMPENIUS; cujus longè promtiſſimæ benevolentiæ, quòd propenſas admodum valde haberet aures ad excipiendas noſtrûm, qui juventuti undiq; juvandæ præſumus, commendationes, advenam opis indigum hominem inſinuare viſum eſt, cùm Socraticè adoleſcentem vidiſſem, hoc eſt, loquentem audiviſſem. Allectus igitur, inclytorum Scholarcharum omnium quatuor concordante ſuffragio, in Civitatis, quibus literarum cauſsâ publicè boni aliquid fit, alumnorum numerum.

Ita

Ita verò corpori cùm prospectum esse suo sentiret FABRICIUS: animi porrò nutricandi caussâ se ad nos applicuit, edisserendi disciplinam propinantes, ex quibus (sic loquitur) cùm alimoniæ aliquid combibisset succiq;, nihil magis in votis habuit, quàm ut laticem eundem transderivaret in alium, quem eo aleret, & ab hoc vicissim aleretur. Accidit, DEO cupiditatem bonam secundante, ut ab Amplissimo Ordinis Senatorij Viro, DN. NATHANAELE SCHMIDEN in ædes receptus, locum talem aliquem impetraret, ubi non docere tantùm pulchræ mentis discipulum haberet, sed & ipsemet uberiùs disceret. Ibi sanè eos hausit animos, ut ausus fuerit mihi se sistere, indicantem, fore se promtum paratumq; ut de GEDANO nostro, in urbicorum capitum eruditorum coronâ (si ei aures exoptatas propitiare vellem) recitationem habeat; non quòd existimaret, Urbe, declamatoris majorum laterum eloquentiam fatigaturâ, dignum aliquid se proferre posse, sed quod arderet curis, ne non, Patria velut altera, Patrona Altrixq; sua intelligeret, cupere se ejus memoriam animo penitissimo insculptam paulò aliter circumferre, quàm qui de eâ pedibus oculisq; leviter circumerrando emensâ aliud nihil ore sermoneq; jactare habent, quàm quod ob mercaturæ quidem, ac maximè frumentariæ, palmam, ædificiaq; aliquot sacra nesacraq; haud parùm sit commendabilis; sed plateis tamen deformata sit minùs lætis, ob caussam nescio quam, quæ parere ipsi posset nomen Borusforum Lutetiæ. Enimverò qui sic tantùm oculis à se usurpatas urbes norunt, minùs rectè penitusq; norunt. Ad interiora nostri GEDANI, animo secum ubiq; circumgestandi, penetravit Declamator noster, suâ, quam paravit, Oratione eadem expositurus, ut ex nostrâ existimatione certior fiat, sintne bene percepta, an secus?

Ex quo, opinor, clarum evadit, quorsũ aut nominatus adolescẽs nostri præconium quale quale in se suscipere voluerit, aut ego ejus intimare institutum. Spero equidem fore, ut improbaturus sit nemo, quod ejusdem tam laudabile grati animi studium approbatum iverim: & ut vix ullus tantillum nobis invisurus sit præconem, pariter spero.

Habe-

Habemus certè profectò longè alios Vrbis noſtræ ebuccinatores, quos potiori jure (ſi jus in vitio locum habet) lividorum aliquis eſſe nobis nollet, uti paulo majora canentes. Quantumvis enim illaudati hic abeant, cum carmineâ ſuâ farragine, verſibuſq; Mænaliis Poëtæ: indicti Panegyriſtæ omnes, tubam Tyrrhenicam inflantes; taciti ſcriptores univerſi & ſinguli, cum dedicationibus ſuis conciliatriculis: adſunt *Patres Societatis*, parci urbium Orthodoxarum encomiaſtæ, quorum hæc in theatro gloriæ, Glorioſiſſimo VLADISLAO IV. Monarchæ noſtro, cui, ſub favore benignitatis cœleſtis, Vrbs cum Regione conſervata tota ſe debet, ab almâ Academiâ Vilnenſi *Societatis* Anno XXXVI^to. currentis ſeculi exſtructo, audita verba totidem, bonâ adſcripta fide: *Vos tamen hîc non præteribimus, GEDANESES, non tam portu & mercium divitiis, quàm fide Orbi noti. Vos enim neq; calamitates, gravesq; Civitatum ruinæ fregerunt: nec permiſſio mendacis libertatis blando unquam illexit lenocinio. Vobis ardentium fumus vicorum, & denſa volantium globorum nubes, Clariſſimam Poloniam non abſcondit. Noluiſtis tot Veſtra in Rempublicam merita, ancipiti acceſſûs exſpectatione corrumpere. Verſabatur ob oculos veſtros Saguntus, quæ pulchriùs fide & ſociali reverentiâ cecidit, quàm proditione ſtetiſſet. Et verò Viris indignum fuiſſe vidiſtis facinus, pectora & manus ad otium armorum damnare. Merito itaq; Vos & præſens Poloniæ ſtupuit felicitas, & memores laudabunt poſteri. Erit hoc admirationi, fuiſſe Vrbem, quæ ingentibus belli ſumtibus opinionem honeſtatis aluit, & Sueciæ totius vires, tanquam minas, luſit. Vobis debent ſuæ conſtantiæ laudem, cæteræ non infimæ civitates; quæ, veſtro exemplo, periculis gloriam prætulerunt.*

Hos, inquam, acclamatores nobis invideat, quem noſtra ægrè habet fama proſpera. Ire meritiſſimò in memoriam hoc debet, Vrbem, quæ Patribus ob fidem Theologicam haud modicè eſt inviſa, ob fidem Politicam eſſe concelebratam: quibus gratæ mentis cauſsâ eam inſuper optamus mentem, quæ nullis offuſcata præjudicationibus noſtram, atq; aliarum Vrbium communi teſſerâ religioſâ nobiscum utentium, rectè quoq; diſcat æſtimare fidem Eccleſiaſticam.

Sed ego ad FABRICIUM iterû iterumq; dictû ſermone revertor, Vos DOMINOS atq; AMICOS MEOS, GEDANI COLVMINA LVMINAQVE, ejus cauſsâ rogitans, ut proximâ die Jovis, horâ IXâ. in Acroaterio Gymnaſii noſtri maximo, aures dicturo præbere ne dedignemini: quò, quod facturum nullus dubito, itidem hoc quoq; in noſtrâ impoſterum laudet facilitate, quòd expoſitam viderit ad genus omne juvandi excitandiq; cùm omnigenæ literaturæ, tùm, ac vel inprimis, eloquentiæ mancipatos Juvenes indigenas, alienigenas. Polliceri verò nihil vereor, fore, ut haudquaquã prorſus rudis videatur. Alium enixi ſumus, ex quo in officinâ noſtrâ infantiæ ruditatem in eo abſterſimus; alius adhæc venturo tempore evadet, viſis auditisq; illis in arte noſtrâ, necnõ eruditione humaniori qualibet, præſtantiſſimis Roſciis, quos nobile fovet BELGIVM, quod adire deſtinat. Is itaq; ut â Vobis de argumento, à ſe no temerè delecto, peroraturus audiatur, &, ſi meritus fuerit, ſecundâ admurmuratione cohoneſtatus dimittatur, iterum iterumq; peto; itidemq; Vos omnes ac ſingulos, divinâ annuente gratia, bellisſimè valere jubeo. P.P. Gedani. Anno humanitatis Chriſti Reconciliatoris noſtri, quadrageſimo, ultra milleſimum ſexcenteſimum, pridie Nonas Octobris.

DECLAMATIO,

AMOENITATIS ERGO COMPOSITA,

DE THEMATE:

PARVA MAGNIS ESSE PRÆSTANTIORA:

A

GODOFREDO SCHACHMANNO,

GEDANENSI,

IN

LYCEI NOSTRI

ACROATERIO MAXIMO,

DIE XIII. XBRIS,

ANNI HVIVS VERGENTIS, MDCXL.

AD HORAM X HABENDA,

INTIMATUR.

P. P. GEDANI

TYPIS RHETIANIS.

LECTORVM NVLLI NON S. D.

JOHANNES MOCHINGERUS,

GYMNASII RHETOR.

QUORUM AUTEM COMMODO FIERI POTEST,

EOS,

AUDITUM BENEVOLE DECLAMATIONEM,

IN ACROATERIO GYMNASII MAJORE,

DIE XIII. XBRIS, HORA X RECITANDAM,

HUMANISSIMO AFFECTU ADVOCO:

AC VEL CUMPRIMIS HONORIS CAUSSA NUNCUPANDOS,

ET

AMPLISSIMOS ORDINIS SENATORII VIROS,

HOSQUE SUBSEQUENTES SCABINOS,

CIVITATIS PRÆSIDES,

PATRONOS NOSTROS;

DIGNITATIS AUCTORITATISQUE PLENISSIMAM

NOBIS UTI COMMODENT PRÆSENTIAM;

QUA IMMANE QUANTUM JUVENTUS EXCITATUR,

PERSPICIENS, SE VIDENDI AUDIENDIQUE GRATIA,

EX CURIÆ LUCE URBIS LUMINA

AD LYCEI UMBRACULA DEFLECTERE:

ET

PERQUAM REVERENDOS CLARISSIMOSQUE FRATRES,

ECCLESIARUM SCHOLARUMQUE DOCTORES,

QUO BENEDICTIONUM VOTIS NOSTROS JUVENT LABORES:

ET

CIVES OPTIMOS QUOSQUE, AC PERPOLITOS;

NE NON SUI SE COMMONEANT OFFICII,

ANIMO RECOGITANTES RETRACTANTESQUE SUO,

LITERATÆNE, VEL HONESTÆ TANTUM,

LIBERORUM INCUMBANT DISCIPLINÆ?

CONSCIIQUE PARITER SINT BENE,

AN OFFICINAS SUI ILLI INTRENT PUBLICAS,

UBI CUM MELIORES, TUM PERITIORES EVADANT,

RITEQUE AD CIVIUM BONORUM MUNIA SE PRÆCOLANT?

CUM LONGE SIT VERISSIMUM,

QUOD EX SAPIENTI ORE PROFECTUM ACCEPIMUS:

FVNDAMENTVM REIPVBLICÆ

EST

RECTA ADOLESCENTIVM EDVCATIO:

ET

PATRICII FLORIS GEMMULAS LECTISSIMAS,

CORONÆ LEMNISCOS CIVIUM,

AMICOS NOSTROS;

QUORUM NUNQUAM NON CONSPECTU RECREAMUR,

HAUDQUAQUAM IMMEMORES,

ALIOS IN LUDO NOSTRO NOS STUDIORUM SOCIOS HABUISSE;

ALIIS IN LITERARUM STADIO PRÆFUISSE;

JAM NUNC AUDITORES UT ADSINT HONORARII:

SICUT ET DENIQVE UNIVERSOS ATQVE SINGULOS

QVI ADHUC DUM SUB DUCTU SUNT NOSTRO;

QVO EXEMPLVM A DECLAMATORE CAPIANT:

OMNIBUS MODO OFFICIOSE VOCATIS,
SISTEMUS SPECTANDUM AUSCULTANDUMQVE,
DILIGENTIA ET PROFICIENDI ARDORE
RHETORISTARUM NOSTRORUM NULLI CEDENTEM,
GODOFREDVM SCHACHMANNVM:
QVI DE RE (FATEMUR) NON MAGNA, SED PARVA;
UT QVI NEC IPSE MAGNUS CORPORE,
SED MAGNI CUPIDISSIMUS ANIMI,
QUALIS PARVOS MULTOS COMMENDAT,
UT ORATIONE OSTENSUM EAT AMOENA,
PARVA MAGNIS ESSE PRÆSTANTIORA;
JUCUNDÆ EXERCITATIONIS CAUSSA
VERBA BREVITER EST FACTURUS.
CUJUS INTRA HORULAM PERCEPTA RECITATIONE,
NON VOS AMPLIUS MORABIMUR,
PATRONI, DOCTORES, CIVES,
DOMINI, FRATRES, AMICI:
QUIN ILLICO DIMISSOS,
TACITA, SED CALIDA PROSEQUEMUR APPRECATIONE,
UT, VOBIS DIU INCOLUMIBUS, DIU STENT INCOLUMES,
CIVITAS, ECCLESIA, SCHOLÆ, FAMILIÆ.
ID QUOD IMMORTALIS JUBEAT DEUS!

QVOS GEDANVM NOSTRVM HABET,
AMICOS ERUDITIONIS, UNIVERSOS
ET SINGULOS,
ALLOCVTIONE HAC BLANDE COMPELLANS,
HUMANISSIMUM IN MODUM ORO,
MAII VII. DIE, HORA IX. IN ACROATERIVM GYMNASII MAIVS,
SE VT AFFERANT,
AVDITVM,
GERHARDI TRUNCCII, GEDANENSIS,

DE
LVXU LITERARIO,

DECLAMATIONEM HABENDAM;

QVIBUS
VT GRATIORA ET GRAVIORA
SVBINDE AVSCVLTARE EVENIAT,
STVDIOSISSIME EXOPTO,
OMNIUM, PRO DIGNITATE ET MERITIS, CULTOR
OBSEQVENTISSIMUS,

JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR.

P.
ANNO M DC XLI.
GEDANI.
TYPIS RHETIANIS.

ERUDITIONIS AMICIS GEDANENSIBUS,

S.



Ic in ſuis, alicubi, Floridis Appulejus, *Madaurenſis, nobiliſſimæ Carthaginis ſuæ, quam priùs habuit puer Magiſtram, Magiſter ipſe demum factus, & ideo verboſiſſimus ejusdem encomiaſtes:* Gratulari Carthagini debeo, quòd tam multos eruditionis amicos habet. *Quidni verò pariter de Vrbe noſtrâ & ego:* Gratulari Gedano debeo, quòd tam multos eruditionis amicos habet. *Neq; non facilè tamen cum quolibet, quomodocunq; erga nos affecto præoptem, multò plures tales adhuc mœnibus noſtris comprehendi, à quibus laudis lucem jam nunc Vrbi fœneramur. Neq; enim aut Gedanum, aut me, ita neſcio, uti de eodem, cum Carthaginis admiratore laudatoreque, modum ubiq; tenere neſcio, fronte ſimul, ſimulque pudore poſito, dicere audeam:* Tota civitas eruditiſſimi eſtis, penes quos omnem diſciplinam pueri diſcunt, juvenes oſtentant, ſenes docent. Carthago provinciæ noſtræ magiſtra venerabilis. Carthago Africæ Muſa cœleſtis. Carthago Camœna togatorum.

Vellem ſanè profectò (bona me audiat hora!) vellem, uti Patria hæc noſtra, quà liberalium, quà illiberalium officina eſſet artium, & famigerabile mercium omnium, pariter fortunæ, pariter ſapientiæ, emporium! Sic quippe (ſi me totum effundere hoc loco licet) prorſus apud animum meum ſtatuo, tum verè felicem Civitatis noſtræ rem fore communem, ſi non literaturæ minùs, quàm mercaturæ, cives, civiumq; liberi pleriq; omnes, fuerint dediti Nobis itaq; etiam illud, & ſapientis & divitis Regis (qui tamen Eccleſiaſtæ, ſive Concionatoris, ſibi tribuere titulum non eſt dedignatus) dictum eſſe, præſcriptumq; putemus: טוֹבָה חָכְמָה עִם־נַחֲלָה. *Vulgabo autem planè Latine myſterium, idem trabalibus adſcripturus literis (utinam omnium mentibus inſcripturus!)* BONA EST SAPIENTIA CUM POSSESSIONE.

Vt quid etenim non innocenter, innocenter verò? imò laudabiliter, Amſtelæ urbem æmulando imitemur felicisſimam, ſecundiſſimo mercatores ſapientes nixu parturientem? Eâ equidem in Vrbe Amſtelodamenſi hodienum in oculis eſt omnium, dignus quoq;, qui ideo itidem in ore verſetur noſtro, Gerebrandus, Anſlo, *jure meritiſſimo laudatus* Gentio, *Hebraicè doctiſſimo; qui Vrbis Mercurialis incola claſſicus ita Apollinem Mercurio ſemper junxit, uti propemodum ſolus cauſſam intellexiſſe videatur, quamobrem duos iſtos Deos fratres, eodem patre Iove genitos, obſcuris vera involvens finxerit vetuſtas. Illi homini uni, inter innumeras operoſiſſimæ mercaturæ curas diſtracto, tantum otii à re ſuâ tamen ſupereſt, ea ut curet*

ret, quæ reliquarum curarum vacuum totum occupare possint. Græcas Latinasq; literas tractare, ceu levis ea, & vulgata nimis laus esset, non contentus, generoso excelsæ mentis impetu, etiam Hebræam, aliasq; Orientis linguas, adjunxit, quarum cognitione ita excellit, ut provocare posse videatur multos, quibus hoc unum opus semper fuit omne tempus & studium suum in solis iis literis tractandis collocare. Quæ cave panegyricè dicta esse, aut astutè, veluti, cùm de remotis est relatio, re, vel personâ major, susurres: navigato, sodes, non toto divisam orbe, Vrbem; dabitur tibi preciosam hominis contemplari Bibliothecam, Hebraicisq; Arabicisq; manuscriptis, non-manuscriptis codicibus refertissimam; admittéris ad libri ex Maimonidis Hebraicè de pœnitentia scripto, in Latinum sermonem, à laudato mercatore egregiè conversi adspectum; animi præterea pendens, possessionemne arcæ librariæ fixam, an possessorem, tanquam arcam doctrinæ ambulantem, admirari magis debeas? Et enimverò pede hinc nondum moto, admotis tantùm oculis ad carmen Hebraico sermone ab Ansloo concinnatum, & Menasis ben Israel tractatui, de Resurrectione mortuorum, præfixum, capitis Hebraicè eruditi specimen aliquod, intueri jucundissimè licet. Ecce verè nobilem mercatorem Amstelodamensem!

Hoc verò Amstelodamo suo in aurem, Vrbis decus, & carminibus editis, quæ Virgilianis parùm cedunt, literatis, literati Orbis Pædagogus, Barlæus: beatam Te, inquiens, Amstelodamensium Rempublicam puto, in quâ jam mercatoribus philosophari, & Philosophis mercari concessum. In exemplum igitur & exemplar nostræ esto illa, non Mercurij tantùm, sed & Minervæ spoliis locuples, Vrbs invidenda.

Quibus quidem dictis, fœcundam, uti opinor, laudatissimo Virorum, laudato illustris Amstelodamensium Scholæ Coryphæo retuli gratiam, Gedanum nostrum inter Vrbium exempla numeranti non ignorandarum, quæ à negotiationibus pariter, & honestissimo Scholarum otio famæ celebritatem sunt consecutæ.

Quotquot autem vel jam nunc estis Eruditionis in Vrbe nostrâ amici & possessores, obnoxiè Vos rogatum imus, ut auditum spectatumq; veniatis adolescentium literis consecratorum quendam, de quo non dubiam, fatemur, concepimus spem, fore, ut, cum tempore, civium cœtum eruditorum, ex voto suo juxtâ ac nostro, sit aucturus; GERHARDVM inquam TRVNCCIVM, De Luxu Literario, die proximâ Martis, horâ IX. in Gymnasii nostri Acroaterio maximo, declamationem recitando se Vobis commendare, citra vitium, ambitiosè discupientem. Is jam modò dictus adolescens flagrantissimum perorandi ad nos attulit ardorem; nos oleum camino affudimus: hoc est, promptissimè sublevavimus annitentem, quò ascendere posset in thronum Oratorium, ex quo audietur.

Audietur verò, quemadmodum bene ominari audemus, istbac ratione, quò omnes haud obscurè intelligant, vel sua eum proferre, vel ea, quæ à nobis fideliter didicit, combibitq. At alterutrum etjam, cùm in Rhetoristarum aliquo animadvertitur, non mediocrem habet laudem: quidni igitur utrumq; vel maximam?

Sed minimè hîc ingredior dicere, quis ille Luxus *sit* Litetarius, *quem ad tribunal raptabit, ne ipsi caussam præripiam, vestrasq; præoccupem aures. Hoc tamen, sultis, ex me habetote unicum, omninò, auditâ declamatione nostrâ, ampliandam fore caussam, deliberaturis ulteriùs nobis, an fas sit Arabum subscribere proverbio, quod ita habet:* איקתני לך רזהבן בקיאסין ועלמן בלא קיאסין. *Hoc est:* Acquire tibi aurum cum mensurâ, & scientiam sine mensurâ. *Quod si enim, uti docebimus, luxus in literaturâ est intolerabilis: qui tolerabilis ista erit paræmia, improbabilem istum nobis commendans luxum?*

Verùm comparete, quæso Vos iterum, horâ locoq; dictis, quorum quidem id commodo fieri potest, ut vos Eruditionis amicos *esse publicè appareat: quos non auditores tantùm nobis optamus, sed & periculorum nostrorum judices. Valete* Amici quoq; nostri. *Script: An: post Servatorem Orbi natum, MDC XLI. pridie D N I C. Rogation.*

DECLAMATIONES BINAS,
DVPLICI DE ARGVMENTO,
DIVINISSIMO UTROQVE,
TEMPORIQVE VALDE ACCOMMODATO,

DIE X. MENSIS HUJUS APRILIS,
ANNI, A NATO CHRISTO, M DC XLII.
AD HORAM ANTEMERIDIANAM NONAM,
A RHETORISTIS DVOBVS,
QVA DILIGENTISSIMIS,
QVA DILECTISSIMIS,

BERNHARDO BALTHASARE SOLTOVIO, ROSTOCHIENSI,

ET,

JOHANNE NEUMANNO,
GEDANENSI,

IN LYCEI NOSTRI AUDITORIO SOLEMNI,
RECITATUM IRI;

IN PRÆSENS INTIMO,
JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR.

TYPIS RHETIANIS.

Invito Vos,

LECTORES CHRISTIANISSIMI,

quibus, ad rerum ſacrarum acroaſes animumq; & aures non advertere, religio eſt, ut recitationes duas, unam, de Dei-Hominis, Hominisq; - Dei paſſione morteq; alteram, geminâ de materiâ, ſive facti ejus, cùm cædi Deigenæ præluſurus Pater Abrahamus, divino accepto mandato, unigenam mactare voluit, enarratione; prosâ dictione contextas, proximeq;, (die intimationis in titulo dictâ,) habendas, audire non dedigneminis; non nobis tantùm, ſed & Ei, quo de verba fient, habituri honorem, à nobis quidem impoſterum commemorandum diligenter, ab ipſomet autem Chriſto magnifice penſandum. Neq; Vos moveat oro, quòd, cum ſpe utilitatis oblectationisq; majoris, majorum gentium Theorhetores, in Baſilicis divinis, ſermone eadem pertractantes, paſſim audire liceat: cùm hos auſcultare noſtri ſit officii; iſtud autem beneficij ambitione ac precibus vobis extorquere in præſentiâ moliamur & laboremus. Certè profectò nec ipſi quidem, neminis non linguâ deprædicando, Domino, panegyricam ſui, à puſionibus, arundine in longâ equitantibus, frequentatam nominis concelebrationem aliquando accipere, adeo faſtidio fuit: ut etiam, cùm graves ſupercilio Phariſæi, nec iſtos, nec præſertim hanc ſummi omnium Magiſtri recordationem honorificentiſſimam ferre poſſent, & ideo oblatrantes dixere: Compeſce, ſis, iſtam acclamantem tibi garrulam clamoſamq; pubem; ſic ille contrà: Nonne, quod ſcriptum eſt, hucq; pertinet, audiſtis? Ignoraverint autem iſthoc illi: nos perquam ſanè bene novimus. Novimus ſcilicet; quia adhuc pueri, Pſalmos Regis, vaticinatione celebris, perdidicimus, & ex iſtis hæcce verba, in quibus lallare puerorum minutum, non tantùm non Deum ſpernere, verùm id in gloriam etiam ſuam transderivare approbareq; mirificè, voluntatis divinæ conſcius, Propheta indicat, cùm inquit:

Infantum res mira. Tuum ſermonibus hoſtem
Conteris, & linguæ ſimplicis arte necas.
Indiga qui vocis lactentibus ora reſolvis,
Hoſtibus ut virtus ſit Tua nota Tuis.

Quantumvis licet igitur ſpem ſibi facere aliquis haud poſſit, noſtros, quos audiri volumus, vix adeo fore diſertos, ut, quibus attentio præbeatur, digni ſint: adferat ſe tamen, amabo, perceptum eos cognitumq;, prorſusne ſint indiſerti, diſerendiq; rudes? Damus de cætero omnes, credo, perlibenter, Jure infantiſſimos videri nos univerſos atque ſingulos, cùm de ejus notæ rebus cœleſtiſſimis loqui audemus.

Enim-

Enimvero etiam clariùs eloquar, quis sit uterq; declamatorum nostrorum, audientiæ honore afficiendus; &, quo de perorabunt, perstringam distributiùs: num videlicet eopse famem audientiæ excitare magis valeam, acuereq;. Soltovius, autem Bernhardus Balthasar, Bernhardi J. V. D. est filius; quem, ut loquimur, Capitulum Slesvicense Syndici, sed & Principes Holsatiæ Illustrissimi, munere Consiliarij dignati sunt. Qui Vir Amplissimus filio sibi charissimo consultum putavit omnium optimè, si ad Athenæum nostrum Gedanense, (quod, uti claritudinem quondam sibi acquisivit; ita, si famæ credimus, quæ hinc inde advolitans aures nostras identidem verberat, nec hodie est inglorium,) sub Theologiæ, Iuriumq;, divinarumq; literarum plerarumq; omnium Signiferis præstantissimis stipendia merendi causâ, eum mitteret; etiamsi in Academiâ Rostochiensi alere potuisset, ut, ubi à matris cœpit pendere uberibus, ibi disciplinarum lac primùm sugeret. Gnatus autem intellecto Patris providentissimi consilio, nihil antiquius habuit hactenus, quàm ut hic præsens bona de exoptatissimus exspectatissimisq; profectibus suis testimonia charoq; deveneranduq; Parenti hinc præmitteret, & se tandem aliquando acquisitus hic loci præconiis non dissimilem sisteret. Igitur Græcam nuper recitationem ausus, ab industrio Græcitatis Magistro haud obiter laudari cœpit: sed, laudis, non sine laude, avarus adolescens ulterioris, etiam mihi se probare voluit, & à me quantulocunq; itidem adhæc approbari. Venit itaq;, de re omnium maximâ, apparatâ Latinâ Oratione ad me, & modestè petiit, sibi ut os stilumq; meliùs in Romano figurarem eloquio: sicuti & hic & istud sibi fictum fuisset in Græcanico. Factum, ut camino oleum adderem, & è vestigio reciperem, fore, quò armatum, classico inflato, ad prælium protruderem. Id quod jam nunc quidem facio, & Vos, LECTORES, rei hujus spectatoresq; arbitrosq; voco, ut, quomodo eum, qui gestavit ante pallium, togâ induerim & videre mihi, & dijudicare non nolitis. Quid? quòd etiam humanitatem vestram rogem eapropter, ut tam bene, uti accepistis, animato benevolè faveatis adolescenti, qui, quemadmodum indoles ejus dubitare me non sinit, uti corpore magis magisq;, ita animo quoq; adolescet. Quod ut idem faciat, quantum in ipso est, hortator ero non impiger: & divinâ ut fiat gratiâ, orator etiam alacris.

Quibus de uno declamatorum nostrorum publicè intimatis: de altero similiter tria quatuorve. Is est, inquam, nostras, Johannes Neumannus, qui veluti, intra angustos Marianæ Scholæ nostræ parietes tirocinij aliquando edens specimen, in conspectum nostrum progressus; sic deinde in patentiori Gymnasij nostri campo est congressus, artis disputandi gnarissimi tectus umbone rectusq; arbitrio. Jam autem, sociæ disserendi facultatis itidem perstudiosus, progymnasma aliquod exhibere in animum induxit, magni profectò Oratoris Siberi, verba, voce

anima-

animaturus, hoc est, quod laudatissimus autor, dum viveret, præstantissimè facere solebat, & scribendo paratissime, & dicendo peritissimè; quomodocunque actione repræsentaturus. Hunc, hunc quoquè simul, o Mei, venite, quæso, auditum visumq; adolescentem, & deinde, si merebitur, pro renatâ, suo tempore, suoq; loco, adjutum ite. Præterquam, quod ad extremum tandem etiam hoc rogandi sitis, ut & dictis jam utrisq;, & mihi, iis de qui dixi, vel ideò sponte vestrâ faveatis, quia amorem vestrum bonis citra controversiam studiis demereri ardenter concupiscimus. Valete autem cumprimis persuasi, historiæ & de Christo occiso Protasin, & de redivivo Catastrophen, à nullis non, & nunquam non, multò quàm attentissimâ retractandam commeditatione; inculcante idem videlicet Apostolo; cujus hoc verbum est, an præceptum? vix cuiquam ignoratum: Habe in memoriâ Jesum, qui ex mortuis resuscitatus est. *Resuscitatus (uti in rei futuræ præfigurationem, in vitâ conservatus; Isaacus, quo de* Neumannus, *cum Sibero, & post eum, Orationem fundet,) quia, quod* Soltovius *explicabit, mortuus. Cujus reminisci, commodam, sultis, Declamatoris utriusq; adfuturi periculo, habebitis occasionem. Valete. Publicatum, die 9 Aprilis. A° 1642.*

AD AVDIENDAS DECLAMATIONES TRES
DIVERSO HABITAS TEMPORE,

INVITATIONES.

I.

MENSIS HVIVS NOVEMBRIS
DIES POSTREMUS,
DECVRRENTE HOC MDC XXXIII. ANNO,
EST FACTO E PISCATORE APOSTOLO SACER;
SED INTERCISVS.

PAR EST, NOS MANE INTERESSE SACRIS OMNES,
INQUE BASILICIS DIVINIS
DE S. ANDREA
OLYMPICOS AUDIRE ORANTES:
SED QVIA,

DE ANΔPEIA,

A QUA SORTITUS EST NOMEN
IESV CHRISTI AD SCYTHAS LEGATVS,
HOC EST, DE FORTITVDINE;
SECUNDUM MERIDIEM
(QVEM MERIDIATIONE AVT OTIO FALLET NONNEMO)
AD HORAM SECVNDAM
IN ATHENÆI NOSTRI AVDITORIO MAXIMO,
HABENDA ORATIONE LATINA,
DOCTAS ATQUE AVIDAS AURES TENERE OCCUPATAS,
VENIA NOSTRA, EST PARATUS,

MEI,
PARITER AC MULTORUM IN HAC URBE SYMMYSTARUM,
GAMALIELIS MERITISSIMO CLARISSIMI,

M. LAURENTII FABRICII FILIUS,
ANDREAS FABRICIUS

AD STVDIA QVÆDAM APPLAVSV DIGNISSIMA
MIRIFICE SINGULARI QUADAM INDOLE PRÆDITUS

CUI

VIRI PIIQVE DOCTIQVE,

JUVENESQUE HUMANISSIMI,

SI COMMODVM,

SI OTIVM,

SI ITA VISVM FVERIT,

VT AUDIENTIAM FACIATIS,

ORO ET PETO,

IOHANNES MOCHINGERUS,

ÆDIS CATHARINÆÆ CONCIONATOR,

GYMNASIIQ; RHETOR.

II.

DE GLORIA,

VIX IGNOBILI, MEA OPINIONE, PROPOSITO,

IN TYROCINII SPECIMEN,

JOHANNEM VALENTINUM RHETIUM,

NOSTRÆ ALUMNUM DISCIPLINÆ,

VERBA FACERE PARATUM,

IN CATHEDRAM PVBLICAM,

UBI DECLAMANTIUM SPECTANTUR PERICULA,

IN MAGNO GYMNASII NOSTRI ACROATERIO,

DIE XVI. DECEMBRIS, AD HORAM NONAM,

ANNO HOC IAM PRÆCIPITI M DC XXXVIII.

COLLOCARE MIHI INSTITUTUM:

QUEM

QUEM

VRBIS HERI AMPLISSIMI,

PRÆ CONSVLES,

SENATORES,

SCABINI;

ITEM DIGNITATE ET ERUDITIONE VARIA

SPECTABILES VIRI;

CIVITATIS LUMINA COLUMINAQUE;

NEC NON

VIRORUM JUVENUM NOBILISSIMORUM

LITERATA FAMILIA,

PATRIÆ SPES;

AD GLORIÆ STUDIUM, STUDIORUMQUE GLORIAM,

ADOLESCENTEM STIMULANDI GRATIA,

ADSPECTUS ET AUDIENTIÆ HONORE

ORNARE UT NE DEDIGNEMINI,

(*SIID VESTRO POTEST FIERI COMMODO*)

VOS,

QUA PAR EST,

OBSERVANTIA, COMITATE,

STUDIO ET HUMANITATE,

INVITO ATQUE ROGO;

PUBIS AUTEM ELOQUENTIÆ DEDITÆ

CORONAM LECTISSIMAM,

SOBOLEM NOSTRAM,

ADVOCO;

JOHANNES MOCHINGERUS

CONCIONATOR ÆDIS CATHARINIANÆ,

ET RHETOR GYMNASII.

III.

AVE LECTOR,

SAPIENTERQVE CVRIOSE,
CVRIOSEQVE SAPIENS;

QUI,

DE AVE PELECANO,

QUOD

CRVDELIS CHARITATIS INSTINCTV,
SEMETIPSUM CRUENTANS,
PVLLOS (NESCIMVS QVOMODO) OCCISOS,
SANGVINE TINCTOS SVO,
VIVISCERE EFFICIAT,
BISQUE NATORUM BIS PARENS FIAT;
PLUS, OPINOR, MILLIES AUDISTI:
AUDI DUM, SIS, TAMEN ETIAM,
GRATIÆ ANNI MDCXLII FLUENTIS,
MENSIS HUIUSCE FORMOSISSIMI, QUI MAJUS EST, DIE XXIII,
AD HORAM ANTEMERIDIANAM NONAM,
IN SOLENNI GYMNASII NOSTRI ACROATERIO,
SUB DUCTU AUSPICIISQUE NOSTRIS,
IN DECLAMANTIUM SUGGESTUM CONSCENSURUM,
IOACHIMVM CHRISTOPHORVM RICCIUM, GEDANENSEM,
AUDITO, IMO PERCOGNITO,
INCERTA, QUÆ ITA DENARRANTUR, ESSE OMNIA,
ALIUD, CREDO, PERSUADERE TIBI PATIERIS:
QUORUM VTRUMQUE A TE VT SIT IMPETRABILE,
ALTERO NOMINE,
PER HVMANITATIS AMOREM,
PER VERITATIS STVDIVM,
ALTERO NOMINE,
PERQVAM HVMANITER AC PERSTVDIOSE
ROGO TE OBSECROQUE,

JOHANNES MOCHINGERVS,

QUI,
GYMNASII GEDANENSIS RHETOR;
AVRESQVE ASSENSVMQVE TVVM
BONO AMBITV EMERENDI CAVSSA,
HÆC EVVLGAVI.

TYPIS EDITA *RHETIANIS.*

GEDANI NOSTRI
OCELLOS,
CIVITATIS PRÆ-
SIDES HONORATISSIMOS, CIVES-
QVE QVOSLIBET ORNATISSIMOS;
RECITATIONI ORATORIÆ,
QVA
VRBIS QVONDAM PRÆCONSVLEM,
AD MORTEM USQE INTEGERRIMUM,
CONRADVM LEZCOVIVM;
E CRVCIGERIS PRÆFECTI,
PARRICIDALI CRVDELITATE,
ANTE ANNOS DUCENTOS, TRIGINTA ET UNUM,
INTERNECIONI, CUM BINIS ALIIS, DATUM;
GRATA PROSEQVI MEMORIA,
IN ANIMVM INDVXIT SVVM,
IOACHIMVS CHRISTOPHORVS RICCIVS,
GEDANENSIS,
IN LYCEI NOSTRI ACROATERIO MAXIMO,
AD HORAM NONAM, DIE XV. JVLII,
GRATIÆ ANNI M. DC. XLII. LABENTIS,
HABENDÆ QVO INTERSINT;
PER PIETATIS CHARITATISQVE SACRA NOMINA,
(CIVES SCHOLASTICI SPONTE SUAS IMPLEBUNT PARTES)
ADVOCO ET OBTESTOR,
JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR.

GEDANO NOSTRO FIRMAM VALE-
tudinem, Ejusq; Præsidibus, & Civibus omnibus,
habitu optimo diu florere, ex ánimo precor.

PLacuit, placebitq; semper, generosa, magni Romæ Consulis, magniq; Oratoris mens & vox, apud suos sic explicata:

Quibus pro tantis rebus, Reipublicæ præstitis, Quirites, nullum ego à vobis præmium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulo, præterquam hujus diei memoriam sempiternam. In animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia condi & collocari volo: nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil deniq; hujusmodi, quod etiam minùs digni assequi possint.

Qualis (sic mihi persuadeo) & Vester sanè est animus, PRÆCONSVLES, CONSVLESQVE VRBIS NOSTRÆ SVSPICIENDI, ut, pro diurnis Curiæ frequentationibus, pro nocturnis, tot ex curis intus apud animum manentibus, vigiliis, pro variis consiliorum reciprocationibus, & vix unquam non molestis legationum expeditionibus, ad summam, pro infinitis illis publico destinatis laboribus, cùm sermone, tum monumentis celebratâ, vivi mortuique, Cives apud Vestros, fruamini memoriâ prosperâ.

Esse equidem alterum quoq; illud Christianis medullis infixum Vestris, de pietate Vestrâ ambigere nullus queo: ne scilicet non, die in decretorio, Ejus ex ore manaturis verbis, Cujus manus Vos in dignitatum sedes eminentiores collocavit, suavissimum quodcunq; acroama mille modis superantibus, recreemini, audituro, qui, ad rem quod facit, egerit, vestrûm quolibet: Euge serve (*cujusmodi tunc quidem ornari titulo, regia erit gloria*) fidelis! fidum in minimis te præstitisti: ad majora proveheris. Gaude gaudium Domini interminatum. *Sed hanc rem tactio alibi se offert commodior, cùm videlicet, throno ex divino, audaciùs ita verbis Omnipotentis compellamini:* Dii quidem estis; *inquientis*, filiique Dei immortalis; verùm mortales, & ut filii hominum revera morituri.

Eja agite ergò, ô Patriæ Patres mei,

Durate & Vosmet famæ servate secundæ.

Ex exemplo tantùm, quod ante oculos Vobis statuere jam nunc visum fuit commodum, quæsumus, rem cognoscitote tantam. Ecce enim quoque in Scholis Vestris, quarum nos providò Vestro consilio constituistis moderatores, parvis ipsis junioribusq; Quiritibus Vestram ad laudem inseri-

mus

mus recordationem: quos commonefacimus subinde, ut in oculis Vos habeant, superstites votis prosequantur, beatorum memoriam ore circumferant.

Sic accidit profectò, cùm se ad me adferret, palmæ Oratoriæ Candidatus, & ad edita doctrinâ sapientum templa alacri pede grassari bene animatus, Riccius, *intimaretq́, ardore se pio quodam inflammatum, quò, Antecessoris Vestri, memorari nunquam non, si ullus, dignissimi,* CONRADI LEZCOVII, *fidem hanc in Rempublicam, ipsâ morte testatam, in luce vitaq́ ponat; ut immensum illud gloriæ calcar admoverim, & ne non dictionem tanto negotio accommodam quomodocunq́ conaretur, hortator exstiterim. Igitur is se parare, parariq́: ut reliqvum sit nihil, nisi uti, auribus oculisq́ vestris parariæ hujus allocutionis meæ ambitu impetratis, officium faciat.*

Quo de insuper, levato quasi sipario, aperiam, quomodo eum præparaverimus adolescentem, qui in spem eloquentiæ perfectioris alitur, nihil ut vereatur in theatrum, gravissimis Viris refertum, pedem mittere. Aquilam nempe, qui eum artificio instruxi, sum imitatus; quâ de talia industriÿ ad Naturæ universitatem spectantium rerum Epoptæ inseruere notitiæ nostræ: Avium regina, ajentes, exclusos fœtus ad solem obvertit, &, quos pro genuinis ex eo agnovit, humeris sensim elevat, &, ubi irroboravere, paulatim in sublime delatis se subducit, proprio remigio se ferre efferreq́ permittit, volatu tamen eos antevertens, ac iterum iterumq́ suscipiens; usq́ dum satis esse præludium existimet, & ad seria veniendum, quo tempore nido & regione sibi victuros exturbat, vitaq́ necessaria paraturos. Pariter vero sanè nostèr hic nobis exercitus & condocefactus. Nam exemplo inde sumto, & audivi eum non semel, & voce præivi, & gestum præduxi, & jam demum (quod felix faustumq́ sit!) in publicum protrusi: in spem minimè dubiam ingressus, futurum, ut artis nostræ pullus videatur nō ignobilis.

Adeste tantùm, amabo, Cives benevolentissimi, & oculis, ut Plautus loquitur, eum usurpare non dedignamini: addo de meo, etiam auribus. Perspicient inde vestri nostriq́ Rectores, multùm vos favere perennanti Ipsorū existimationi. Animos illis addetis, ut commemoratione honorificâ celebrandi LEZCOVII *virtutes æmulentur cupidissimè & bene de Civitate merendi studium. Id quod ut iisdem valde gloriosum erit; ita bene vertet utilitati communi. Nostram autem etiam adhæc eopse impelletis industriam, quæ sponte eò vehementer propendet, ut, congemino ausu, aliorum quoq́, quorum, sive olim magna erga nos exstitere merita, sive hodienum sunt, memoriam reviviscere atq́ revirescere efficiamus; ne, qui corpora eorum adobruit, nomina & præclara facta pulvis sepeliat, cinisq́.*

Adivit Pythone prægnantem triveneficam maleferiatus Hebræorum Rex, ut conspectu frueretur adhuc semel alloquioq́ bene de se & divinâ Republicâ meritissimi, Samuelis, & non sine piaculo id fecit:

Sed

sed est criminis expers res hæc, si nobili vacans operi aliquis mirificam audit Peitho, quæ innocente vocalitate ex umbris in lucem evocat jampridem

Morte obitâ, quorum tellus amplectitur ossa.

Quâ Teidem, LEZCOVI, arte, manium Tuorum bonâ pace, ex urnâ, quam Basilica Vrbis nostræ primaria ædes reconditam tenet, educemus Tuâ, inque theatrum inducemus, per horulæ unius spatiolum, luminibus, sed mentis, spectandum, & auribus nostris locuturum, verùm ore Declamatoris vicario.

Accurrite verò, accurrite, Cives Gedanenses, tantum Præconsulem visum, auscultatumq; & dum id oratu nostro commoti facietis, recolite simul apud vos memoriâ memoriam Consulum reliquorum, munereq; fatoq; egregiè defunctorum, debitâ posterorum reminiscentiâ, in ætatem omnem continuandâ.

Eorum autem gratiâ, qui etiamnum intersunt hac luce luci, præsuntque nobis salutariter, suspiriis supplicare vitæ Arbitro humanæ æquum justumq; erit, quò serius eveniat, ut in iis, qui abivere, recenseantur. Fiat ita! & faciat hoc, qui facere potis est omnia! Scripsi publicanda hæcce, læto eadem obsignans epiphonemate, ordine subjungendo: Valete, CIVITATIS PRÆSIDES HONORATISSIMI, CIVESQVE ORNATISSIMI OMNES, divinâ gratiâ perbellè. Nobiscum dab: Gedani. Anno M DC XLII. die XII. Julij.

GEDANUM OMNE,

LATINE DOCTVM,

AD COHONESTANDAM PANEGYRIM,

UBI,

ANTE IPSUM SEPTENNIUM,

DEI, ADVERSARVMQVE QVONDAM PARTIVM,

INTERVENIENTE AMNESTIA EXOPTATISSIMA,

REDVCTÆ HAS IN ORAS PACIS PVBLICÆ,

MEMORIA REFICIETUR;

QUAM PANEGYRIM,

RECITATIONE ORATORIA,

DE AMNESTIA,

PRIDIE

INSTANTIS FESTI EUCHARISTICI,

(CVI LABENTIS VIIBRIS DIES XII EST DICATVS)

QUASI HORAM AD NONAM,

IN MVSARVM NOSTRARVM DOMICILIO,

EIUSQUE ACROATERIO AMPLISSIMO,

SVB AVSPICIIS DVCTVQVE NOSTRO,

ANIMARE ET EXHILARARE

SE PARAVIT,

SANGVINIS FLOS PATRICII,

JOHANNES ERNESTUS SCHMIEDEN;

OFFICIOSISSIMO ROGATU VOCO

JOHANNES MOCHINGERUS,

ECCLESIÆ CATHARINÆÆ CONCIONATOR,

GYMNASIIQUE RHETOR.

P.

GEDANI

ANNO CHRISTIANO, M. DC. XLII.

GEDANO NOSTRO,

perennis usuram pacis lætissimam utilissimamque voveo animitus!

Lluceſcat Tibi iterum cras, ô GEDANVM *Meum, ille multò ſerenisſimus dies, &, in poſteritatis lætitiam, vel centies, recurrat idem; quo, reſtitutæ huic Regioni pacis, Marte alias in terras quaſi deportato, memoria renovabitur feliciter! Certè equidem verbo nos abſolvere poſſumus, ſic tantùm dicentes:*

O, mi Pruſſe, DEUS, nobis hæc otia fecit.

Sed, cùm omnia tamen exputamus diligentiùs, Summæ cumprimis, &, quæ ab hac, tanto in negotio, ſecundæ fuere, Poteſtatum, AMNESTIÆ, *tam magni, tamq; ampli admodum, nos planè debere fructum beneficij, paulò amplius eſt omnino fatendum.*

De AMNESTIA *autem divinâ, è thronis ſacris, ignea fundentes verba, die feſto craſtino, Theorhetores audiemus Olympicos; quos, cùm valde, ſi aliàs ullo tempore, latera ſua vocemq; intendere videbimus, ut ſingularis adeo, quo lætitiis mille diffluentes recreamur, boni magnitudinem, quomodocunq; ob oculos nobis ponant, ecquis jure miretur? cùm & fas, & valde æquum, ſit iſtud facere: quid? quod &, ipſa inter modũ neſciẽtia gaudia, dolere plurimùm inſuper debeamus, quòd nec ſermone, nec vel cogitatione ſolùm, aſſequi ſatis poſſimus rem tantam, quæ factorum (ſiquidem iſtud ullâ fieri poſſet ratione) penſanda eſſet gratitudine.*

Sua hæc, dum turbata aliquando hîc erant omnia, nemo non apud nos fecit verba, quæ entheus Propheta, ſui argumenti cauſâ, uſurpavit, inquiendo: Non tacebo, propter Sionem, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec, ut ſplendor, juſtitia ejus coruſcet, & ſalus ejus, veluti lampas, ardeat. *Ac præſertim autem, Vrbis vigilum ſacrorum ex ore hæc audita iterum atq; iterum pollicitatio: quod ſi verò unquam, pro noſtrâ virili, ebuccinavimus magnifica Altiſſimi facta, tunc temporis vel maximè vocales erimus, quando Hieroſolymam noſtram denuo ſtabiliet Omnipotens, &, cunctis applaudentibuss, laudatiſſimam eandem efficiet; cùm nempe Boruſſia noſtra non erit infeſtata ampliùs, ſed culta magis magisq;, deliciæ civibus ſuis, exteris deliciæ.*

Evax! Jo! reſpondit optatis eventus. Nec eſt, quod reſtat, niſi vota noſtra fideliter ut impleamus: quod ſi autem tergiverſabimur, bis erimus ſceleſti. Non certè utiq; ſumus (nam, ut nobis ignoſcatur, agnoſcendum) præcepta Domini immortalis exſecuti: ſumus potiùs admodum prævaricati: & citra merita tamen, criminum gratiâ factâ, tanta noſtræ pacis eſt copia, quanta undarum in Viſtulâ noſtrâ & bonorum omnis

generis

generis affluentia, quanta in vicino mari Balthico fluctuum. Vnde verò, obsecro, hæc nobis, pœnarum meritissimarum loco, quasi præmia? Illas sanè profectò Cœli abstulit AMNESTIA; hæc in nos contulit Clementia. Adoremus hanc, Borussi mei, meiq; Gedanenses omnes, exosculemur istam, admiremur utramq;. Imò ipsummet adoremus, & exosculemur, & admiremur, qui ipsa est Clementia, & AMNESTIA. Nimirum sic secundùm Seraphum inter Apostolos loquor, cujus iste, haud parùm audax, at procul dubio verus, sermo: Deus est charitas. Ecce enim hîc nobis infinitum finibus descriptionis longè brevissimæ comprehensum! Pergo igitur, exemplo eodem, qui depingi aliàs nunquam accuratè potest, innocenter pingere. Sed non tamen, ut Phidias. Qui, communi judicio, in simulacris effingendis approbatissimus olim artifex, si quisquam, Jovis sui Olympici statuam effecit valde mirificam, in quâ, sapientiæ non vacuo quidem, sed arcano tamen consilio, Græcum verbum αὐτάρκεια, hoc est, Sufficientia; inciderat. Conjecto autem ex Hebræorum id relatu accepisse, quibus cognitissimum ipsis Numen, Schaddai, hoc est, sufficiens sibi, & bona in se continens omnia, vocare moris fuit. At valeat impii, ut ut docti, sculptoris ambigua pietas: nihil mihi cum eâ volo esse commercij. Aliter pictum exhibebo sistamq; verum Numen; idq;, ut apertiùs, ita religiosiùs. Animos tantùm omnium animadverti, & intendi bene velim.

Objicio enim mentibus delibandam Dei invisibilis icona, Christum, Dominum nostrum, cujus ad cordis sedem, bonitatis immensæ prothyron, illud verbi exoptatissimi adscriptum commonstro: AMNESTIA, hoc est, injuriarum oblivio. Illam, ex præconio Regis inclyti, veneremur omnes, pro eo, ac decet; & gestuosâ efferamur hilaritate, memores verborum, ab eâdem quondam auditorum, cùm pro nobis, apud Patrem, intervenit, orando: Pater, ignosce illis, nesciunt, quid faciant. Et nonne hæ claræ satis AMNESTIÆ laudatæ preces? quas & hodienum, dextræ Dei proxima, sine dubio continuat, ut, quemadmodum omnia, ita etiam terræ nostræ incomparabilem tranquillitatem, meritissimo eidem acceptam feramus, & per eam ipsam, secundùm tubæ Apostolicæ indicium, Patri, pro universis singulisq;, gratias agamus gratissimas. O fiat, fiat! quo justius nihil, nihil utilius.

Sic enim verò satis hucusq; de felicitatis nostræ, quæ adeò ovantes triumphantesq; nos his diebus reddit, fonte principe, qui Optimi Maximi Dei est AMNESTIA: de altero itidem paucis patiamur refricari nobis memoriam. Illa partium olim inimicarum, in Patriæ nostræ fundo se collidentium, nunquam non pariter celebranda est AMNESTIA. Regis inquam nostri atq; Domini: & Reginæ suorum, atq; Dominæ. Concors autem demum Vtriusq;, cùm in pacem sequestram feliciter animi Clementissimi inclinare cæperunt, Majestatis tantæ vox erupit, in publicas tabulas, hoc sono, relata. Sit omnium utrinq; anteactorum AMNESTIA.

At fas non est utrinq; acta ista hîc verbis explicare: conopeo suo illa involvit & obtexit AMNESTIA omnia. Quæ nobis ideo mille relationibus est acceptior: quia his facilè caremus, dum illâ fruamur, & gaudeamus. Eam ipsam autem Amnestiâ indebitâ adobruere atq; sepelire

nefas

nefas sit maximum. Quin, ut hac de, die in titulo dictâ, quæ festum præcedit Eucharistiæ anniversarium, in coronâ Auditorum honoratissimâ, peroraret, &, eâdem operâ, omnis generis offensarum oblivionem spontaneam nobis commendaret universis & singulis, ut natus, ita educatus bene, JOHANNES ERNESTVS SCHMIEDEN, *valde visum est opportunum.*

Quemadmodum verò mihi in more nunquam fuit positum, disciplinæ alumnos nostræ, prolixo encomiorum ambitu, tradere benevolentiæ publicæ: ita jam nunc quoq; solemne illud meum tenebo. Augusti *namq; immane quantum placet virtus, de suis, quos populo commendabat, non in aliam, quam hanc, sententiam, verba facientis: Si merebuntur, sunto in oculis. Sic scilicet consimiliter (nec aliter interpello) mei Lectores, Vestris, semper imposterum sit in amoribus & sermonibus* NOSTER, *si merebitur. Nisi quod omnino hîc publicè polliceri habeo, quòd sanè, & argumentum habendæ declamationis, quia magni est momenti, & ipse,* declamator, *eò, quia sic se informari patitur, ut spem faciat indubiam, fore eundem, &* Patriæ *ornamento, &* Parentibus, *cùm corporis, tum animi, gaudio, deniq; sibi incremento; non mereantur non audiri. Cui igitur, meo rogatu, vocati aures oculosq; commodabitis benevolentissimè; ei, si merebitur, imò, cum merebitur, non negate, quæso, applausum. Ita, ad sacra postridie celebranda religiosiùs & sanctiùs, nos quali quali antegresso præparabimus studio, recordati, ab* AMNESTIA *utriusq; generis jam tactâ, ferias armorum nostrorum feliciter profluxisse; quas ut æternas etiam faxit Cœlestis semper-Clementia, maximum in modum porrò supplicabimus. Fiat! Fiat Publicavi hæcce biduo ante diem gratiarum actioni publicæ consecratum.*

JOHANNES MOCHINGERUS,
APVD GEDANENSES,
ECCLESIÆ CATHARINÆÆ PASTOR,
GYMNASIIQVE RHETOR,

SCHOLAS EROTEMATICAS;

UBI DE IIS,
QVÆ AD ORATORIAM,
SIVE ECCLESIASTICAM, SIVE COELESTEM,
QVAM MAXIME FACIUNT,
PERCONTATIONIBVS IN MEDIVM ALLATIS,
SINGVLIS SIC DICTI SABBATHI DIEBVS,
NOSTRA, QVÆ ANTEMERIDIANA NONA EST, HORA,
IN ACROATERIO ORDINARIO,
RESPONDEBO;

PROFICIENDI CVPIDISSIMORVM
THEORHETORISTARVM IN GRATIAM,
FAVENTE, PROPITIOQVE NVMINE,
HABERE ME VELLE,

NON SINE FIDEI, INDVSTRIÆQVE
POLLICITATIONE ACCVMVLATISSIMA,
INTIMO IN PRÆSENS. DENVNCIOQVE,
ANNI HUJUS, MDCXLII. DIE XI. OCTOBR. PROXIMA,
CARCERES APERTVRVS.

P.
GEDANI, TYPIS RHETIANIS.

JOHANNES MOCHINGERUS,
APVD GEDANENSES,
ECCLESIÆ CATHARINÆ PASTOR,
GYMNASIIQVE RHETOR,

SCHOLAS
EROTEMATICAS;

UBI DE IIS,
QVÆ AD ORATORIAM,
SIVE ECCLESIASTICAM, SIVE COELESTEM,
QVAM MAXIME FACIUNT,
PERCONTATIONIBVS IN MEDIVM ALLATIS,
SINGVLIS SIC DICTI SABBATHI DIEBVS,
NOSTRA, QVÆ ANTEMERIDIANA NONA EST, HORA,
IN ACROATERIO ORDINARIO,
RESPONDEBO;



PROFICIENDI CVPIDISSIMORVM
THEORHETORISTARVM IN GRATIAM,
FAVENTE, PROPITIOQVE NVMINE,
HABERE ME VELLE,

NON SINE FIDEI, INDVSTRIÆQVE
POLLICITATIONE ACCVMVLATISSIMA,
INTIMO IN PRÆSENS, DENVNCIOQVE,
ANNI HUJUS, M DC XLII DIE XI OCTOBR. PROXIMA,
CARCERES APERTVRVS.

P.
GEDANI, TYPIS RHETIANIS.

THEORHETORISTIS MEIS REM BENE GERERE!

EST, nisi nos fallit eruditorum, & expertorum quidem, gravis calculus, discentiæ inter adminicula haud postremum, Græcis dicta συζήτησις, seu sententiarum, per interrogationes & responsiones accommodatas ultro citroq; agitatarum, reciprocatio: utpote, per qvam etiam ex discentium scamnis in docentium thronos emergere se datur, expeditâ planè viâ, hisce, nescio cujus, sed à puero mihi notis, versiculis attestantibus:

Multa rogare, rogata tenere, retenta docere:
Hæc tria discipulum faciunt superare Magistrum.

Quid de discipulis autem tantùm memoro? Ipsi insuper doctores hujus interventu auxilii proficiunt optimè, perficiunturq; exoptatissimè. Quod quia Judaicorum Magistrorum non nemo (R. Chaninæ nomen homini fuit) cognovit, agnovitq; bene; sic, uti traditur, est locutus: *Multa ego à Præceptoribus meis didici: at multò etiam plura à discipulis*: Subintellige, & his, & illis, percontationibus suis, (quibus supra quàm dici potest sunt dediti Hebræi, ut eapropter modum nescii ab Apostolo gentili, qui demum dedoctus, & meliùs doctus, ad Timotheum epistolam priorem exaravit, justo, insanientium circa quæstiones, & inde ortas verborum rixas, vapulent convitio) multivariis Magistrum urgentibus, & magis magisq; erudientibus.

Lydius adhæc, meo etiam arbitrio, eadem est lapis, cùm eorum, qui discunt, tum, qui docent, bene. Quorum illud divini, ut audit, Platonis auctoritate quoq; nititur: qui hoc inter discipuli notæ melioris enumeravit signa conditionesq;, si industrius atq; pertinax adeo sit percontator. Quemadmodum etiam Zenonem Cittiæum, Stoicæ parentem familiæ, eâ ab indole laudavit, sapientum Græcorum veterum Panegyrista, Diogenes Laërtius: quòd nimirum ζητητικὸς, hoc est, ut interpres loquitur, *ad inquirendum*

vendum ſolers exſtiterit. Origenes verò parenti ſuo, conſimilem ingenii ob dotem, dicis quidem cauſâ inviſus, ſed, intus apud animum ejus, non amabilis tantùm, ſed, ut Euſebius proditum reliquit, & admirabilis, & venerabilis èxſtitit. Quæ res ſic ſe habet, narrari, quia ſciri, digna. Cùm patrem puer ille, Leonidem, de ſummis & intricatisſimis Scripturæ ſenſibus interrogaret ſubinde, hic compeſcere rogantem, & dicere: Nimiùm, fili mi, ſapis: vide, ne, quò ſapis citiùs, eò citiùs deſipias. Me virtus, parentem tuum, ætate & ſtudio longo confirmata, Epiſcopum fecit: te matrem peperisſe talem cave credas. Intra tuam te contine teſtam, & cuticulam. Oraculi Socratis in mentem tibi veniat: qui, quænam adoleſcentum ſit virtus? interrogatus: *ne quid nimis*, inquit. Verùm hæc in ſpeciem tantùm dicta, ut nobilem animi impetum quaſi frenis quibusdam nonnihil coerceret Leonides: nam idem noctu veniens, ſacrum puſionis pectus, tanquam Spiritus Sancti, per inſpirationem cœleſtisſimarum quæſtiuncularum ſe prodentis, penetrale adytumq; oſculis venerabatur, vel millies beatum ſe prædicando, quòd, divino beneficio, tam ſciti filii pater eſſet factus.

Ut quidni verò & è dictis alterum, ratione idoneâ probabile reddere ſit in proclivi, quòd videlicet Præceptoris itidem ſit laudabilis indicium, ſi pariter ipſe ſciſcitando crebriùs tentet diſcipulum, pariter ab hoc interrogari ſe patiatur quàm lubentisſimè? Quî enim, quæſo, meliùs expiſcari ille poteſt, num à ſe prolata auditor, ſive intellectu apprehenderit, ſive memoriâ comprehenderit, quàm aptisſimis interrogationum adhibitis fidiculis? Aut, unde, à percontatione ſi diſceſſerit, innoteſcet eidem, vel iteranda, vel clariùs eſſe dicenda, quæ ſemel ſunt tradita; niſi aut ignorantiam ſuam, aut oblivionem, aut penitiùs omnia cognoſcendi aviditatem, erotemate quali quali in medium adducto diſcipulus prodiderit? Ut ſanè ideo nunquam admirationis deſinere queam, artibus omnibus humanisſimis, de quibus Poëta cecinit:

- - - didicisſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

non obiter tinctum, ſed bene imbutum, Clenardum Nicolaum hoc boni moris ferre non potuisſe; quòd, cùm in Profeſſorum Salmanticenſium cooptatus eſſet ordinem, Acroatæ ejus, poſt Acroaſin quamlibet, ſuam plura diſcendi cupiditatem interrogando profiterentur: ſed, fermenti copiâ animo inde concepti plenum, his ad Latomum verbis ſcripſisſe: *Eſt, quod inſuper hîc Salmanticæ diſpliceat, & receptum tamen his eſt in regionibus, ut & idem inter Italos obtinet, quòd, peractâ ſtatim lectione, Profeſſores, tanquam Oracula quædam, à quovis paſſim adeantur, & quicquid*

tandem fuerit, quod Arcadico juveni in mentem & buccam venerit, nisi clementer Præceptor excipias, & tanquam de re seriâ cum homine verba facias, negligere videris dominum tuum. Quâ quia jam dictus Clenardus uti consvetudine noluit, Academiam & Academicos res suas omnes habere jussit, unà cum legibus suis universis ac singulis, quas inter & ista numerabatur, *ut Cathedraticus quisq;* (sic vocant) *à lectione pro foribus discipulorum dubiis sese offerat*: majore ratus ita confici molestiâ docentem labore defunctum, quàm ipsâ in horâ ordine operæ suæ vacantem.

Utinam verò nos nostræ sic tantummodo occupare vellent disciplinæ alumni! nec (quod industriorum bonâ pace dixero) tanquam scamna super scamna sedere mallent; in quorum aliquando vultibus hoc quasi legere valemus, nos, quanquam Stentoreâ usos voce, haudquaquam audiri, dum animus à corpore peregrinatur, & corvos lutoq; testâq; sectatur: ut taceam, quod ex otiosis planum sit colligere manibus, nolle eos metere, quibus toto quandoq; sacco seritur. Mihi quidem ego mille onusto lætitiis sic persuaderem, quòd cœlo digitum attigissem, si qui Rhetoricam, hoc est, dicendi facultatem, doceo, ex infantissimis quibusdam loquentes reddere non nequirem, quò, quos habent ad colloquendum propensissimos, Magistris suis uti rectè velint, universi ac singuli.

Sed experiendo rem tantam tentare aggrediar. Dixi autem ad summam equidem allocutionis hujus in fronte, quæ mea, Theorhetoristas, & verò adeo omnes nostros, ad interrogationum imposterum magè frequentandarum excitandi, & quasi exacuendi, studium, sit voluntas: sed eam hîc iterum etiam apertam explicatiùs. Nam Tullio hac quoq; in parte obsequi parati sic ex formulâ dicemus: *Ea hîc agetur res*: ne non quid sit illud, cui navabitur opera, nemo non intelligat. Principiò, horis singulis, duas in antecessum dabo & intimabo quæstiones, ad Oratoriam Ecclesiasticam Cœlestemq; spectantes, quibus de, ut, sequente horâ proximâ, quilibet, quicquid lubitum fuerit, interroget, & in lucem protrahat, permittam: hoc est, feram, nullis meis ingratis, ut, quod alibi lectum est, quodq; ad quæsita proposita spectat aliquâ ratione, nihil tergiversatus quicunq; inducat; idq; vel ut discere aliquid velit, quod nondum probè sit intellectum, aut dicere, quod sibi non malè cognitum videatur, aut deniq;, quod sibi vel dubium, vel non satis perspectum existimet, sub disquisitionis incudem ponere. Ego, bono cum Deo, respondebo.

Quo in tamen ut nè vel audaci, vel impudenti potiùs, Leontino Gorgiæ æquandus videar, etiam atq; etiam deprecor, & eorum, qui hæc legere dignabuntur, æquitatem valde precor.

Ille, digito ut monstraretur, verum gloriæ animal, *primus* (secundo de bonorum & malorum finibus, prodente Cicerone) *est ausus, quæstionem in conventu poscere, id est, jubere dicere, quâ de re quis vellet audire:* sed nobis pro scopo longè aliud esse præfixum testor, inq; testem judicemq; qui in nostra facilè se penetrat pectora, me rejicio. Res enim taxo adhæc ut loquatur, nihil quicquam hîc nobis magè esse spectatum, quàm communem, &, ex æquo, sive interroganti, sive respondenti exspectandum, profectum literarium. Unde etiam Germanici, Macedonico, si rectâ lance omnia pensitare velis, multis partibus majoris, Philippi (at quanti omni in literaturâ viri!) candorem non semel imitabimur; ut nempe caussam, quam illico non satis extricare erit facilè, sumto, ad evolvendos autores, & diligentiorem rerum omnium expensionem, spatio, ampliemus, & tum demum meliusculè animo percocta afferamus. Melanchthonis autem illud, quò collimamus, & Lutherus quondam sæpius ore circumferendo, & alii, uti sunt Mattheſius, &, post hunc, Melchior Adamus, scriptis prodendo, egregiè in luce posuere: quorum postremus de eo, in vitâ Germaniæ Phœnicis, ita ferè conceptis verbis: *In disputatione, quam cum Eccio Melanchthon Wormatiæ habuit, hoc vel maximè commemorabile accidit, quòd, cùm redivivus Pyrgopolinices, Eccius, argumentum quoddam subtile & argutum protulisset in medium, Philippus, quò rectè illud solveret, in diem crastinum responsionem se allaturum, dixit: Sed Eccius: Id verò, si ex tempore respondere nequeas, non est laudandum. Cui Melanchthon: Mi Domine D. non meam in hoc negotio quæro gloriam; sed veritatem: cras, sis, volente Deo, me audies.* O exemplum imitatione dignum! quod si nullus referre dignari voluerit, nobis sanè idem erit quàm commendatissimum.

Sed & deinceps porrò (ut ad lineas revertamur nostras) ubi per Oratoriæ Ecclesiasticæ Cœlestisq; præcepta, percontationibus aliquâ ex parte exhausta, sic itum fuerit: migrabimus similiter ad Homiliastas ætatum quarumvis, & idiomatum plerorumq;, lustrandos, quò vel cumprimis, quid in quolibet artificii singularis animadvertendum, nare Rhetoricâ adhibitâ, sagaciùs indagemus; disquisito etiam, quid illud sit, quod in hoc vel illo præclarum videri queat. Laudabilia inquam tantummodo venabimur. Nam valeant illi (ut loqvuntur) Postillatorum Corycæi, flagellatoresq;, qui cur muscas putribus tenaciter adhærentes imitari malint, quàm ex amœnissimis & salubribus quibuscunq; herbis mella colligentes apes, non bene intelligo. Digna, sed meritissimo suo, ut apud totum aculeatum dentatumq; legere est Boccalinum, in Parnasso, reprehensione exceptus est ab Apolline, haud bene feriatus Eclogarius, qui ex Poetæ alicujus recens edito opere perpera

quæq;

quæq; excerpta Musarum Præsidi offerre nihil est veritus; hoc indicante, non sine motâ sibi bile, cur, cùm nemini infelix in forum allatum lolium obtrudi possit, non bona quæq; & aurea potiùs ex autore collecta, quàm pessima & ærea, imò lutea, sibi voluerit exhibere? Nolo ego quidem planè incastigatos abire illos, qui incompositis atq; impexis commentationibus suis in publicum prodire sustinent: sed nolo tamen etiam vel unum, quanquam alicubi, aut rudis aut incuriosus, in literaturam & eruditionem peccarit, imprudente, &, ut nonnunquam etiam fieri amat, impudente vexari censurâ. Ecquid enim impediat, ut ne liceat ignoscibiles virorum vix ineruditorum, & de reliquo certè minimè malè animatorum, tanquam ignotos aut mortuos homines, præterire culpas: dummodo, quod præstat, in ornamenta eorum tota defigatur oculorum mentisq; acies? Quid? quòd & par sit, ut Socratis omnibus arrideat modestia. Cui, cum ab Euripide Heracliti opusculum lectione peragrandum esset traditum, & ille sciscitaretur demum, de lecto ipsi quid videretur libro? Tum hic & cautè & catè admodum sic respondens ait: *Ea quidem, quæ intellexi, fortia sunt visa: puto item, quæ non intellexi: verùm Delio tamen natatore indigent.* Placet igitur omnino dicere, mihi quidem quòd ita prorsus videatur, quasi omnia sic satis salva sint futura eruditorum omnium monumenta, ut ut ab autoribus, cùm nimis quàm decebat bono Homero dormitanti sunt similes, aliquando inaccuratiùs fuerint elaborata, dummodo, aut bonus lector, nihil malè accipiendo, aut non malè affectus emendator, meliora quandoq; supponendo, opem aliquam tulerint.

Verùm enim verò jam nunc nobis satis præfatis nostram sit rem curatio, hoc nempe unicè acturis, ut, quæ dicta sunt, facta fiant feliciter. Cui ideo proposito nostro, ut & Numen optimum, & vos, mei Theorhetoristæ, faveatis, illud est adhuc, quod votis omnibus contendo. Nisi quod istius favorem etiam certò mihi polliceor; vestrum, autem, o mei, & non tam mei, quàm vestri quidem caussâ, iterum atq; iterum solicito; sed non illum silentio, aut laude frigidâ, sed socio operandi studio declarandum & publicandum. Valete, & bonam, quæ se offert, exquisitè proficiendi occasionem non negligere fas & æqvum judicatote.

Quod propositi, his è Museo nostro emissis, Anno labente, M DC XLII. die IX. Octobr: intimare placuit.

Fausta ACCLAMATIO NVPTIALIS.

GRATVLATIO,
GEDANO MISSA,
QVA,
SIMUL TER NOBILE REGIOMONTUM
SIMVLQVE EIVS OCELLVM ET OS,
DN.
VALENTINUM
THILONEM,
PROFESSOREM ELOQVENTIÆ ACADEMICVM,
IAM (FELICITER!) SPONSVM,
ANNI, PAULATIM SE INCLINANTIS, MXLIII.
DIE VII INCOEPTI JULII,
CVM FLORENTISSIMA
MATRONARUM REGIOMONTANARUM,
ANTE-MARITI,
AMPLISSIMI PRVDENTISSIMIQVE
DN. JACOBI SAHMII
IN MONTE REGIO DICTO,
PALÆOPOLITANI, DUM VIVERET, SENATORIS,
RADIIS CORVSCANTE,
DN. CATHARINA REMBSIA,
NUPTIAS CELEBRATURUM HONORIFICE;
HONORISQVE AMORISQVE CAUSSA,
CONDECORARE VISVM EST
JOHANNI MOCHINGERO:
SI ITA VIDEATUR,
A CONVIVIS NVPTIALIBVS ERVDITIS.
VEL IPSO EPVLARI DIE,
INTER MENSÆ DELICIAS,
VEL SECUNDUM DIEM ISTUM,
OCVLIS BENEVOLIS DELIBANDA;
AUT SIN SECUS,
PLANE NEGLIGENDA:
DVMMODO, EX INSCRIPTIONE ANIMADVERSA,
IN URBEM, URBISQVE, SPONSÆQVE,
MUSARUMQVE DELICIUM,
NON SINE ADMURMURATIONE SECUNDA,
COGNITUM COLLAUDETUR STUDIUM.

Regiomontum, *inclyta Civitas; & Aulâ, & Academiâ, & foro, ter nobile* Regiomontum! *Tua, secũdum ſupremum, Numina Tutelaria, Regẽ VLADISLAVM, Electoremq; FRIDERICVM WILHELMVM, plurimùm Te applaudente, verborum laudabilium apparatu panegyrico,* Thilo *Tuus identidem celebravit: celebrandus, Te vix dedignante, modò ipſemet, quali quali dictione, ſed nuptiis propriâ, hoc eſt, lætâ & lætificâ, Sponſæ ſuæ, Tuus, noſter Amor. Neq; nunc tamen Tuis Tui Oratoris approbatiſſimam auribus eloquentiam tubâ ebuccinabimus Tyrrhenicâ: ſed amores Sponſi, huc ad Gedani etiam Vrbem famæ vehiculo delatos, & principiò quidem, quia paulò diutiùs deliberati, admiratione; deinde verò, quia conſulti bene, applauſu dignos viſos, atq; lætabiles.* Facite tantùm, *hoc honori & acclamationi proſperæ Viri dicato die, cum ferculorum poculorumq; delibatione, hilaritati acuendæ appoſitorum, vel paulisper inducias feriasq;, hoſpites egregij vocati; aut ſerius deinceps pagellas has inſpecturi, cum occupationibus veſtris, vel amœnitatibus; ut oculus huc interea dirigendis, qui diu tamen tenendi non ſunt, ſed jam jam, & ipſis ſibi, & arbitrio veſtro reddendi, benevolentiſſime, ſultis, vacare ſit integrum.* Thilo *ille veſter noſterq;* Valentinus, *ſive, quod non neſcitis, ingenio, ſive ore, ſive ſtylo promtus valde & celer, ſolâ tamen circa nubendum hactenus conſilij oppido prolixâ cunctatione Fabius, ſuo, per longi temporis moram, declara-*

tum dare tergiversatus est exemplo; utrum videlicet, (quod Virorum literatissimus in controversiâ ponere sustinuit, doctæ in medium eâ causâ prolatæ disceptationi ansam præbens,) uxor Viro literato sit ducenda, nec ne? Nisi quòd aliquando tandem audacior factus, & animis quasi sumtis, viduitatis virgineæ, & virginitatis viduæ molestè pertæsus, non quærẽdam solùm esse conjugem duxit, sed, rebus sic ferentibus, præVirgineViduam amplectendã. Liceat verò nobis, bonâ fori nullius non, tororumq; Regiomontanorum omnium pace, prælium hîc ciere quoddam, sed quod haud utiq; armis, verùm argumentis conficiendum, à quo nec Mùsæ, nec mensæ abhorreant, atq; missus inter & haustus sapienter frugaliterq; frequentatos, velitatiunculam raciotinationum inter se confligentium inducere, cùm pro Virginum in conjuges eligendarum amore, tum pro Viduarum non negligendarum honore: siquidem, & illæ, & hæ, si salva sint cætera, æquè eruditi ordinis, æquè alius cujuscunq; hominibus, idoneæ existere non nequeunt. Cum Poëtâ enim, sive Cumæo, sive Ascræo, qui de puellâ duntaxat ambiendâ præscribit, apertè & planè divortium sententiæ facimus: & multò nos libentiùs confarreationis vinculo adstringimus jurisq; justitiæq; sacerdotibus, quorum cùm verè sapiens est, tum longè æquissimum Oraculum istud, sic pronunciantium: Virgo & Vidua pari censentur jure. Equidem (fatemur) eo profectò sumus ingenio, & fuimus semper, semperq; etiam erimus, ut, quæ pariter citra veritatis, pariter citra ullius est injuriam, accedamus perlibenter existimationi. Videamus solummodo militantium utrinq; considerationum aciem instauratam—. Ac Virgo quidem cui obtigit in uxorem, præsertim autem docto, quæ tamen nec formæ sit, nec morum inemendatorum, habebit certè, quò rapiatur, ut, cùm recens ipsi se obtulit liber, qui, uti charta Bilbilico vati sic est nuncupata, virgo audire potest. Virginis qui potitur amore, gaudet meritissimò non minùs, atq; qui sedis

hono-

honore prioris se condecoratum esse lætatur. Virgini *qui nuptum it Musarum amasius, ab his Virginibus amplexus suos ad aliam transfert, innocentiq; impune fruitur adulterio.* Virginem *qui sibi despondet literarum Doctor, quam docere jucundum sit, non molestum dedocere, consecutus est.* O Virgo, *propriam cui te dicas, integrum ad ipsum constanter primo omnium adamatum affers amorem—!* A Virgine *demum, quam quis duxit, polliceri tantùm non pro certo sibi potest, ut, quæ parentum adstrictiori adsuevit imperio, novo marito morem gerere liberior non grave ducat. Hinc sperate, sperate, vos non prensatum non iri, Virgines amabilissimæ. Sed nec est, quod desperetis, Viduæ honoratissimæ. Divi ad vivum maritum honorem transferunt* Viduæ. *Secundorum conjugum, ob viduitatis damna gravissima perlata, penitus abhorrere mortem, est* Viduarum. *Non liberorum suscipiendorum modò voluptatem, sed eorundem etiam benè educandorum facultatem, credibile sit inesse* Viduis. *Familiamq; domumq; sapienter regere posse ecquis facilè dubitet* Viduas? *Vos multos auxistis opibus possessioneq; amplâ,* Viduæ! *Sive benè, sive malè primùm nupserint, quia condocefactæ, verosimiliter obsequium exspectes à* Viduis. *Sic scilicet, ut res loquitur, quemadmodum hæ, ita illæ è sexu fœmineo se commendant potissimùm—. Ut, quò se verteret, per annorum aliquot decursum, Conjugij Candidatum Nostrum nesciviſſe, admirationis, jure, sit desinendum—. Inciderat iterum in bivium Hercules, ignarus, utra conditio esset* pensior? *Sed en ecce nobis demum in* Viduæ, *quæ prius-marito ob virginitatis dotes quondã perplacuit, propendere manifestè cœpit connubium: propendere verò? dixerim procul dubio rectiùs, occulto & valido Providentiæ divinæ fune trahi. Ea, (quod hîc Gedani quoq; percrebuit,) compluribus, apud Te o mons Regie, floret claretq; honoratissima nominibus.*

Ea Catharina *est* Remsia. *Tace, sis, qui mussas, vix fœminæ fortunam benè voluisse, quæ ex Consulis uxore facta est Rhetoris. Fuit ille Curiæ; hic Academiæ est ornamento. Præfuit ille adultis; hic adolescentibus Quiritibus. Profuit ille Senatorio; hic Professorio consilio. Fuit Senatus pars ille; hic ad dicendum bene & sapiendum informans multos, Senatum totum constituet. Notus ille Vrbi; hic penè Orbi non ignotus. Salve, Salve itaq; quondam Senatoris, jam Oratoris Conjux, utrinq; honoratissima: & plurimùm salve. Afferas decus à Parentibus, àque Marito jam beato acceptum in beandi modò mariti ædes bipatentes, & aliud inde referto. Quo complexa es affectu denatum, eo facito prosequaris secundò destinatum. Quæ pristinum Conjugem extulisti aliquando semimortua: in præsens rediviva alterum feras in oculis. Velim bees Patremfamilias recentem, tempore suo, & prole, & prolis educatione exoptatissimâ. Domum privatam & liberos probè Tu curato, ut, publicum bonum,* Thilo, *Musarumq; domum publicam, librosq; edendos, non possit non curare. Dic age Cajo Tuo: Tua sunt, quæ mea, & ipsamet Ego Tua sum—. Párere serò, parére nunquam desine! Verbo:* Catharina, *quæ fuisti hactenus, semper sis* Catharina. *Ita nomen Tuum ibit in memoriam, si Cajæ optimæ partes bis impleveris. Bonæ plenus spei hæc de Te, apud Te, commemoro, præstantissima* Catharina. *Quæ oculis meis nota non es: es tamen non ignota auribus. Aurium quidem non minùs, quàm oculorum consilio firmatum, ex sapientum consilio, se Tibi Tuum applicuisse, pro persuaso habeo. Dummodo eapropter his & illis proci Tui arriseris; si nostro solùm auditui placeas, satis est. Enim vero & Tuâ gratiâ, mi* Thilo, *omnibus incedo lætitiis, quòd dignissimum prudenti Tuâ ad thalamum progrediendi tarditate, & concitatissimâ in curriculo literario emetiendo alacritate,*

tan-

tandem tandem reportaveris brabeum. Fac, Orationibus Tuis, cum gratiâ ſuâ omne in tempus perſeveraturis, deprædicare audeas Suadam Tuam, quæ Tibi conjugij diu detrectati obſequelam facilè perſuaſit: quippe quòd jam dudum eſt, cùm, ſine pipulo, imò cum applauſu, idem Poëtæ facere nihil ſunt veriti; qui ita ſuas, & quandoq; vix jure bono acquiſitas, Amaryllides reſonare docent ſilvas, ut unum earum nomen reſpondeant. Plaude unà mecum, Helicon Fruſſiace, quòd Orator Tuus duplici nunc jam fortunatus videatur connubio, Peithûs altero, altero hujus æmulæ, multùm perſuaſtricis fœminæ conjugis. Eat hic plauſus noſter cœlo, & ex formulâ inclamemus: Pulchrè, rectè, divinitus! Miſceo quoq; mea Veſtris, Convivæ nuptiales lepidiſſimi, bonis votis, quæ pro ſalute floreq; diuturno comparis conjugij lectiſſimi, quod nobis hæc fecit gaudia, fundetis, dicendo vobiſcum: Bene Valentinum Thilonem! *Bene* Catharinam Remſiam, *quondam* Sahmiam, *jam jam* Thilonianam! *Bene nos omnes, conjugatos, &, cùm boni amoris conjugator faverit, conjugandos! Jam autem manum ego meam hac de tabulâ: Vos, qui nuptiis præſentes eſtis, ad tabulam veſtram præſentem. Niſi ſi tamen, verè in arte ſuâ Roſciorum, aut* Dachij *carmine, aut* Alberti *ad modulos Muſicos, conceptæ audiendæ ſint itidem acclamationes: quibus ut aures commodetis ſimiliter Veſtras, etiam Vos mirum in modum oro, ut ſiqua, ex allocutione hac meâ, animo percepta eſt moleſtia, abſtergatur citò, tutò, jucundè. Ad ultimum deniq; & Vos, poſt-lectores alij, qui fortean negotia inter & otia veſtra, noſtra hæc alterutro non dedignabimini oculo, proſperrimè diu vivite, & læti multoties cum lætis plaudite; variùs autem triſtes cum triſtibus plangite, & ſic mecum adhuc vovete:* Thiloni, *primùm-marito,* Rembſiæ *iterum-maritæ, geniales dies plurimos, nec non, mutuo cum amore, indies creſcente, fidam matrimonij ſocietatem & eadem ſentire, & unà habitare, diu in ſolo, æternùm in cœlo, largiatur Optimus Maximus!*

EXSCRIPTA
GEDANI,
TYPIS RHETIANIS.

VOS,
MAGNIFICOSQUE NOBILISSIMOSQUE,
VRBIS NOSTRÆ, GEDANI, PROCERES,
IVXTA ATQVE VOS,
EORVM CVLTORES OMNES,
(QVALES NOS ESSE DECET UNIVERSOS AC SINGVLOS)
UT,
AD AVDIENDAM ORATIONEM,
DE VIRIS MAGNIFICIS,
MAGNIFICENTIÆQVE VIRTUTE,
NON AD ELOQVIVM TANTVM,
SED ET AD ELOQVENTIAM,
CVM A NATVRA SIC SATIS FACTI,
TVM AB ARTE NONNIHIL JAM FICTI,

TOBIÆ SELLII,
GEDANENSIS,

IN LYCEI NOSTRI AUDITORIO SPATIOSISSIMO,
ANNI VOLVENTIS M DC XLIII, DIE XXIII IVLII PROPINQVA,
HORA ANTEMERIDIANA IX.
CVM LVBENTIA, VOS SISTERE NON NOLITIS;
SEQVENTIA VERO ETIAM, VIX ADEO MVLTA,
POSTQVAM NOMINE NOSTRO EXHIBITA FVERINT,
ET ADSPICERE ET LEGERE VELITIS,
LONGE HUMANISSIMUM IN MODUM
CVM OBSEQVII OMNIS GENERIS POLLICITATIONE,
ORO, ROGO, OBSECRO,

JOHANNES MOCHINGERUS,

GYMNASII RHETOR:
QVI HÆC PVBLICAVI,
GEDANI,
ANNO DICTO, PRIDIE VII. TRINIT. DNIC.
TYPORUM FORMIS RHETIANORUM
EXSCRIPTA.

MAGNIFICI
CIVITATIS NOSTRÆ OPTIMATES, ORDINVMQVE OMNIVM LITERATI VIRI, *DOMINI, ATQVE AMICI, MEI,* ET OBSERVANTIÆ ET AMORIS NVNQVAM NON COLENDI STVDIO:

VObis ego cauſſas hîc exponere officii duxi, quare haud multùm frequenter, ex diſciplinæ noſtræ Rhetoricæ alumnis aliquos, in thronum Gymnaſii noſtri Oratorium collocatos, ad ſpectandum & audiendum publicè ſiſtam: modò verò quendam ex eorum numero, qui jam jam benevolentiæ Veſtræ eſt tradendus, omnino prodire voluerim, viſum, auſcultatumq́;. Etſi enim licet mihi facti iſtius perbene conſtet ratio: ignotam tamen eſſe nolim, inexploratamq́;

Regredior ſcilicet jam nunc, fateor, in præteritorum adoleſcentiæ annorum memoriam, & repetens & reputans apud mentem meam, quomodo ſæpicule & ego & alii (quidni talia haud inviti agnoſcamus, publicemusq́;, quæ nihil ſunt ad illa, ab apertiſſimi pectoris orisq́; Auguſtino D. in Retractationum pariter & Confeſſionum libris, ſuis de erroribus, divulgata?) ſine dicendi artis conſcientiâ, ſine recitandi proluſionibus obitis, ſine præviis ſtyli crebriùs tentati periculis, penè dixiſſem, ſine fronte (ſed frons tamen tum paginam faciebat utramq́; & omnia) ad declamandum nos proripuerimus, an protruſi fuerimus? quo nihil fieri potuiſſe imprudentius, ne dicam impudentius, nunc demum intelligimus.

Idem verò non auderet non, hac luce, ſui, ac complurium, cumprimis autem Oratoriorum, diſcriminum valde neſcia, & plura juſto concipientis ſpiritus temeritate tantùm confiſa juventa (cui Icarum imitari inconſulta lubido eſt: quid? quod etiam, abſq; alarum, ſive à naturæ liberalitate, ſive ab artis compenſatione, conceſſarum, volare remigio) niſi eam bonorum conſideratorumq́; ſufflaminaret fides Præceptorum. Negliguntur ſecurè, & ſordent primæ apud Rhetorem exercitationes, à Sophiſtâ Theone, deſcriptæ præſcriptæ, hunc in modum, cùm tantum opus eſt aggreſſus, quem audire profectò juvabit, loquente: *Veteres*, inquit *dicendi magiſtri, & inprimis celebres hac laude, neminem debere ullâ ratione ad dicendi ſtudium conferre ſe exiſtimarunt, niſi, qui Philoſophiam attigiſſet priùs, atq; ex eâ magnis cogitationibus impleſſet animum. At nunc magna pars tantùm abeſt, ut cognoſcere hæc velint, ut priusquam diſciplinarum liberalium orbem, quem vocant, leviter attigerint, ad dicendum proſiliant.* Quibus in verbis ecce verò nobis planè ejuscemodi, quæ nimis quàm hodie quoq́; vera ſunt. Neſcio adhæc, quo fato ignorentur, ætate hac eruditiſſimâ olim recitationis & actionis, in theatro domeſtico, palæſtrâq́; doctâ, præexercitamenta; immane quantum conducibilia præparandis bene ad eloquentiæ perfectionem educandorum oribus, corporibusq́; adminicula. Neq́; non tamen mirificiſſimum imperiti, imparati, infantiſſimi conamur facinus, ut dicere ſuſtineamus, antequam loqui tenemus

mus. Oratori tamen Romano visum prorsus absonum, vel docere tantūmodo eum dicere, qui loqui nesciat: qui profectò multò magis pro absurdo habuisset, si, qui loqui nondū didicit dicere periclitetur.

Initiamentis perorandi & ego facilè applaudo, sed auspicatis, & tempori legitimeq; factis: de cætero, cessationem loquendi, sive ab optimo Pythagorâ suis præceptam, sive ab admirabili quadam (de quâ Plutarchus) picâ commendatam, multo facio pluris, eandemq; eloquentiæ tironibus, ad quoddam tempus, usurpatam, permagni æstimo. De gravissimi quidem Philosophi disciplinâ, annis aliquot continuandam taciturnitatem exigentis, quia decantatissima est, nihil hîc memoro: sapientis bruti, post meditationem antegressam, vix sine admiratione, opportuno tempore in vocem erupturum silētium itidem suadentis, exemplum præstantissimum clarissimè ebuccinare non nequeo. E Romanis tonsorum (quod hominum genus, ignoratis de caussis adamatæ garrulitatis, aves canoras sonorasq; plurimùm amare, libenterq; alere, jam pridem percognitum est) ad miraculum loquaculam picam habuit non nemo. Non autem illa sui gregis proprios tenores edere audiebatur: sed ferarum voces, organorum crepitus, deniq; similiter verba humana reddere. Meditatione verò (quod insolens) familiari tantam sibi facultatem acquisiverat avium nobilissima; non informatione imperiove Phonasci, aut ventre, artis magistro, ingeniiq; largitore, edomita. Meditatione ajo: & dicto fidem omnia de hoc dæmonio referens facio. Accidit, sicut perhibent, ut, propter alitis diversorium, & hospitis officinam, cum pompâ exequiarum solemniori, funus deduceretur. Auditi tubicines, qui, pro consuetudine, nenias decantavere. Quos avis quoque combiberat sonos querulos, sed ipsa quasi funus facta. Nam nihil, post illud acroama funebre, garrire per dies aliquot: verùm muta & elinguis, omnibus admirationem, altori autem suo dolorem etiam attulit. Conjecturæ insolitæ taciturnitatis variæ: sed falsæ omnes. Ad extremum, ex alite præfica facta, pica tristes tubarum exequialium cantilenas æmulata, cunctos sonos expressit, eruditeq; ficto lesu, auditores quoslibet, ac præsertim herum suum, summâ lætitiâ perfudit. Quibus universis ac singulis tandem intelligere in proclivi fuit, intra silentes dies, aliud nihil egisse cantatricem, quàm tonum intra seipsam vi imitatrice formasse, vocemq;, velut fides, aptasse & concinnasse, quam, nisi ad modulos recèns perceptos bene compositam, emittere noluit. Papæ nova! An non verò, more isthoc, exemploq; pulli nostri Rhetorici ordine facerent, si avis hujus meditabundæ otium negotiosum, in artis Oratoriæ notitiam, & præexercitationum admodum necessariarum curam, principiò impensè incumbentes, imitarentur, nec præfestinè in loquacitatem erumpentes evolarent, non tam rhetoricaturi, quàm cornicaturi?

Ego certè, juventuti charissimæ mendosis moribus uti, quantum in me est, non permittam, aut audaculis locutulejis arridebo: ne, quos ad eloquentiam informare habeo, futilitatis inficiantur pestilentiâ. Suadebo potiùs (& utinam Rhetor persuadeam!) ut primùm aliquandiu taceant & audiant: audiant verò docentes: audiant: dicentes videant; legant scriptitantes: commententur multa:

&

& silentio ad excellentem dicendi facultatem permultùm profuturo aliquantisper navent operam: tandem, tandem autem, & in umbrâ declamare, & in sole luceq; orare audeant; jussi tamen magis, quam sponte suâ.

Audio enim perlibenter, non in historiâ duntaxat, verùm & in dicendo probatum scriptorem, Dionysium Halicarnassæum; quem ab omnibus audiri velim, & è vestigio inducenda tanti & sapientiæ & eloqentiæ ducis, non tam verba, quàm pondera, pendi diligenter, cùm ait: *Adolescentibus multâ admodum & prudenti opus est primâ institutione & educatione, si tales sunt futuri, ut ne, quodcunq; in buccam prorsus intempestivè venerit, effutiant verbum, neq; temerè, quicquid se obtulerit, coagmentent.*

Quod tamen pensi habendo si àme peccatur, jubete aliud; quæso Vos maximopere, *Domini* mei; hortamini diversum, *Amici*: non de me tantum: sed & flore Patriæ, & eloquentiâ optimè merituri. Siquidem autem cum nostro Vester idem sit sensus, confirmate, amabo, nos albis calculis Vestris.

Demum verò ad Declamatorem nostrum, cui, Vobis benevolentissimè audientiam non negaturis, verba faciendi negotium impositum, venio, *Tobiam Sellium*. Ei simul frenis, simul calcaribus, opem tuli dictionem molienti. Audivit nos ille, oris tenendi per aliquod tempus studiosus verùm, ut & ipse tandem aliquando audiretur, Suadæ Candidatus; consultum æquumque duxi. Igitur, ut ad recitationem rectè se compararet, mandavi: hoc est, ut de argumento ad pertractandum delecto libros idoneos legeret, & fœtum quasi pectus inde redderet. Porrò, ut in manus penicillum sumeret, volui, & materiam suis coloribus delinearet, pingeret, expingeret. Dictum, factum. Deniq; mea accessit lima, & de curâ pronunciandæ Orationis, ab ipso fabrefactæ, à me dolatæ, hortatio. Tum præterea auditus, & vocis exemplo adjutus. Ita ad ultimum jam sistitur. Minori, non nescio, hæc opera nostra constare posset labore, si ediscendæ Declamationes â me componerentur, & psittacis traderentur enunciandæ: sed sic ego (cui ingloriæ maleq; feriatæ opellæ nullo me tempore consecrabo) hircum mulgerem; nostri cribrum supponerent. Isthoc enim tantùm pacto (ut hoc de suo mihi largiatur Fabius) *inane apud auditores nasceretur gaudium, apud dicentes malè edoctos contemtus operis, inverecunda frons, & consuetudo pessimè dicendi, & malorum exercitatio, & quæ magnos quoq; profectus frequenter perdidit, arrogans de se persuasio.*

Quam bene autem molestior occupatio nostra verterit, mihi quidem imperanti, *Sellio* recitatori morem gerenti, facite cognoscatis, VIRI MAGNIFICI, HORVMQVE CVLTORES OMNES, & nobis favete ac favorem istũ exoptatissimâ præsentiâ Vestrâ ad dictum diem; imò, sultis, re quacunq;, quo nomen Vestrum impleatis, omni tempore, declarate.

Fiat! Valete prosperè!

EXCLAMATIO PANEGYRICA,

SVPER

GYMNASII GEDANENSIS

NATALI NOVO;

QVEM

DIES XXII DECEMBRIS,

ANNI CHRISTIANI M DC XLIII.

RVENTIS,

ATTULIT.

MAGNIFICI
CIVITATIS NOSTRÆ OPTIMATES, ORDINVMQVE OMNIVM LITERATI VIRI, *DOMINI, ATQVE AMICI, MEI,* ET OBSERVANTIÆ ET AMORIS NVNQVAM NON COLENDI STVDIO:

VObis ego cauſſas hîc exponere officii duxi, quare haud multùm frequenter, ex diſciplinæ noſtræ Rhetoricæ alumnis aliquos, in thronum Gymnaſii noſtri Oratorium collocatos, ad ſpectandum & audiendum publicè ſiſtam: modò verò quendam ex eorum numero, qui jam jam benevolentiæ Veſtræ eſt tradendus, omnino prodire voluerim, viſum, auſcultatumq́;. Etſi enim licet mihi facti iſtius perbene conſtet ratio: ignotam tamen eſſe nolim, inexploratamq́;

Regredior ſcilicet jam nunc, fateor, in præteritorum adoleſcentiæ annorum memoriam, & repetens & reputans apud mentem meam, quomodo ſæpicule & ego & alii (quidni talia haud inviti agnoſcamus, publicemusq́;, quæ nihil ſunt ad illa, ab apertiſſimi pectoris orisq́; Auguſtino D. in Retractationum pariter & Confeſſionum libris, ſuis de erroribus, divulgata?) ſine dicendi artis conſcientiâ, ſine recitandi proluſionibus obitis, ſine præviis ſtyli crebriùs tentati periculis, penè dixiſſem, ſine fronte (ſed frons tamen tum paginam faciebat utramq́; & omnia) ad declamandum nos proripuerimus, an protruſi fuerimus? quo nihil fieri potuiſſe imprudentius, ne dicam impudentius, nunc demum intelligimus.

Idem verò non auderet non, hac luce, ſui, ac complurium, cumprimis autem Oratoriorum, diſcriminum valde neſcia, & plura juſto concipientis ſpiritus temeritate tantùm confiſa juventa (cui Icarum imitari inconſulta lubido eſt: quid? quod etiam, abſq́; alarum, ſive à naturæ liberalitate, ſive ab artis compenſatione, conceſſarum, volare remigio) niſi eam bonorum conſideratorumq́; ſufflaminaret fides Præceptorum. Negliguntur ſecurè, & ſordent primæ apud Rhetorem exercitationes, à Sophiſtâ Theone, deſcriptæ præſcriptæ, hunc in modum, cùm tantum opus eſt aggreſſus, quem audire profectò juvabit, loquente: *Veteres*, inquit *dicendi magiſtri, & inprimis celebres hac laude, neminem debere ullâ ratione ad dicendi ſtudium conferre ſe exiſtimarunt, niſi qui Philoſophiam attigiſſet priùs, atq́; ex eâ magnis cogitationibus impleſſet animum. At nunc magna pars tantùm abeſt, ut cognoſcere hæc velint, ut priusquam diſciplinarum liberalium orbem, quem vocant, leviter attigerint, ad dicendum proſiliant.* Quibus in verbis ecce verò nobis planè ejuscemodi, quæ nimis quàm hodie quoq́; vera ſunt. Neſcio adhæc, quo fato ignorentur, ætatè hac eruditiſſimâ olim recitationis & actionis, in theatro domeſtico, palæſtrâq́; doctâ, præexercitamenta; immane quantum conducibilia præparandis bene ad eloquentiæ perfectionem educandorum oribus, corporibusq́; adminicula. Neq́; non tamen mirificiſſimum imperiti, imparati, infantiſſimi conamur facinus, ut dicere ſuſtineamus, antequam loqui tene-

mus

mus. Oratori tamen Romano visum prorsus absonum, vel docere tantūmodo eum dicere, qui loqui nesciat: qui profectò multò magis pro absurdo habuisset, si, qui loqui nondū didicit dicere periclitetur.

Initiamentis perorandi & ego facilè applaudo, sed auspicatis, & tempori legitimeq; factis: de cætero, cessationem loquendi, sive ab optimo Pythagorâ suis præceptam, sive ab admirabili quadam (de quâ Plutarchus) picâ commendatam, multo facio pluris, eandemq; eloquentiæ tironibus, ad quoddam tempus, usurpatam, permagni æstimo. De gravissimi quidem Philosophi disciplinâ, annis aliquot continuandam taciturnitatem exigentis, quia decantatissima est, nihil hîc memoro: sapientis bruti, post meditationem antegressam, vix sine admiratione, opportuno tempore in vocem erupturum silētium itidem suadentis, exemplum præstantissimum clarissimè ebuccinare non nequeo. E Romanis tonsorum (quod hominum genus, ignoratis de caussis adamatæ garrulitatis, aves canoras sonorasq; plurimùm amare, libenterq; alere, jam pridem percognitum est) ad miraculum loquaculam picam habuit non nemo. Non autem illa sui gregis proprios tenores edere audiebatur: sed feratum voces, organorum crepitus, deniq; similiter verba humana reddere. Meditatione verò (quod insolens) familiari tantam sibi facultatem acquisiverat avium nobilissima; non informatione imperiove Phonasci, aut ventre, artis magistro, ingeniq; largitore, edomita. Meditatione ajo: & dicto fidem omnia de hoc dæmonio referens facio. Accidit, sicut perhibent, ut, propter alitis diversorium, & hospitis officinam, cum pompâ exequiarum solemniori, funus deduceretur. Auditi tubicines, qui, pro consuetudine, nenias decantavere. Quos avis quoque combiberat sonos querulos, sed ipsa quasi funus facta. Nam nihil, post illud acroama funebre, garrire per dies aliquot: verùm muta & elinguis, omnibus admirationem, altori autem suo dolorem etiam attulit. Conjecturæ insolitæ taciturnitatis variæ: sed falsæ omnes. Ad extremum, ex alite præfica facta, pica tristes tubarum exequialium cantilenas æmulata, cunctos sonos expressit, eruditeq; ficto lesu, auditores quoslibet, ac præsertim herum suum, summâ lætitiâ perfudit. Quibus universis ac singulis tandem intelligere in proclivi fuit, intra silentes dies, aliud nihil egisse cantatricem, quàm tonum intra seipsam vi imitatrice formasse, vocemq;, velut fides, aptasse & concinnasse, quam, nisi ad modulos recèns perceptos bene compositam, emittere noluit. Papæ nova! An non verò, more isthoc, exemploq; pulli nostri Rhetorici ordine facerent, si avis hujus meditabundæ otium negotiosum, in artis Oratoriæ notitiam, & præexercitationum admodum necessariarum curam, principiò impensè incumbentes, imitarentur, nec præfestinè in loquacitatem erumpentes evolarent, non tam rhetoricaturi, quàm cornicaturi?

Ego certè, juventuti charissimæ mendosis moribus uti, quantum in me est, non permittam, aut audaculis locutulejis arridebo: ne, quos ad eloquentiam informare habeo, futilitatis inficiantur pestilentiâ. Suadebo potiùs (& utinam Rhetor persuadeam!) ut primùm aliquandiu taceant & audiant: audiant verò docentes: audiant: dicentes videant; legant scriptitantes: commententur multa:

&

& silentio ad excellentem dicendi facultatem permultùm profuturo aliquantisper navent operam: tandem, tandem autem, & in umbrâ declamare, & in sole luceq; orare audeant; jussi tamen magis, quam sponte suâ.

Audio enim perlibenter, non in historiâ duntaxat, verùm & in dicendo probatum scriptorem, Dionysium Halicarnassæum; quem ab omnibus audiri velim, & è vestigio inducenda tanti & sapientiæ & eloqentiæ ducis, non tam verba, quàm pondera, pendi diligenter, cùm ait: *Adolescentibus multâ admodum & prudenti opus est primâ institutione & educatione, si tales sunt futuri, ut ne, quodcunq; in buccam prorsus intempestivè venerit, effutiant verbum, neq; temerè, quicquid se obtulerit, coagmentent.*

Quod tamen pensi habendo si àme peccatur, jubete aliud; quæso Vos maximopere, *Domini* mei; hortamini diversum, *Amici:* non de me tantum: sed & flore Patriæ, & eloquentiâ optimè merituri. Siquidem autem cum nostro Vester idem sit sensus, confirmate, amabo, nos albis calculis Vestris.

Demum verò ad Declamatorem nostrum, cui, Vobis benevolentissimè audientiam non negaturis, verba faciendi negotium impositum, venio, *Tobiam Sellium.* Ei simul frenis, simul calcaribus, opem tuli dictionem molienti. Audivit nos ille, oris tenendi per aliquod tempus studiosus verùm, ut & ipse tandem aliquando audiretur, Suadæ Candidatus; consultum æquumque duxi. Igitur, ut ad recitationem rectè se compararet, mandavi: hoc est, ut de argumento ad pertractandum delecto libros idoneos legeret, & fœtum quasi pectus inde redderet. Porrò, ut in manus penicillum sumeret, volui, & materiam suis coloribus delinearet, pingeret, expingeret. Dictum, factum. Deniq; mea accessit lima, & de curâ pronunciandæ Orationis, ab ipso fabrefactæ, à me dolatæ, hortatio. Tum præterea auditus, & vocis exemplo adjutus. Ita ad ultimum jam sistitur. Minori, non nescio, hæc opera nostra constare posset labore, si ediscendæ Declamationes â me componerentur, & psittacis traderentur enunciandæ: sed sic ego (cui ingloriæ maleq; feriatæ opellæ nullo me tempore consecrabo) hircum mulgerem; nostri cribrum supponerent. Isthoc enim tantùm pacto (ut hoc de suo mihi largiatur Fabius) *inane apud auditores nasceretur gaudium, apud dicentes malè edoctos contemtus operis, invverecunda frons, & consuetudo pessimè dicendi, & malorum exercitatio, & quæ magnos quoq; profectus frequenter perdidit, arrogans de se persuasio.*

Quam bene autem molestior occupatio nostra verterit, mihi quidem imperanti, *Sellio* recitatori morem gerenti, facite cognoscatis, VIRI MAGNIFICI, HORVMQVE CVLTORES OMNES, & nobis favete ac favorem istũ exoptatissimâ præsentiâ Vestrâ ad dictum diem; imò, sultis, re quacunq;, quo nomen Vestrum impleatis, omni tempore, declarate.

Fiat! Valete prosperè!

EXCLAMATIO PANEGYRICA,

SVPER

GYMNASII GEDANENSIS

NATALI NOVO;

QVEM

DIES XXII DECEMBRIS,

ANNI CHRISTIANI M DC XLIII.

RVENTIS,

ATTULIT.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS, IN VRBE GEDANENSI PRIMORIBVS,

DN. NATHANAELI SCHMIDEN,
JAM BVRGGRAVIO REGIO
EMINENTISSIMO;

DN. CONSTANTINO FERBERO,
MODO PRÆCONSVLI PRÆSIDI
HONORATISSIMO;

DN. DANIELI FALCKIO,
SENATORI BENE MERITO;

DN. ADRIANO von der LINDEN,
CONSVLI FLORENTISSIMO;

MAGISTRATVS CIVICI AVTORITATE DESIGNATIS

GEDANENSIUM SCHOLARUM
CURATORIBUS DIGNISSIMIS:

(SUB QUORUM CONSULATU,
ANNO A SERVATORE, M DC XLIII,
IN DIEM XXII XBRIS,
GYMNASII DANTISCANI
NATALIS RECENS NOVUS
INCIDIT;)

Exclamationem hanc Panegyricam,
cum acclamatione promptissimâ,
ut Quatuor Omnibus
Honorum egregiorum ac vitæ prosperrimæ
usus sit longævus;

offert studiosissimè
JOHANNES MOCHINGERUS,
Ædis Catharinææ Pastor, Gymnasiiq; Rhetor.

QUæ in publicum modò erumpit, non magis valui continere vocem, cùm novum Gymnasii nostri natalem, præter opinionem, luce proximâ, mihi videre contigit, quàm suam virilis infans, Lydorum Regis filius; dum extremam Patri imminere spectavit horam, districto, qui jam jam intorquendus erat, cum gladio, in genitorem ruente milite ignaro, ubi omnium primò ille in loquelam solvi & inclamare: parce, Crœsus est. Quâ ratione vitam Parenti conservavit, qui suam ab eo acceperat, & genitoris quasi alter factus est genitor, non pius minùs, quàm admirabilis Orator, & Patris, à quo capitis præsentissimum periculum depulit, gemino sine exemplo, Patronus.

Ego autem, non in illætabili, horroris caussâ, sed læto in occursu, honoris gratiâ, vocem edens, quantum possum, maximam, exclamo jam nunc, obvioq; cuicunq; occlamo: plaude, Patriæ bene est. Pace, quæ una felicitates omnes complectitur, in sinu gaudemus fruentes. Agri circumcirca siti vel florent, vel florem minantur. Terra, almæ matris instar, affatim suppeditat necessaria. Hinc mare; illinc Vistula, advehunt nobis alia: alia evehunt. In Urbem bipatentem tutus est non malè feriatis, aut bene negotiosis, introitus; nullique ex eâ rursum, vel otii vel negotiorum ergò, negatur exitus. Curiæ curis favet DEUS. Idem, eam ob caussam, & propter salutem omnigenam acquiren-

dam, rite in Oratoriis invocatur. In officinis Muſæis vacatur parvis quiritibus, ad omnem vitam, eamq; honeſtam, & verè vitam (cùm absq; literis vita, vivi ſit hominis ſepultura) præformandis ac fingendis. Forum affert omnia. Utinam hæc nobis, ſub Rege Cœleſti, ejusq; apud nos Vicario propitio, VLADISLAO, diuturna ſint, ac, quod malumus perpetua!

Inter cætera curſus rerum noſtrarum ſecundioris argumenta deprædicare habemus, quòd delubri Muſis conſecrati, inter Scholas Urbicas principis, & in domiciliis publicis vix poſtremi, natalis recens, die, qui in faſtis vigeſimus & ſecundus Decembris numerabatur, non præter fas, meliore, ut Poeta loquitur, lapillo celebratus, ex voto nuper illuxerit. Primus Lycei hujus auſpiciis quondam dicatus, quem annalium præconium ebuccinat, ac quaſi Alpha, eſt ille: ubi ædificium principiò reſonare eſt doctum pietatem, artesque depurgatas. Eſt hoc univerſis ac ſingulis, qui tum Urbis hujus gubernacula tractarunt, jam autem pridem Civitatis ſupernæ jure ſunt donati, viſum probabile, ut talis hic loci aperiretur ludus nobilior: ſed vel maximè, majoribus & nepotibus præſtantiſſimis nobiliſſimo Præconſuli (cujus, & ſanguinis, & virtutum, & dignitatis, & ſtudii in communia Patriæ ornamentaq; commodaq; verè heres cognominis, pro eo, ac par eſt, cum annoſæ incolumitatis ſincero voto, à nobis obſervatur) *Conſtantino Ferbero*, quem *Henricus Mollerus*, Vir doctus, & in Patriæ Parentem pius, nominatim decantavit his verſibus, libro pöematum inſertis:

Conſtantinus *erit Clariis* Ferberus *alumnis*
Laude ſacer, Clarii præſidiumq; chori.

Atria

Atria quo Musis sacer invitante Senatus
Condidit, æternæ nobile laudis opus.
Consul amansq; DEI, fortisq; & pectoris armis
Splendidus, ac patrii firma columna status.

Conditorem & Architectum majorem Phrontisterii accepimus: non ignorandus Rectorum Antesignanus, arbitratu publico olim factus: atq; is fuit, disciplinæ dignitatiq; Rectoriæ peridoneus, *Johannes Hoppius* Quo de, pariterque & cæteris, quos, post eundem fato excussum, DEI DEOrumq; providentia ad puppim admovit, ut fidæ gratarum & industriarum manuum chartæ, alia atq; alia famæ dedere: ita pagellæ praesentes istos solùm loquentur, quos oculis nostris intuiti sumus defungi imperio Scholico.

Annus volvebatur, à Christi natalibus, M DC XXXI. cùm Doctor *Johannes Botsaccus*, quem doctrina rerum sacrarum publicè celebris, non minùs aliis commendabilem, quam modestia (ut ideo eam gravis encomii molestiâ afficere nolimus) nobis amabilem reddidit; doctæ palæstræ gubernationi legitimè est praefectus, apexque choro Apollineo præstitutus; fortunato sidere. Qui dies, quo hoc accidit (fuit autem ille VII. mensis Augusti) novus quasi natalitius nostri Asceterii, haud injuriâ, opinor, à me reputatur. Quemadmodum enim, quando, hac tempestate, pusio tingitur, caput tantùm adspergere solemus, & ita nomen homini inditur: perinde; existimatione meâ, vel nascitur Schola, vel renascitur, cùm, qui gregis Rex est, caput ei imponitur; natalem nominalemque novum quasi nacta. Enimverò factum est, ut superioribus mensibus (non quòd malè; sed quod non malè suam ornasset Spartam) semotus fuerit, & subvectus in suggestum Ædis, ut in primario primariæ hodiè-Urbis loco sitę; ita primariæ: ubi, uti se dant initia;

& benè utilis, & acceptus erit majorum gentium auditorio ſuo; honorificæ recordationis causâ nuncupatus D. *Botſaccus.*

Non poterat autem orba eſſe Scholæ Cathedra, atque Studio contiguę Eccleſię: & ideo, qui utramque cum honore ſuo, & fruge communi, occupare non nequiret, quæſitus providentiſſimè. Tulere ſententię, calculiq; honorati, publici ponderis, auſpicatum fore, ſi præclarus aliquis Regiomontanę Academię Profeſſor, Urbis Regię Palladii Director conſtitueretur. Amplexi ſumus ætate, ingenio, induſtriâ, & diſputandi peritiâ pollentem D. *Ábrahamum Calovium:* quem jam complectimur.

Venit cum eo, in præſentiá, in mentem unius atque alterius emporii celebris, quod, intra non multos annos, noſtrâque tantùm memoriâ, eventu non adverſante, evocavit, ex majoris nominis Athenæis, inſignia nomina. Ex Academiâ Wittebergenſi, Theologum cordatum, D. *Nicolaum Hunnium* excivit Imperialis Lubeca; & fame incremento eapropter facta eſt beatior; jam Beati verò etiam oſſa cineresq; tenet. Similiter geſtit & effert ſeſe adhuc dum vivi Amſtelodamum immenſæ eruditionis Viri, *Johannis Gerhardi Voſſii*, poſſeſſione, quem Leidenſi extorſit Academię. Quę quoque Academia, ſibi ante oculos verſantem, cùm *Caſparem Barlæum*, Oratorem illum & Pöetam veteranum, veteribusq; ac nonniſi ex iſtorum numero principibus, Cæſari, Conſuli, Virgilio, Claudiano, aliis, comparandum; retinere penſi non habuit; Urbium Hollandicarum magnes ad ſe attraxit. Supra annum fortè excurrit aliquid, ubi Jenenſis Academię brachiis ereptus, in ſinum hoſpitę heræque ſuę benevolentiſſimę, Noribergę, quę Urbium Germanicarum eſt ocellus, ſe conjecit,

ſum-

ſummo ingenio præditus Polyiſtor, *Iohannes Michäel Dilherrus. Eliam Taddelium*, ob literaturę excellentiam non vulgarem, ad ſolidam laudem efflorescentem, tenere non potuit Roſtochienſis Academia; accipere potuit haud ita pridem Amſtelodamenſis Eccleſia, Pandectis divinis, Auguſtanæque profeſſioni adhærens religiosè. Jam noſtrum eſt Academię vicinę non infimum antehac decus.

Nolit Optimus Maximus, ut decreſcant Scholę metropoles! Velit tamen ſimul idem, ut creſcant Scholę filię! Precari utique Chriſtiani eſt nominis, ut ephebea maxima, mediſoxuma, infima non prorſus obterantur, in præſente Europę panolethriâ, quę luculentiſſimum videtur integrę Vniverſitatis mundanę interitus catholici exhibere ſimulacrum Precari itidem Chriſtiani eſt nominis, ut ne defiant docti, Baſilicisq; divinis ac humanis quemadmodum & ſcenę privatę utiles. Requirant licet cùm maximè præſentia milites, eosque admirabiles ſimul, ſimulque terribiles reddant: præterita, præſentia, futura efflagitant eruditos. Illa, ut memoriâ conſerventur & literis tradantur; iſta, ut dirigantur; hæc ut prævideantur; ſuppetere oportet ſcientiſſima capita. Si Tuum eſt, *Philippe*, literatorum Teutonicorum aquila, de venturâ olim rerum trium (amicorum videlicet certorum, monetę nequaquam adulteratæ, lignorumque) carentiâ, lippis tonſoribusq; notum præſagium; cur non Tibi occurrit vereri, ut indigeret orbis aliquando eruditorum? Metuit hocce oculatiſſimæ Noricæ Senator lynceus, cujus hæc ſunt oracula, non pœtica, ſed Prophetica:

O ſi grana velut Cereris coacervat arator:
Sic liceat doctos accumulare viros!
Tempus enim veniet, quo templa, Scholæq; forumq;,
Doctorum numerum ſunt habitura brevem.

Sed

Sed abſit malum omen. Memores potiùs illius, quod alio in argumento, Chriſti anteambulo protulit, colligamus animos. Poteſt è Jordanis ſilicibus ſaxisq; filios Abrahæ excitare Pater omnipotens. Enimvero poteſt. Ac niſi me fallunt omnia, efficit idem in ludorum opificinis Siquidem tantùm non planè aberravit judicando vir ſapiens: qui, quid conferret vitæ morumq; magiſtris poliendum tradidiſſe filium? interrogatus; ne impolitus, inquit, velut lapis ſuper lapidem, in theatro ſedeat. In Scholaſticis igitur lapicidinis ex lapidibus figurantur homines, ex quibus ſurgunt in urbibus & orbe univerſo ædificia. Verè monſtra ſunt fanorum Ægyptiacorum, quæ ornare videntur, non autem ornant ſed onerant; qui in Didaſcaleis, ad communem uſum mundique decorem, haud bene præculti ſunt. Evenit contrà, ut in ſenacula, tribunalia, roſtra, umbones, & hemicyclos domeſticos, pariter ad decus ſuum privatum, pariter ad multorum emolumentum publicum, inſiliant periti, qui parati in Pædagogiorum atriis.

Admirabile eſt meritiſſimò, quod legitur, in Regnorum Hebraicorum commentariis, omni exceptione majoribus: in Solymæi nimirum templi erectione fabrilium inſtrumentorum uſum adhibitum nullum, non terebræ, non dolabræ, non ſecuris, non aſciæ; non mallei, nec marculi. Quod quia non eſt obviæ intelligentiæ, Dæmoniaci Corani ſarcinator illaudatus Dæmonum famulantium operæ; Judæorum autem cerritorum cæci ductores, vermiculi cujusdam prodigioſis viribus; pars Salomonis obſcuris dubiisque artibus, iſtud adſcripſere. Sed nos deliriis iſtiusmodi, impietatis fabuloſæ, & fabulæ impiæ, curioſitatisq; cùm impiæ, tum fabuloſæ, damnandis, nuncium remittamus: dicamus autem, quod res eſt. Videtur, quòd omnia jam inante ita fuerint elaborata & abſoluta, ut

ut absq; armis adminiculantibus architectonicis facilè domus DEI coaſſari conſtruiq; potuerit. Quod in effectum fuiſſe datum citra organorum auxilia enarratur: uti ſine patre, matreq; & omni genealogiâ exſtitiſſe, in ſacrorum myſteriorum libro aperto ſignatè perhibetur, Melchiſedecum: quem tamen iſtis haudquaquam deſtitutum fuiſſe, etſi immemorati obierint, ecquis non nobiſcum eſt perſuaſus? Veniamus autem ad propoſitum. Similiter verò, ut indicare cœpimus, in ſcholarum umbraculis, non ſine ſtrepitu, dolantur & poliuntur homunculi, ut in lucem venientes, apti Reipublicæ, ſivè Eccleſiaſticæ, ſive Civili, (ubi, ubi nelcitur) facti, quid? quòd & nati derepentè appareant homines. Idemq; ipſum, quod de Schamire, animalculo ſuo, (Plinio, Gesnero, Ulyſſi Aldrovando, naturæ epoptis, inviſo inque audito reptili) Thalmudicorum commentorum Babylonici Cyclopes in apricum protulere, in proclivi eſſet ad doctrinam diſciplinamq; literariam accommodare; ſi id hic loci curæ eſſet. Nos modò, quod potius eſt, in eam rem nervos intendemus noſtros, ut, & hac & illâ adjutante, complures non nequeamus in ergaſterio noſtro fingere Mercurios, novo cum Gymnaſiarchâ noſtro, omnem moventes lapidem; quorum videlicet opera, Numine ſic volente, Magiſtratuq; approbante, bene de publico merendi labori eſt mancipata. Ut autem (minimùm) linguis nobis faveant, cumulatiſſimeq; optima quæq; apprecentur ſic occupatis, qui bene volunt bono communi (cujus ſalute ſalus noſtrûm continetur omnium) annon multò ſit æquiſſimum, univerſorum & ſingulorum atteſtamur conſcientiam.

Mihi hoc χαῖρε expedivit præſens nuperorum Amalthei noſtri Genethliorum occaſio; cùm cœleſti voce, ex ore Civitatis Magiſtrorum, per os vicarium (quod

uti

utinam diu inter nos audiatur ſalutare Reipublicæ oraculum!) manante accitus, & in locum ſuum collocatus, eſſet novus Eccleſiæ Antiſtes, & Athenæi noſtri Epiſtata digniſſimus. Cui, ſicuti & Camœnarum noſtrarum ſacrario, cum faſtigio ſuo, rurſus exſplendeſcenti, breviter quidem, at non obiter, adhuc ſic acclamo: FELICITER!

Plura nec inſiſto verborum texere voto:
Dictum Romanâ ſat mihi voce reor.

Erit multò ampliſſimum, cum exclamandi, tum acclamandi iteratò argumentum, quando, Gymnaſii noſtri natalium ſeipſe reſeminans Phœnix, ævo ſuo, advolabit; quem (ſi dierum noſtrorum longitudo, viriumq; ac valetudinis largitor, tot annorum itinera in poſterum emetiri clemens dabit profecturo ad doctas Athenas, quot bene volens conceſſit, per annos tantùm non quatuordecim, hactenus;) inobſervatum indictumq; non patiar ſe nobis ſubducere; ſecùs in eodem poſteris prodendo, alius eloquentia noſtram penſabit infantiam.

EXCLAMAVI.

Divulgata, Anno MDC XLIII, præcipitante, diebus Natalitiorum Servatoris jolennia ſecutis, & exſcripta

GEDANI,

CHARACTERIBUS RHETIANIS.

VRBEM IMPELLENDI GRATIA,
NOMINVM EIDEM PROPRIORVM
STIMVLO ADMOTO;
AD PARANDAM STRENVE,
PARITER STVDIORVM OPE,
PARITER OPVM STVDIO,

MAJOREM NOMINIS CLARITUDINEM,

hæc adjecere:

DANTISCVM,
per anagrammá;
SCITANDVM.

Est Tibi *ſcitandum*, Dantiſcum: ut, plurima noſcens,
Et ſcita evadas, inclita ſisq; magis.

J. Mochingerus.

GEDANVM,
per anagr.
AGENDVM.

Est itidem, Gedanum, Tibi quicquam ſemper *agendum*:
Vt dives fias, ſic quoq; clara magis.

S. Naranus.

DE GEMINO STVDIO,
CIRCA STVDIA ET OPES,
GEDANI CIVI COMMENDANDO.

Fortunæ ſectetur opes & opes ſtudiorum:
Qui *Gedani* civis commodus eſſe cupit.

J. M.

Mercatorem

SAPIENTEM, HONESTVM, ATQVE CHRISTIANVM,

QVEM,

DUCENDI SCIENTER PENICILLI RHETORICI
STUDIOSUS,

JOHANNES WALTHERUS LESLEUS,

SERMONIS COLORIBVS DEPINXIT;

IN GYMNASII NOSTRI THEATRO,

QUOD AUDITORII MAXIMI PARIETIBUS CLAUDITUR,

ANNO M DC XLIV DECVRRENTE,

DIE XVI. JVNII, HORA IX. ANTEMERIDIANA;

EXHIBITVM IRI,

IN PRÆSENTIA SIGNIFICO;

CONTEMPLATIONISQVE EJVSCEMODI

OCVLOS NON INCVRIOSOS,

AD SPECTANDAM TABVLAM ISTAM,

OPPIDO QVAM HVMANITER INVITO VOCOQVE,

JOHANNES MOCHINGERUS,

GYMNASII RHETOR;

PVBLICATIS HISCE,

QVÆ

FORMIS RHETIANIS SVNT EXSCRIPTA.

REGIÆ URBIS NOSTRÆ, GEDANI,

RECTORIBVS NOBILISSIMIS;

NOMINATIM VERO

GYMNASII NOSTRI CVRATORIBVS,

PVBLICA, SVAQVE AVTORITATE EMINENTIBVS,

REMQVE ITEM SCHOLASTICAM CVRANTIBVS OMNIBVS,

OBSEQVIOSE, OBSERVANTER, AC HVMANISSIME SALVTATIS?

STVDIA MEA QVALIACVNQVE ESSE PARATISSIMA,

PRO CERTO PERLIBENTER CONSTARE VELIM.

J. M.

INducor profectò ægriusculè (quod tantâ laterum contentione, quanta potest esse maxima, quò ab universâ hac audiar Civitate, proclamans divulgo) ut, ex Asceterii nostri Throno dicturientibus adolescentibus, publicè audientiam faciam: nisi si serio atque severiore judicio meo qualicunque non indigni videantur, quibus meam in auribus conciliandis operam navem, locemque. Assolent quidem Pictores tabulam in editiore aliquo loco ponere, quâ in delineandâ parum curæ posuere, ne non scilicet, ob longioris intervalli intercapedinem, inemendati & inelaborati operis effigies oculis imponat: sed Rhetori ecquis facilè ignoscet, si, geminâ, an arte, an fraude? usus, nondum satis cultos excultosq; Rhetoristas, è sede altiori, plurimis conspiciendos minùs circumspectè exhibeat, quasi nempe in facundiæ studiis plusculum effecerint ac profecerint, etsi vix modò è cunabulis infantiæ fuerint sublati. Quin metuat potiùs idem necesse est, ne tacito post carecta latentium convitio vapulet, qui ex prudentiorum arbitratu judicent, planè fieri inexcusatè, quòd, virtutum juvenilium primariâ, modestiâ primò; tum demum verò eloquentiâ imbuendis juvenibus carceres aperiantur, quò, stadium publicum ingressi, simul perfrictâ fronte, simul ore indomito (nam, quid garrire est aliud, quàm, teste itidem Poëtâ Græco, linguæ ob-ambulatio?) discurrant, sibi quidem, pro tempore, admodum placentes, displicentes aliis contrà maximè, imò & in posterum, per omne vitæ tempus, cùm sibi, posteaquam in seipsos descenderint, tùm malè consulenti Agonothetæ suo, longè certissimè succensuri.

Dixerit autem fortean hîc mihi aliquis: At, nonne bene dicendi est Patris, filios suos ad declamationis frequentiam impellere, & ad diligens sermonis curriculum: siquidem, quod liquet, uno usu atq; exercitatione, eâque à teneris suetâ, omnium maximè consequimur, ut disertitudinis facultatem, non celerrimè minùs, quàm jucundissimè nobis comparemus? Addito, quòd, quemadmodum bellandi ars, si non præluditur, cùm necessaria fuerit, non habetur; sic nec artificio verba faciendi pollere possit quisquam, nisi, qui præexercitamentis assiduis se præcoluerit. Deniq; autem ad summam adhæc ita occlamabitur nobis: Declamare verò, proh Deûm hominumque fidem! quàm est utile, quàm necessarium!

Quæ in medio ponentibus reponere habemus ante omnia, &, cum seculi nostri Oratore Pöetâque Witebergensi, GræcorumqueRomanorumque Oratorum & Pöetarum (ubi, ex hac parte, à Virgilio Pelasgo, & ab Homero Mantuano; illâ, ab Athenienſi Cicerone, Romanoque Demosthene discesserimus) vix ulli postponendo Sibero, reclamare:

Decla-

Declamitare & disputare sunt duæ,
Quibus venitur res ad arduæ, viæ:
Via si tamen adhibeatur, & decens modus.

Inclamandus verò tantùm insuper, Romanæ summus moderator juventæ, Quintilianus, ut ille, communi quasi suffragio lectus Dictator, ex sententia sua pronunciet, quid circa consuefaciendos Suadæ consecraneos sit tenendum constantissimè, ut non tam ex more tralalitiò, quàm ex initiandorum salute (quam, hoc in negotiò, supremam esse legem debere, ecquis non ultrò dabit?) agantur omnia. Ejus hæc est vox, quam jam nunc percipiemus, æquè auribus ambabus, æquè memoriæ ac cordis *sinubus* omnibus excipienda, ac sonans: *Illud ex consuetudine mutandum prorsus existimo, in his, de quibus nunc disserimus* (puerorum Rhetoricorum) *ætatibus, ne omnia, quæ scripserunt, ediscant, & certâ, ut moris est, die ducant. Quod quidem maximè Patres exigunt, at q; ita demum studere liberos suos, si quàm frequentissimè declamaverint, credunt: cùm profectus præcipuè diligentiâ constet. Nam, ut scribere pueros, plurimum q; esse in hoc opere planè velim; sic edisserere electos, ex orationibus, vel historiis, aliove quo genere dignorum eâ curâ voluminum, locos, multò magis suadeam. Aliquando tamen permittendum, quæ ipsi scripserunt, dicere, ut laboris sui fructum, etiam ex illâ, quæ maximè petitur, laude plurimùm capiant. Verùm, id quoq; tum fieri oportebit, cùm aliquid commodiùs elimaverint, ut eo velut præmio studij sui donentur, ac se meruisse; ut dicerent, gaudeant,* Hæc institutionum Oratoriarum autor conditorque, uno Arpinate minor, nisi fortean etiam par. Cui verò demum, amabo, in arte suâ credemus artifici, si non huic, qui ipsos viginti annos parvis Romuli nepotibus erudiendis impendit, fidem adhibuerimus? A cujus ego quidem lineis, in instigandis ad laudem Oratoriam adspirantibus candidatis, nunquam vel latum duntaxat unguem discedam: nisi diversum Fabius quidam novus persuaserit. Id quod etiam pensi à me modò est habitum, dum, rebus omnibus accuratiùs perpensis, assensi haud invitus, ut ex Acroatarum nostrorum Rhetoricorum numero, *Iohannes Waltherus Lesleus*, hìc Gedani natus, inque Urbis hujus Scholis inferioribus principiò eruditus, dehinc pariter in superiori magis magisq; eruditus *de Mercatore, sapiente, honesto, ac Christiano* (cui similes esse negociatores universos & singulos optem) in pagellarum harumce primâ dictis, tempore, locoque, concionaturus prodiret. Quid dico, ut prodiret, assensi? præcepi, ut ad prodeundum pro viribus se compararet; togam humeris injeci: manuq; jam missum & foras eductum doctæ caveæ conspectui ego ipse sisto. Unius quidem & alterius ornamenti, animi puta submissi & ad laborem impigri studium præ se ferens ille, valde me sui cupidum reddidit, utpote qui eorum altero in investibus deprehenso, quasi Circæâ quadam illecebrâ, supra modum facilè capior.

Qui igitur mandata à me habens, ut super argumento denominato tentandæ compositionis Sciagraphiam aliquam exhiberet, id meis manibus obsequii studiosissimus simulacri inseruit, quod his subjunctum Vestris, Lectores Spectatoresque nostri, data operâ trado, ne non quàm instructus, sive materiei copia necessariâ, sive providâ separationis meditatione, ad Orationem exædificandam accesserit, palam perspiciatur. Sic enim, opinor, credibile quoq; fiet, sui operis architectonem esse ipsummet nostrum, non item allum quendam Dædalum, qui, si vellet, posset aliquando cum Martiale sic erumpere:

Quem recitas, meus est, o Fidentine, libellus.

sive cum Marone:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores:
Sic vos non vobis. Cætera nota nimis.

Sed isthoc pacto animadvertere duntaxat licet, quomodo primâ, secundâve Oratorii muneris parte, aliquâ ex parte defungi allaboraverit declamator: perci-

pietur

pietur verò itidem præterea, ubi (quod iterum iterumque rogamus) auditus fuerit benevolentissimè, nostram suamque curam, circa elocutionis, & cum eâ pronunciationisque actionisque studium, auribus oculisque Vestris repræsentans; quo pacto tertiæ quartæque (quæ, quia ab Oratorum Coryphæo ter est laudata, jure præcipui pro præcipuâ planè habetur) implendæ ardore inflammatus sit. Nihil proinde despero, ut communis bene æstimantium exspectatorum honoratissimorum Auditorum, post laudati suprà Magistri veteris, & nostrum quoque calculum, id ferat sententia, non tantùm non in suggestum honorificum omnino admittendum fuisse inventorem, compositorem, recitatorem nostrum, sed verò, etiamsi propria ei verecundia tergiversata esset, protrudendum.

Quod si ex voto accidet, & mihi, & eidem abundantissimè gratulabor, hunc in sensum ratus:

Laudatis placuisse viris non ultima laus est.

Cujus cupiditate (quid inficier?) vehementer cùm ardeam; dabitur utiq; opera, ut, & alio tempore, auditorum unum atque alterum, qui nunc tempestivâ taciturnitate (quæ incredibile sanè est ad masculam eloquentiam adminiculum) se nobis mirificè comendat, disciplinâ nostrâ præparatum adducam, cui similiter & existimationem nostram, si ullam habemus, amplificare, & sibi loqui jusso aliquam acquirere, curæ sit cordique. Ea etenim, nescio tamen an omnibus probabilis? altas in animo meo radices egit opinio, dummodo vel unum, anno quolibet, è nido extrudam pullum, qui non, ex oscinum grege, avis instar, voluptatem tantùm auribus, verùm, exemplo Oratoris boni, qui esse nisi vir bonus non potest, utilitatem afferat, me de Urbe nostrâ, ne dicam, quod nimis invidiosum esset, Orbe, communi omnium nostrûm Urbe, haud malè mereri.

Verùm enim verò de proposito, quod stylo subjiciendum est dissertori commendatum, nihil sum hucusq;, vel paucis solummodo, persequutus: cujus, quod præ aliis electum fuerit, facti rationes exspectet adhuc aliquis. At ego in eâ versor hæresi, ut caussas instituti edere attinere haudquaquam putem, quando quis honestum & in commune utile aliquod opus aggreditur: omnium autem minimè Oratorem hac religione constringendum duco, ubi de re præclarâ quædam meditatur proferre. Ut quidni enim ei non permittatur esse liberi arbitrii; nocere nulli, omnibus prodesse animato? Ac præsertim Rhetorices Mystagogi sibi hoc juris vix injuriâ asserent, ut de re quacunque, quæ sub dictionem cadit, sive verâ; sive fictâ pictâve, sive seriâ; sive jocosâ, sive antiquâ; sive novâ, sive de ente, ut loquuntur, reali, rationisve, sermonisve, suis themata, pro lubitu, suggerant; quò & hos undiquaque paratos & peritos efficiant, & se, fastidii expultrice, commentationum varietate reficiant.

Ego autem de memorato capite Orationem conscribendam & enunciandam statui: attentis, & mercantium, qui in Civitate nostrâ multò est amplissimus, ordine; & tempore hoc, quò cùm eorundem manus, ob negotiosas bello implicatorum vicinorum operas, feriantur jacentue, aures sunt excitandæ & loco, ubi prædiscere debent efflorescentes teneri nostri cives, vel literaturæ, vel mercaturæ ritè studere. Judicium jam esto penes consideratos, an eò collineando à scopo aberraverimus? Nihil itaque restat, quàm ut, quæ bene auspicato, ut intelligere pote fuit, consilio exponentur, promto pronoque animo accipiantur ab omnibus, qui sapientis eloquentiæ, & eloquentis sapientiæ merces non aversantur. Diem declarandæ erga nos (si tanti videmur) & rem explicatam, bonæ menti intimavi: hoc ad ultimum voti addens, ut non in diem istum modò, sed multos quoque annos, floreatis & valeatis, qui sapienter, honestè, & Christianè mercando operamini:

Vt vos in vestris Numen mercimoniis
Emundis vendundisq; non nolit lucris
Afficere, atq; adjuvare in rebus omnibus;
Et ut res rationesq; vestrorum omnium
Bene expedire faxit, peregriq; & domi;
Bono atq; amplo auctare perpetuo lucro
Quasq; incæpistis res, quasq; incæptabitis!

Dabam, Gedani, è Musæo meo,
Anno 1644. die 11. Junij.

CONFECTÆ ORATIONIS, QUÆ HABENDA EST, MODVLVS.

VIr Excellentissime, multivariisq; mihi nominibus Colende; sapientem, honestum atque Christianum (verbo, verè bonum) mercatorem, ex jussu E. T. Cⁱˢ, bono cum DEO, descripturus, non omninò incommodè mihi orsus videbor, à mercaturæ necessitate.

Dicam igitur, negotiandi studium igne magis & aquâ, magnis in civitatibus, esse necessarium.

Rat. (1.) quia, hoc sublato, tolleretur humana societas, vivendiq; commoditas (2.) quia, hoc neglecto, in ipsâ copiâ foremus indigi. Nam, quia non omnis fert omnia tellus, nostris quidem abundaremus; sed egeremus alienis. Ex his igitur fusiùs (prout faxo) declaratis, ubi pernecessariam esse mercandi curam demonstravero, difficilem adhæc & admodum periculosam esse docebo. Nam stat illud Siracidæ: Quemadmodum paxillus inter lateres: sic injustitia inter ementes. *Exinde (propositionem adferens) operæ me precium duxisse intimabo, si, inter mercatores, de mercatore edisserturus; quid, ut sapienter, honestè & Christiano dignum in modum, lucrum quærat, tenendum eidem sit, aut faciendum? testatum impræsens fecero. Atq; sic demum captando benevolentiam, ut faciles mihi aures præbeant, quicunq; honestè mercantibus favent, aut & jam ipsi piè mercari amant atq; desiderant, ex more rogabo.*

Considerabo ergo integrum, bonæq; fidei mercatorem, secundùm hæc tria: ingenium, affectum & effectum.

Ingenio autem mercatori cumprimis convenit esse solerti. Quod probabitur.

I. *Ab Objecto: nam versatur circa opes, quibus rectissimè uti est sapientis.*

II. *Ab adjunctis mercatori propriis. Proprium enim ei est*

1. *Scire, qualem cuivis se præbere debeat.*
2. *Videre posse, cui fidat.*
3. *Probè tenere, quid, quantum, quando & ubi emere, vel vendere debeat?*

4. *Non ignoratum habere mercium quarumcunq; valorem, dignitatem aut improbitatem &c. Ad quæ ritè præstanda omnia, ingenio opus.*

III. *A fine, ut aliorum veteratorum & versipellium (quorum prob dolor! uberrima hodie seges est) fraudes & astutias prævideat, agnoscat, caveat. Verùm nec hoc obesæ est naris.*

IV. *Ab autoritate. Quia mercatoris esse sapere, semper viderunt sapientes. Id quod indicâre*

1. *Generatim, quandò Mercurium, quo nihil ingeniosius, mercatorem principem, & mercaturæ prodidére autorem.*

2. *Nominatim.*

1. *Aristoteles; qui, ut mercari sapientis esse doceat, Politico lib. Polit. negotiandi præcepta tradit.*

2. *Plato; qui in Remp. bene constituendam mercatores adsciſci jubet sapientes.*

3. *Pythagoras; qui totum mercatum in tria hominum genera dispescuit, & inter hæc sapientissimum dixit felicissimum.*

4. *Homerus & Lucianus: quorum ille Pallada, hic Jovem & jam mercari fingit.*

5. *Ab exemplo, quia sapientissimi quiq;, ut Solon, Thales, Socrates, Plato & pleriq; Græci, Galli ac Romani negotiari sunt soliti: quod in confesso est.*

Amplificabitur.

I. *A loco, ubi ingenij hæc solertia acquiritur, & comparatur. Nimirum Musarum in domiciliis. Quâ gratiâ sigillatim, quæ ingenij acuendi causâ in iis discere est, explicabuntur: nempe omne genus.*

- *Boni*
  - *non modò philosophici;*
    - *Practici*
      - *Ethici.*
      - *Oeconomici.*
      - *Politici.*
    - *Contemplativi*
      - *Physici.*
      - *Astrologici, Geometrici &c.*
  - *sed etiam divini: quod ipsum nosse summa est felicitas.*

II. *A laude Civitatis nostræ Procerum, tam piè defunctorum, quàm adhuc, DEI gratiâ, superstitum: quorum illi ingenij officinas, seu phrontisteria, publico bono, gloriosè excitarunt; hi eadem usq; dum laudabiliter conservant. Hinc igitur per παθοποιίαν exstimulabuntur Auditores ad amorem & desiderium sapientiæ, Accendentur cives, ut filios egregiè sibi charos ad Minervea providentissimè mittant: inflammabuntur parvi Quirites, ut scholas studiosissimè frequentent.*

Et tantum de ingenio: consequens erit, ut de affectu agam.

Circa hunc depingendum occupatus, paucis, perstringam

I. *Quid sit affectus, & quotuplex?*

Affectus est vehemens animi motus, ad bonum prosequendum, & malum fugiendum. Estq;

- *Duplex*
  - *Concupiscibilis, Amor, Desiderium, Spes, Latitia.*
  - *Irascibilis, Odium, Ira, Tristitia, Metus.*

II. *Qui*

II. Quid mercatori circa affectum sit observandum? Notet

I. Affectum non esse sequendum. Ratio: nam affectum sequi admodum est periculosum. Quod probatur ab Effectis

1. Mentem hebetat & excæcat. Vnde Boëthius:

Gaudia pelle, Nec dolor adsit:
Pelle timorem, Hæc ubi regnant,
Spemq; fugato, Nubila mens est.

2. Quia mille alia etiam in discrimina nos deducit: & pessimus rei benè gerendæ autor est, teste Erasmo.

II. Vt affectum comprimat. Hîc per Sermocinationis figuram ex auditorum personâ ponetur percontatio; quomodo ergò comprimendi cohibendiq; affectus? Responsio à nobis statuetur talis: Fiet hoc, fiet, si aliquis

1. Rationem veram in consilium adhibuerit. Quod

Probabitur ab effectis. Ratio enim quoq; hæc docet; prater animi tranquillitatem nihil magni æstimandum; abunde esse divitem, qui animum habet divitem: cupidissimum esse pauperrimum, & contrà &c.

Illustrabitur ab exemplis

1. Stoicorum: qui abundè divitem dicebant quemq;, cui cælo & terrâ frui contigerat.

2. Peripateticorum: qui divitias quidem & nummos non aspernati sunt, nec tamen magni fecerunt: sed, cum sapientissimis quibusvis, inter ima semper bona recensuerunt.

3. Cratetis, Biantis, Cleanthis: qui omnes tres, magistrâ ratione, opes etiam spreverunt, & nihili pependerunt.

II. Si ad divinæ legis cynosuram hos ipsos conformaverit atq; correxerit. Nam hæc præscribit

1. DEum & proximum maximè; reliqua minùs amare, & appetere.

2. Diabolum & peccatum unicè; reliqua leviùs odisse atq; fugere.

Atq; ab his præceptis omnis affectuum omnium moderatio pendet. Enimverò, qui terrestria & mox peritura, minùs amabit, minùs etiam desiderabit: qui minùs desiderabit, minùs etiam sperabit, minùs ad venientia exultabit; minùs, ne abeant, metuet; cùm abibunt, minùs contristabitur; auferenti eadem minùs indignabitur, &, si indignabitur, non tam homini, quàm vitiis ejus succensebit; memor Erasmi, quando inquit: Occide Turcam; sed parce homini.

Et hoc quidem fusiùs, uberiusq;

Declarabitur ab exemplo

Fictо. Nam faciam esse, ut quispiam lucrum ingens prævideat, sed idem leviùs appetat; & quomodo idem per omnia affectum suum moderaturus sit, per διατύπωσιν exactè descriptum dabo.

Vero. Hoc inter alios plurimos præbet etiam Iobus, qui, quoniam auro non dixerat: Tu es DEus meus; auri jacturam leviùs ferebat. Cui associabo Paulum, qui, quoniam rudera dicebat æra, etiam in inopiâ gloriabatur copiâ 2. Cor. 6. v. 10. &c.

Amplificabitur à contrario: & abundè errare, inq; quietè vivere hodierni seculi propolas & Dardanarios dicetur, qui ad quemvis fortuna strepitum gaudent; vel pavent, gloriantur; vel lamentantur.

Hîc objectionum confutatio subnecteturr. Objicere posset mihi quisquam: Cæterùm difficile est, affectus secundum præscripta moderari. Huic occuram.

1. Directè, negando, quòd difficile sit

1. Si ingenuo fuerit aliquis illuminato. Rata siquidem est Christi Salvatoris assertorisq; nostri istha sententia: Si mens lux fuerit, totus homo lucidus erit.

2. Si à teneris semper annis aliquis adsueverit; & ad divini codicis regulam, quoscunq; animi raptus in viam revocaverit. A teneris n. adsuescere multum est: & ἔθος ἄλλη φύσις.

II. Indirectè, per Retorsionem. Etsi foret difficile: ob id, quia difficile, esset amplexandum. Difficilia n. pulchra: & virtus pro objecto habet ardua.

Vltimò submonebuntur auditores omnis ætatis; ut eundem ad modum affectus quisq; suos scrutari, & ad veræ rationis, nec non sacrorum oraculorum normam, dirigere atq; ordinare vel pergat, vel incipiat. Instigabuntur verò ab eventu: quia nimirum tum demum erunt egregiè felices; &, qui mercibus præsint, dignissimi.

Sed de affectu etiam satis. Restabit ergo solùm effectus exponendus. Effecta mercatoris Christiani alia sunt.

Sacra. De his id bonæ indolis annotabit mercator

I. Vt Deum ante omnia quærat, nihil solicitus, fore, ut, ubi hunc primùm quæsiverit, adjiciantur cætera. Quæritur a. DEus

1. Si templum ejus sæpius frequentamus.
2. Ardentibus suspiriis gratiam ejus imploramus.
3. Die & nocte legem ejus meditamur.

II. Inventum autem oportet

1. Colere, & illi soli servire.
2. Omnium actionum suarum arbitrum & moderatorem agnoscere.
3. Illi soli pro omnibus in omnibus gratias agere.

Profana. Hîc teneat

I. Quomodo se gerere habeat circa bona acquirenda, & attendat

1. Ne quem defraudet
- *Verbis &*
  - *mentiatur* — *aliena nimis, ubi emit, extenuando; sua nimis, ubi vendit, elevando; aut vitia mercium reticendo, vel, quod pejus, pernegando.*
  - *Jurej.*
    - *Pejeret.*
    - *Dejeret.*
- *Factis: & aliis*
  - *imponat* — *mercibus, mensuris &c.*
  - *detrahat mercenariis.*

2. Vt rerum suarum satagat, & sit
- *Sedulus & matutinus*
- *Cautus in* — *emendo; vendendo.*
- *Sincerus, & stet pacto suo, nec temerè nomina faciat.*

II. Quomodo se gerere debeat, acquisitas opes & facultates

Possidendo: erga

- *Superiores; ut ne sit* — *Contumax; sed Venerabundè obsequens.*
- *Pares; ut sit* — *Modestus; non superbus. Officiosus, pacificus, blandus & humanus.*
- *Inferiores; uti sit* — *Placidus, benignus; Non protervus.*

Dispensando, respectu
- *sui & suorum; quò sit*
  - *Parcus;*
  - *Non*
    - *Prodigus in* — *cibo, potu, vestitu &c.*
    - *Avarus.*
- *aliorum* — *Justus, Misericors, Liberalis.*

Quibus omnibus dilucidiùs explanatis, diligentiùs elaboratis, vario exemplorum, sententiarum similiumq; apparatu instructis, &, ubi necessum erit, copiosiùs dilatatis, sapientis, honesti, piiq; mercantis imaginem me adumbrasse fassus, summa rerum iterando capita, religioso isthoc in voto; ut, quod notæ optimæ mercatores se condecere jam acceperunt; velint & faciant; terminabo dictionem omnem.

I. W. Lesle.

MAKAPIΣMOΣ.

id est,

BEATITUDO,

THEOLOGI GEDANENSIS,

MVLTIMODIS VENERANDI,

DANIELIS DILGERI,

ANNO HOC MDCXLVTO

PROGREDIENTE,

DIE IIDA INGRESSI MENSIS MARTII,

CVM HONORIFICO FVNERE ELATI,

DEBITO PRÆCONIO

J. MOCHINGERI.

PVBLICATA.

DANTISCI, TYPIS ANDREÆ HÜNEFELDII.

MAKAPIΣ MOΣ.

id est.

BEATITUDO,

THEOLOGI GEDANENSIS,

MVLTIMODIS VENERANDI,

DANIELIS

DILGERI,

ANNO HOC MDCXLVTO

PROGREDIENTE,

DIE IIDA INGRESSI MENSIS MARTII,

CVM HONORIFICO FVNERE ELATI,

DEBITO PRAECONIO

I. MOCHINGERI,

PVBLICATA.

DANTISCI, Typis Andreae Hünefeldii.

ADSUM,
NON EMTVS SITICEN,
NON VENALIS ANIMA, PRÆFICA,
NON ORATIONIS CARMINISQVE OPIFEX LVCRIPETA:
VERITATIS, IMO BEATITATIS
TESTIS PRÆCOQVE AVDIAR.

Audire me, sis, dignator
Urbis Gedani hospes:
Auscultare haud gravator
Ubi ubi gentium civis.
Non alienigena quidem, sed domesticus aliquis,
accipienda me novit meliùs:
(& hic, quò me ætate grandior, eò noverit plura)
quàm terq; quaterq; beatus fuerit,
nomine non uno, verùm aliquammultis,
& Reverendus & Clarissimus,
ac titulis hisce,
& plurimo & nimis quàm sæpe vano usu ferè obsoletis,
jure majordicendus,
Evangelizator Gedanensis;
ita optimè meritus,
ut,
ob officia gregi perdiu præstita,
demum
judicatus fuerit emeritus meritissimò,
DANIEL DILGERUS.
Gedani, honestis Parentibus, is natus,
ibidemq; bonis traditus Præceptoribus:
in Academiarum unâ atq; alterâ dein excultus;
maximè Ienensi;

(Summi

(ſummi Theorhetoris MYLII, ad tempus, auditor
inq; concionando ſemper imitator)
Ubi MAGISTERII brabeum quoq; eſt nactus Scholaſticũ.
Paulo pòſt myſterijs initiatus.
CREVZII, cohortis Regię Ducis, dux fuit & tuba,
at dux Eccleſiaſticus, tuba Evangelica.
Ita operam ſacram, ſemiſeculo duraturam,
Sciens neſciens, principiò eſt aggreſſus.
Sed patrii poli ſolique ſe agnoſcens debitorem,
ſtudium eidem omne vitamque addixit, affixit;
aliquando iterum iterumq; oblatas evocationes
haud penſi habens.
Primùm quidem,
in Gedanenſi D. Catharinæ Æde,
per gradus ad faſtigium adſcendit,
ex Diacono factus Paſtor:
cathedram ibi tantopere ornans Hierarchicam,
ut
(illo in umbonem Marianum ſubvecto)
multitudo ſtatuerit,
ſuggeſtum vacuum impletu eſſe difficile.
In utrâque autem ſacrâ Baſilicâ
frequenterq; conſtanterq;
multo ac valde denſo populo concurrente,
non verba facere, ſed fundere,
non ſonare, ſed tonare,
ſimul auditus eſt, probatus ſimul;
perſonâ, voce, Spiritu multùm præcellens Orator.
Multorum mille liberorum pater Spiritualis,
quos non ſibi, ſed Chriſto genuit,
DOMINI JESV & DOMINÆ ECCLESIÆ pronubus.

Nec

Nec non (fatemur) maritus etiam fuit
Uxorum ordine ductarum quatuor:
non attentis scilicet canonibus, at canone,
canone illo Scripturæ unicè amusitato,
secundùm quem ambulantes comitatur pax,
atque casta junctim conscientia.
Ex quibus frugi matribusfamiliâs
prolis, usque ad duodecimam, naturalis legitimus,
Cœlesti favente Patre, pater est factus.
Annis LXXIII vixit sanus, satis alacerque.
Per annos (o rarum!) duodequinquaginta,
in Dei domo officium impigri ministri fecit:
DOMINI voluntate, in tabulis veteribus expressâ,
Levita supra quàm bis absolutus.
Igitur itidem
A civitatis Heris, novo hîc exemplo, donatus rude,
donatus insuper annonâ commemorabili;
quo stipendio bienni secularem gloriam acquisivere,
Domini Evergetæ.
Ad extremum,
non Augusti, sed Simeonis ἐυθανασίᾳ beatus,
Suspirans, sperans exspiravit.
Plura de Eodem prædicabit officiosa IRENÆI lingua;
unâ concione Viro justa persolventis,
qui mille aliquot concionibus mille justa expunxit.
Post quam acroasin,
doleamus, mortalem fuisse;
gaudeamus, immortalem esse,
loquamur, beatum fuisse;
credamus beatiorem esse, quàm nunc credi potest,
Τὸν μακαρίτην.
Cogitemusque seriò nulli non:
id mortuis exhibitum iri à viventibus,
quod viventes exhibemus mortuis.

Multò adhuc plura vulgabuntur,
ore omnium, de DILGERO:
Cujus Senioris DANIELIS tenet nomen,
nomen uti ſuum,
mas, fœmina;
juvenis, ſenex;
puella, anus;
dives, pauper;
quisque Dantiſcanus, quæque Gedanenſis:
quibus cunctis eſſet gravisſimum ferre notisſimi exceſſũ,
niſi ferre Ejus abſentiam paulatim adſueviſſent:
publicè aliquo tempore non auditi,
dum, in ſilentium, ante biennium, cadere voluit;
publicè aliquo tempore non viſi,
dum, velut *Sol occidens, magis magisq́;* ſe abdidit:
hoc eſt,
dum mortuus eſt, antequam moreretur;
vel
(ſicut ipſe loqui ſæpicule amabat)
abiturıit, antequàm abiret:
univerſis & ſingulis nunc erectioribus:
quia videlicet ſunt perſuaſi,
quòd DILGERUS DANIEL non ſit mortuus;
ſiquidem filium ſibi reliquit ſimilem,
NAZIANZENUS NAZIANZENUM.



Eius.

EIUSDEM BEATI

DANIELIS DILGERI

ELOGIUM SEPULCHRALE.

In transitu moratus,
miraris, Viator?
DANIELEM DILGERUM,
Gedani (domi) bene notum,
alibiq; (foris) non ignotum;
optimè meritum, emeritumque
Sacri Virum Ordinis;
Oratorem non ampliùs orare;
Bellatorem non ampliùs bellare;
Pastorem non ampliùs pascere?
Quasi verò mirum esset,
Oratorem demum silere;
Bellatorem demum dormire;
Pastorem demum quiescere:
post tot conciones;
post tot excubias;
post tot vigilias?
Orator hic, Bellator, Pastorque,
ad VERBI, DUCIS, PASTORISQUE PRINCIPIS, vocem,
in silentium, somnum, quietem cecidit:
antehac in orando, bellando, pascendo cedens nulli;
quam diu orare, bellare, pascere debuit,
facun-

facundisſimo ore;
ſtrenuâ manu;
inconnivis oculis.
Oratoris
ignitum cor,
fulminans lingua,
fulgurantia labia,
Ædem, quæ Gedani eſt maxima, coruſcam fecere.
Bellatoris
loricatum pectus fruſtra tentavit Satan;
obſeratos oculos fruſtra ſolicitavit mundus;
impenetrabiles affectus fruſtra titillavit caro.
Paſtoris
obſervavere oves,
venerati ſunt canes,
metuére lupi,
pedum.
Fuit verè
Orator clarus,
Bellator ſtrenuus,
Paſtor fidus.
Eſſetque idem adhuc,
talisque agnoſceretur:
niſi eum
vocaſſet VERBUM,
ut ſe audiret;
non ampliùs futurus Orator,
ſed aſſiduus adorator:

DUX

DUX vocaſſet,
ut ſecum triumpharet;
non ampliùs futurus Bellator,
ſed perpetuus victor.
PASTOR vocaſſet PRINCEPS,
ut ſecum deliciaretur;
non ampliùs futurus paſtor,
ſed in paſcuis cœleſtibus æternus convictor:
inter Cherubicos & Seraphicos oratores
orat:
inter commilitones in excelſis triumphantes
triumphat:
inter oves cœlo receptas
ovat.
Videtur
Orator obmutuiſſe,
Bellator occubuiſſe,
Paſtor obdormiviſſe.
Non autem: non: non:
obmutuit, occubuit, obdormivit.
Audies, in cœlo loqui;
&
VERBUM, DUCEM, PASTOREM PRINCIPEM
adorare:
Videbis, in cœlo ſuperare:
&
cum VERBO, DUCE, PASTORE PRINCIPE
geſtire:
Cognoſces, in cœlo vigilare;
&
ſub VERBO, DUCE, PASTORE PRINCIPE
ſeſe recreare:

ſi hinc

si hinc abiens,
iveris Viam;
audiveris veritatem;
ambiveris Vitam:
quam monstravit,
quam prædicavit,
quam commendavit,
modò monstratus, prædicatus, commendatus,
DANIEL DILGERUS:
Quamq; Viam, Veritatem, Vitam,
monstrat, prædicat, commendat,
Parenti multùm similis filius;
nondum quidem ætate,
(utinam attingat eandem feliciter!)
sed officio & merendi laude,
in orando,
in bellando,
in pascendo,
geminum sanè in modum industrius:
ut optimo à Patre datus cœlesti,
æstimandus;
ut bono ex Patre natus terrestri,
diligendus;
illius, ex prænominis indicio, donum;
hujus, ex cognominis judicio, simulacrum,
NATHANAEL DILGERUS.

F.

JOH: REGINCHOMUS.

ET

MEMORIÆ,

ET

PRONVNCIATIONIS,

ET

COMPOSITIONIS,

EXERCITIA PARVA RHETORICA,

A SECVNDÆ CVRIÆ NOSTRÆ RHETORISTIS,

ORDINE INFRA NUNCUPANDIS,

IN CLASSE SECVNDA,

ANNO HOC PROCEDENTE M. DC. XLV.

DIE XXX. MARTII, HORIS IX. XâQVE,

CUM DEO,

PVBLICE HABENDA,

OFFICII CAVSSA,

INTIMAT ATQUE INDICIT:

NEC NON

AD EADEM

AURIBUS OCULISQUE BENEVOLIS EXCIPIENDA,

EXOPTATISSIMOS ALIQUOS HOSPITES;

STVDII ERGO,

VOCAT, INVITAT,

JOHANNES MOCHINGERVS,

GYMNASII RHETOR.

GEDANI,

HISCE PRÆLO RHETIANO EDITIS.

QVIBVS PLVRA HÆC LEGERE COMMODVM EST,
NEC GRAVE;
IVVENTVTIS RHETORICÆ FAVTORIBVS,
ET
PERICVLORVM DECLAMATORIORVM
ÆQVIS CENSORIBVS. S. P. D.

Iterum dico, dicamq́ vel sexcenties, haud libenter in publicum me protrudere pullos Rhetoricos immaturos. Non quòd nolim exercere se (in exigendis utiq́, vel asperiùs etiam, veris eloquentiæ exercitamentis cedam nulli) tyrones Oratorios: non: sed eò, quia, ab adolescentiâ, animadverti aliquam intempestivarum declamationum pravitatem, eamq́ consecutos haud secundos successus. Sunto tantùm cogitandi (de emendationis inter cogitandum occupationibus Plinianis adhucdum nihil memoro) scribendi, demum dicendi frequentia exercitia, eaq́ isto, quem indicavi, ordine, ut & æquis passibus, incedant, cùm calculo meo isthæc omnia facilè comprobabo, tum ope meâ confirmabo, nec non verò applausu etiam proveham meo. Sed à dicendo exordiri velle (nisi ab alijs artificibus bene cogitata & scripta recitentur, quò partim memoria tentetur, partim formetur actio) est præposterè sanè profectò tantam rem agere, &, ut proverbium habet, currui equos subjungere, non antejungere.

Orationis utiq́ fons est cogitatio: quæ nulla esse potest apud eum, qui nobilissimæ huic mentis operæ non multùm se dedit; nulla præclara, nisi si aliquis pectus fœtum habeat variæ succo lectionis. Ad hanc itaq́ condoce facere Rhetoristas meos, prima mihi cura est. Proxima: ut, quem, quia laboris est multi, multi fugiunt, fugiant illi stylum nullatenus: quin creberrimè arripiant & tractent paratissimè. Absq́ hoc enim frequentato calami officio, linguæ ambulatio omnis est audax, ac ferè præceps, aliquando etiam valde lubrica, ac non rarò ob casum, vel ridiculum, vel satis noxium, maximè miserabilis: ad quam tamen multimodis incommodam ambulationem tam læto alacriq́ ut plurimùm procurritur animo. Demum verò & ad ultimum, post acrem, quoad fieri potuit, commentationem, post diversiformes styli agitationes, ad perorandum ut veniat aliquis, sed primò in umbrâ, mox in crepusculo, postea in luce, deniq́ ipsâ in meridie; non volo solùm, sed etiam jubeo, atq́ adeo flagito.

De cætero abhorreo ab oris effrenis impetu; cùm, sine accinctæ cõmeditationis præsidio, citra prævias penicilli versuras alias atq́ alias, absq́ universis & singulis tentamentis minoribus, id magni operis, quod sermonem aut orationem vocamus, adire aliquis non veretur, ac puer præsertim in vestis, vel jam jam futurus vesticeps adolescens; quorum utriq́ melioribus adsuescere nimiùm quantum esset conducibile.

Sed hæc (patiar) falsa pronuncies & explodenda, nisi, sapientissimi Græcorum Rhetoris, Isocratis, eloquentissimiq́ Romanorum oratoris, Ciceronis, exceptione majoribus judicijs sint consentanea. Edicat verò nobis Demonicus, quid sibi ille, geminam in sententiam, præscripsit, tali usus sermone

para-

parænetico, Latinè reddito: Quicquid dicturus es, priùs cum animo tuo reputa. Multi enim sunt, quorum lingua cogitationem antevertat. *Sic Rhetor Græcus: imò Græcorum parens Rhetorum. Iam verò adhæc audiatur Consulum Oratorumq; Romanorum princeps, cujus hæc sunt de orator: lib: 1. sect. 17.* Est oratori scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine quâ verborum volubilitas inanis atque irridenda est: & ipsa Oratio conformanda non solùm electione, sed etiam constructione verborum: & omnes animorum motus, quos hominum generi natura tribuit, penitus pernoscendi: quòd omnis vis ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis, aut excitandis exprimenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam, facetiæque & eruditio libero digna, celeritasq; & brevitas & respondendi, & lacessendi, subtili venustate atque urbanitate conjuncta. Tenenda præterea est omnis antiquitas, exemplorumq; vis: neque legum aut juris civilis scientia negligenda est. Nam, quid ego de actione ipsâ plura dicam? quę motu corporis, quę gestu, quę vocis conformatione ac varietate moderanda est: quę sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars & scena declarat: in quâ cùm omnes in oris & vocis & motus moderatione elaborent, quis ignorat, quàm pauci sint fuerintque, quos animo æquo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium memoriâ, quæ nisi custos inventis cogitatisq; rebus & verbis adhibeatur, intelligim⁹, omnia, etiamsi præclarissima fuerint, in oratore peritura. *Ex quibus Tullii verbis longè clarissimis, nî fallor, rectissimè colligitur, adsuefaciendum maturè ea propter rebus his enumeratis omnibus candidatum Oratorium, quò, annis venientibus, vel probabilis, vel (si detur) admirabilis orator evadat. Idem verò & Crassus à nobis stans, apud eundem—, eod. lib: sect: 149. & 150 nimisquàm aperte prolocutus est:* equidem probo ista, *Crassus inquit*, quæ vos facere soletis, ut, caussâ aliquâ positâ, consimili caussarum earum, quæ in forum deferuntur, dicatis quàm maximè ad veritatem accommodatè: sed in hoc plerique vocem modò, neque eam scienter, & vireis exercent suas & linguæ celeritatem incitant, verborumq; frequentiâ delectantur.

In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. Verè enim etiam illud dicitur: perversè dicere homines, perversè dicendo facilimè consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus etsi utile est etiam subitò sæpe dicere: tamen illud utilius, sumto spatio ad cogitandum, paratiùs atque accuratiùs dicere. Caput autem est, quod (ut verè dicam) minimè facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quàm plurimùm scribere. Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister. Neque injuriâ. Nam, si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè vincit; hanc ipsam profectò assidua ac diligens scriptura superabit.

Quæ verba omnia, quantumvis licet prolixa, hoc loco dare adscripta omnino operæ precium judicavi: quia, etsi bene dicendi Patris scripta, uno quorumcunq; ore dilaudata, nostris in libris sint; nulla tamen (quod mirandum, an dolendum?) in manibus oculisq; nostris minùs versantur, quantumlibet illaudata. Imò eousq; perventum est, hoc seculo, insaniissimæ, at amabilis, insaniæ, ut hodie (si eloquentiæ placet!) diserti viri, virique juvenes aliqui, toto in Cicerone invenire possint nihil, licet à capite ad calcem evolvant, quod novæ ipsorũ facũdiæ placeat. Malli verò ita simus, ut mirificè profeciſſe, an defeciſſe? videamur! Fruatur interim sensu suo Quintilianus, qui ait: ille se profeciſſe sciat, cui Cicero, cælestis in dicendo vir, valde placebit. *Sed jam viderint æqui eruditiq; omnes, an meam circa opportunas minùs nec serie rectâ institutas exercitationes Oratorias cunctationem probè excusatam dederim? quid ajo excusatam? an idoneis suffragiis fortiter satis communitam? Nunc quidem porrò malè consultarum declamationum haud prospera everta leviter perstringentur.*

Notati sanè fuere à me, ac fortean aliis, qui non ignobili quidem, sed cöercendo nonnihil adhuc, ardore inflammati pedem in thronum oratorium intulere, dicendi vix degustatis præceptionibus, aut laboribus styli vel primis legitimè defuncti, imò, quod pejus est, eâ secum natâ hæresi infecti, quòd, citra etiam præceptorum (ut illis videntur,) puerilium notitiam, aut molestæ scriptionis curam, tutò aliquid in dicendo audere possint, dummodo audeant, secundùm Poëtæ scilicet illud satyrici:

aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
si vis esse aliquid.

Quorum hoc cùm attendo, ille Fabii, geminos laborifugas salebq; & aceto liberaliter perfundentis, in mentem venit sermo, ajentis: Gratulemur illis sine labore disertis: *alterum autem reputanti doctè festivi, & festivè docti Siberi occurrunt verba, in talem sonum prodita:* Atque, ut Latinè loquar, si ulla uspiam Rhetorica exstaret, ex quâ germa-

germana facultas dicendi cõparari posset; næ ego eam dimidiâ pârte fortunarum mearum jam pridem redemissem. Tametsi enim hæc impensa nequaquam levissima foret ei qui à nummis minimè omnium instructissimus est: tamen ingens & industriæ precium, & temporis compendium, & gloriæ lucrum feciſſem. Itaque jam aut certè cum paucissimis essem, qui tam brevi tempore ac labore summus Orator evasissem, tum, ut alij evaderent, efficere possem. Sed enim tam beato mihi esse adhuc non contigit, ut divinam illam Rhetoricam nanciscerer. *Eant nunc & credant (si volunt) exiguo judicio præditi, posse quemquam ex libello quoq; etiam aliquo Rhetorico passivo disserendi facultatem acquirere; imò, absq; eo, & notæ melioris quibuscunq; aliis visis, nec non citra ullum styli præformatum ductum, effici hominem bene disertum. Ecquid verò fit, cùm persuasio ejuscemodi irroboravit? Declamatur semel, simulq; pro certissimo concluditur, verè renatum esse, cui acclamet meritissimò novus Catullus:*

Disertissime Romuli nepotum,
quot sunt, quotq; fuere, Marce Tulli,
quotq; pòst aliis erunt in annis!

Seriùs autem Phryx ille quando intelligit, se sacris Suadæ vix initiatum esse, qui epoptam se habuit; succenset Magistro, sibi, loquentiæ, &, nisi præfermento sapere dediscit, secundâ usus velificatione iter instaurat cautiùs. Quæ nisi infelicia sint eventa malè inchoati curriculi jure dicenda, quænam istis infeliciora ecquis, amabo, mihi enarraverit? Quorum utinam nulla animo tenerem exempla!

Sistere tamen aliquos modò in arenâ, è tribu nostrâ secundâ, Rhetoristas non nolui: quia consilio & impensâ in eam rem necessariò prægreſsâ operâ id feci. Scilicet, instar urcei, ficti sunt, currente rotâ. Pensa illis ediscenda proposui: quorum materia & sermo ipsis haud parùm prodesse videbatur. Namq; quid magis attinet scire civem domesticumq; aliquem, quàm (post sacras Biblicas & Ecclesiasticas) historias Regum Reguiq; Poloniæ? Ad cujus oceanum ut commodè aliquando venirent nostri, amnem iisdem monstravi comitem; hoc est, Florum Polonicum ejus autoris, cujus illam ipsam elucubrationem nobilissimi è nostræ Reipublicæ heris Viri palato arridere non nescio; cujus etiam autoris comitas, Romaneq; colloquendi (cum nemine sanè homine, jamdudum intra aliquod tempus, tam officiosos atq; amicabiles sermones Latinos me miscuisse, quàm cum Pastorio, *publicè fateor, cùm, primùm ignotus, ante annos aliquot, commemorabili visitationis studio me coluit) dexteritas ita mihi est approbata, quàm quæ maximè. Consultum autem duxi, ut honoris causâ nuncupati scitè structa verba à nostris memoriæ infigerentur, auribus adfuturis perpurgatis potiùs exhibenda, quàm quæ nec ediscendi memoriter industriâ, nec auscultandi patientiâ, satis digna essent:*

quippe quòd cum antiquis comparando illo, Grammatico, Rhetore, & quid non? verbo, Polyistore, Vossio, circa sapienter excolendæ memoriæ rationem, ad amussim conspirem, qui lib. 6. instit: orator: cap. 9. sect: 1. suam in hunc sensum eâ de re explicuit mentem: memoriæ caussâ non urgere eos nimiùm oportet, qui se primùm exercere incipiunt in arte oratoriâ. Nam, quia rudia sunt initia atque impolita; non expedit, ut aliquis talibus ad verbum ediscendis tempus absumat. Quippe sic fiat, ut non admodum bona tenaciter nimis memoriæ inhæreant. Quamobrem rectiùs impendetur tempus, partim melioribus componendis, partim ediscendis Demosthenis, Tullii, atq; aliorū scriptis. *Quâ in, nisi à graviori cùm autoritate, tum caussâ, inseratur melior, cum tanto viro mihi communi constans perseverabo existimatione.*

Quocirca & jam nunc producendos aliena quoq; sed aurea, memoriâ comprehensa proferre malui, quàm sua, id est, ærea. Quò tamen & illi mei, à teneris quasi unguiculis, cum bono aliquo exemplo luctari discerent, autor ipsis fui atq; hortator, ut præscripta rescriberent, & non suis verbis accuratè prolata suis quomodocunq; redderent, ex dein adeundâ collatione, meo sine monitu, agnituri, quid distent æra lupinis.

Verùm ego tamen insuper exercitatorum pericula ad limam revocavi, emendaviq: ut, quomodo non à probabili solùm dictione dictio eorum adhuc longè absit, sed & tolerabili, luculentè ipsis ob oculos ponerem.

Neq; non quoq; penicilli ducendi non prorsus visis ignaris mandatum, ut viribus suis usi aliquid pingerent: quod quia non malè cecidit; judicatū, ut sua qualiaqualia, & ipsos & reliquos magis excitandi caussâ, palam producerent. Id quod, sicuti cum recitantium nominibus & operis omnia, jam jam sigillatim infrà explicabitur.

Hæc autem, quæ, moris boni probandi caussâ, protuli, intra scenam acta sunt: nunc, sipario levato, personas in theatrum collocabo.

Adeste tantùm, die, hor â q; & loco suprà dictis, hospites aliquot exspectatissimi (quorum quidem commodo & negotiorum arduorum permissu id fieri potest:) non, quòd tanti sit edendum acroama & spectaculum, sed quod magni sit, Vos tantos præsentes esse: & ita humanissimæ benevolentiæ insigne specimen præbituri applaudite exiguis & humilibus (fatemur ipsi) gymnasmatis, sine quibus ad majora tamen non itur securè. Tempore alio, ac brevi, non Musis Sicelidibus, sed DEO invocato,

paulô majora canemus.

Me utiq; non piguit parvorum horumce Quiritium ora figurandi caussâ molestiam aliquam subire: qui, cum summâ admiratione, iterum iterumq; recordor, summum Magistrum, summum q; Dominum, hominem simul, simulq; Deum summum, pusiones unde unde oblatos osculis dignatum esse.

Qui aures nostris adolescentulis in præsens commodare non tergiversabimini, beneficij egregij memoriam apud aliquorum bene natorum declamatorum parentes, cognatos, amicos & (si precium est itidem mei meminisse)

me

me quoq; ponetis. Quorum nomine ut ſtudium eorum mutuum tantùm non certò vobis polliceri nullus ambigo: ita multò minùs meo. Valete, & favete juventutis ad præclara contendentis, maximè rectis, conatibus. Dab. Gedani, in ædibus D. Cathar. parochialibus, Anno 1645. poſtrid: Dnic: Lætare.

CATALOGUS RECITATORUM, cum *RECITATIONVM SVARVM ARGVMENTIS.*

I. David ölhafius, Gedanenſis, *compoſitione ſuâ confirmabit hanc Theſin*: Omnes rerum geſtarum imperiti, ſunt pueri.

II. Chriſtianus Splittegarbius, Marchicus, *docebit compoſitione ſuâ, quòd maximè Patriæ hiſtoria civibus ſit cognoſcenda; ut*
Dantiſcanis quidem, Gedani & Poloniæ.
Recitabunt penſa ſua, ex hiſtoriâ Polonicâ,

III. Georgius Wilhelmus à Creuzen, Nobilis Boruſſus, *de* LECHO.

IV: Michael Bürichius, Gedanenſis, *de* PALATINIS XII.

V. Chriſtophorus Lackius, Gedanenſis, de CRACO.

VI. Iohannes Friedericus Brackermannus, Gedanenſis, *de* LECHO II.

VII. Chriſtianus Omuth, Gedanenſis, *de* VENDA, *virgine.*

VIII, Ioh: Henricus Kemmererus, Gedanenſis *de* XII. PALATIN. & PREMISLO.

IX. Ioh: Arnoldi, Sileſius, *de* LESCO II.

X. Georgius Grunovius, Gedanenſis *de* LESCO III.

XI. Daniel Matthæi, Gedanenſis, *de* POPIELO MAIORE.

XII. Chriſtianus Splittegarbius, Marchicus, *de* POPIELO IUNIORE.

XIII. Iohannes Kolkavius, Gedanenſis, *de* PIASTO.

XIV. Daniel Borckmannus, Gedanenſis, *de* ZIEMOVITO PRIMO.

XV. Daniel Ritterführerus, Gedanenſis, *de* LESCO IV.

XVI. Andreas Strauſſius, Gedanenſis, *de* ZIEMOMISLO.

XVII. Arnoldus Dreierus, Bremenſis, *de* MIECISLAO PRIMO.

XVIII. Ioh: Henricus Kemmererus, Gedanenſis, *compoſitione ſuâ monebit, concludendum eſſe*

XVIIII. Ioh: Kolkavius, Gedanenſis, *compoſitione ſuâ gratias aget Auditoribus.*

EXACTO BIHORIO CONFIENT OMNIA.



DECLARANDI,
ERGA SERENISSIMUM REGEM DEVOTE,
ERGA MAGISTRATUM CIVICVM
OBSEQVIOSE,
ERGA RECENS EUNDEM IN MAGISTRATUM ADLECTOS OFFICIOSE,
ERGAQVE HOS VNIVERSOS OMNES
GRATVLABVNDE AFFECTI ANIMI GRATIA,
(QVOD JAM JAM AMPLIUS EXPONETUR)
LAUDATISSIMO INSTINCTU ALIENO,
PRIVATIM CONSCRIPTAS,
MEO AUTEM ASSENSU PROMTISSIMO,
PUBLICE RECITANDAS,
DECLAMATIONES QVINQVE,
IN LYCEI NOSTRI GEDANENSIS ODEO MAXIMO,
ANNO HOC CHRISTIANO M DC XLV PROCVRRENTE,
AD DIEM VI. APRILIS, IXa Xaq. HORIS BINIS,
A QVINQVE JVVENIBVS LECTISSIMIS,
NVMINE PROPITIO, HABITVM IRI,
ET PRO MVNERIS RATIONE,
ET LVBENS MERITOQVE,
INDICO ATQVE DENVNCIO:
QVAS
REIPUBLICÆQUE ECCLESIÆQVE,
NEC NON
SCHOLARUM ATQVE FAMILIARUM,
ANTISTITES CUNCTI ET SINGULI DOCTISSIMI,
ITEM PATRICII ERUDITIONE EXCULTISSIMI,
ATHENÆIQUE NOSTRI CIVES DISCIPLINA PERPOLIENDI,
AUDIENTIA EXSPECTATISSIMA UT DIGNENTUR,
ORO SUMMOQUE STUDIO ROGO.

JOHANNES MOCHINGERVS,
ÆDIS CATHARINÆÆ PASTOR,
GYMNASIIQUE RHETOR.

GEDANI,
TYPIS RHETIANIS
EDITA HÆC EXHIBENS.

REGIÆ
CIVITATIS NOSTRÆ GEDANENSIS
COLVMINA LVMINAQVE,
VIRI
ORDINVM OMNIVM DIGNISSIMI;

INtimi cujusdam ſenſus mei, luculento aliquo indicio, in publicâ luce patefaciendi occaſionem iterum veniſſe, contigit ſanè profectò in modum non minùs mihi exoptatiſſimum, quàm longè gratiſſimum. Nam curâ hac animum meum ita tangi, quemadmodum civis boni nullius non affectam eſſe mentem intereſt, quò Patria hæcce noſtra magis magisq; exſplendeſcat, non mea mihi quidem eam rem jactare concedit moderatio, ſed non poſſem non tamen vel conceptis verbis aſſeverare.

Cùm ad Vrbis decus igitur planè ſpectare cenſeam, ut Heliconis noſtri plantarium efflореſcat indies, caputque efferat,

quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi:

eſt illud vel maximè in votis meis & orationibus. Pro virili verò etiam nonnihil operæ eò impenditur. Quapropter indigenisq; alienigenisq; de oppidò valdè commodo iſthoc apud nos Muſarum domicilio, alia utiq; quamplurima plurimis nominibus (quod bonâ veniâ dixero) poſt ſe relinquente, bonam inſerere exiſtimationem, manibusque pedibusq; ſemper ſatagitur.

Et ex illorum quidem numero nonnullis, quibus ſcilicet, cum Ithacò haud dubiâ prudentiâ prædito, patriorum focorum fumum averſari religio eſt, venerari pietas; aut facilè rem iſtam perſuadeo Rhetor, aut non perſuadeo, etiam cùm perſuadeo, quia, cum rerum ignaris agricolis, bona ſua & fortunam non nôrunt: his autem exteris ferè tantùm applaudere habeo, & eam ſententiam gratulari, quam ſecum adferentes verbosè exprompunt, cùm abundan-

bundantissimo sermone testantur, vìderi sibi, in cœlo se esse, quando ad sacrorum nostrorum communionem admittuntur. Quam combibére opinionem auditis iis Viris optimis, cum quorum mandatis, tanquam ad literarum aliquod emporium nobilissimum, huc veniunt; vel, quorum efficaci suasione, ut ad hanc Vrbem, non quæstuoso tantùm, sed & facundo Mercurio deditam accurrerent, sunt impulsi.

Vt aliquammultos verò, honoris mutui caussâ aliàs commemorandos, jam indictos relinquam; commodum justissimumq; est in præsens laudare eximiâ tam eruditionis, quàm humanitatis elegantiâ pulchrè exornatum, atq; ideo ad majorem claritudinem feliciter nitentem, M. JOHANNEM CONRADVM HEDENVM, THVRINGVM, qui, cum binis nobilissimis adolescentibus, fidei suæ & informationi commissis, voluntate Virorum quorundam Magnificorum (qui ob honorificum de Athenæo nostro Gedanensi arbitratum, re sese dante, post breve tempus, non sine cultu debito & gratiarum actione, publicè à me erunt nuncupandi) ad nos se perquàm lubens attulit, ut simul ipse famam sibi prosperam artibus bonis hic loci compararet, simulque, quod rei caput est, sui illi, & suo ipsius privato, & omnium nostrûm officio dignè fungentium ductu publico, egregiè proficerent, Neque fore, ut aut istos de nobis judicium, aut illum exspectatio, aut hos fructus fallat, sponsorem me dare audeo. Quod primum fuit, Lycei nostri Moderatoris Præclarissimi, Collegæq; honoratissimi, peradmodùm Reverendi D. ABRAHAMI CALOVII, Larem hospitalem, juxtà atq; eruditæ benevolentiæ consuetudinisque omne genus, dictus hospes honorarius, suis cum alumnis, non multo negotio, sibi conciliavit: ab eoque in præsenti negotio non calcar solùm accepit, sed &, ut inclyti nostri Athenæi Rectore meritissimo, benevolum consensum impetravit. Posteaquam autem idem, propter e-

loquentiæ ſtudia, ætate tenerâ magnopere adamata & culta, allocutionis officio ſe applicaret Rhetori, ex ipſo primo congreſſu illico animadvertit, eum apud hominem omnibus facile obvium paſſas patere ulnas, quibus benè animatos complecti amat. Cùm itaque eidem, quod ſentiebat, enarratum iret, in umbrâ ſe hoc ſedulò acturum, ut, luce teſte, conſtare poſſet, quanto ſtudio in dicendi ſtudium ferretur, habuit eum tam propensè applaudentem, quàm qui benevolentiſſimo applauſu proſequitur honeſtos conatus omnes, ordine tramiteq; recto erumpentes. Interim ille affatus blandi incentivo partim ſuos ad adeunda exercitia Oratoria inflammare; partim è Rhetoriſtis noſtris alios, ejus ad ignem accedentes, gemino ardore implere. Quod cùm vertiſſet bene, ad me denuo gradum ſtruxit, utq; paratos in publicum protrahendi cauſſa, opem præſentem afferrem, cùm induſtriam ſuam in evidentiâ ponens, tum ingenia declamaturientium etiam atque etiam erigens; humaniter & officiosè vocavit. In quo aut eum, aut Spartam meam deſerere, ut nec æquum, ita nec humanum duxi.

Vniverſum autem clariùs exponam negotium totum. Induxit ille, quà Rhetorices, quà Philoſophiæ, imò & Theologiæ cultor induſtrius, quem diximus, M. HEDENVS, aliquos è noſtris, & bene ortos, & ortum ulteriùs decenter condecoraturos, Gymnaſio noſtro adſcriptos juvenes, ut labores Rhetoricos ſuſcipere conſtituerint, declamationisque Oratoriæ pericula ſubire; quos à ſe privatim præinformatos mihi nomine tenus tradidit, ne non eos coronæ oculis auribusque exhiberem, rogans laboransq;: addito, & ſic ſibi, ut, pro re natâ, privatos intra parietes, de Muſarum pullis, more Academico, bene mereri pergeret, animos additum iri, & eloquentiæ conſecratis candidatis, quò magis magisq; Coryphæo publico ſe probare anniterentur. Quod ſiquidem juſtumque honeſtumq; eſſe putavi; audientibus omnibus

in præsens id approbare & evehere adeo non dedignari volui, ut ad istud faciendum mente calamoq; alacri prosiluerim.

Quod fortunatum igitur sit, & nomina declamatorum, & declamationum proposita illis benè inspirata, facio palam. Illi sunt, qui sequuntur, Orationum duntaxat argumentis, non ullo alio attento, hac serie recensendi.

Primus, CONSTANTINVS FERBERVS, Gedanensis, Invictissimi & Potentissimi VLADISLAI IV, Poloniæ Sueciæq; Regis, Domini nostri Clementissimi, Magnæ suæ fortunæ & nostræ, Dei gratiâ, felicissimi autoris, summas veræq; Regias virtutes, sermone panegyrico, (cui calidissimum, pro diuturna Sacræ Regiæ Majestatis incolumitate, & regiminis pacati perennitate, inoculabit votum,) quantum pote; concelebrabit.

Secundus, THOMAS BEECKIVS, Rigensis, Vrbis Populiq; Gedanensis, ad quem boni publici omnis utilitas redundat, genium, obsequiumq;, & sensum, ex Regis, Magistratusq; totius Vrbici, atq; in hujus collegium nuper cooptatorum, honore & flore animadverso conceptum, est enarraturus.

Tertius, NATHANAEL CARMANNVS, Gedanensis, solemnium & rituum, qui in Consulum Romanorum creatione olim frequentati fuere, exponet usum; allegoricæ explicationis operâ adhibitâ opeq;, accommodans ad virtutes, in legendo Magistratu spectandas, universa atq; singula.

Quartus, LVCAS von der Linde/ Borussus, coronam gemmis duodecim exornatam, quam Musæ Gedanenses nexuere, ut Reipublicæ Heris, XXVIII. Martij, hujus anni, novè electis imponatur, in medium producet, ejusq; insimul mysteria interpretabitur.

Quintus, IOHANNES FERBERVS, Gedanensis, Universum Amplissimum Vrbis Senatum, congratulantium Civium, nomine venerabitur, & secundissimam administrationem apprecatus, adjiciet toti panegyri gratias referentem clausulam.

Quibus ita breviter solùm perceptis, ecquis est, qui negabit, tempori esse accommoda, adeoque certò delenifica, quæ in præsenti ostentatione ad explicandum sunt præbita Themata. Mihi quidem quia in summum, & qui eum nobis hoc loco repræsentat, vicarium Magistratum, manifestè pia videntur, habentur rata. Theodosium quendam Zygomalam, magnum magnæ Dei Ecclesiæ

siæ Constantinopolitanæ Rhetorem, epistolâ suâ (quæ in Crusii Græcè peritissimi Turco-Græciâ p.435. & seqq. se offert) Academiæ Tubingensis Studiosos, in eundem sensum, esse cohortatum, ut in Acroäsibus suis, vel supremum Numen, vel, ab hoc secundum, Cæsarem, Principemq; suum, iterum atq; iterum commemorarent; non sine aliquâ jucunditate legi, his eapropter usurpatis verbis: *Primum omnium, & postremum omnium vestrum sit, perseverare in pietate erga Deum. Imperatorem honorate, justitiam colite. Augustum, ceu, post Deum, autorem omnis boni primum, epigrammatis, epistolis, carmine, orationibus, omni genere scriptionis, veluti optimè merentem, prædicatote.* Quemadmodum & paulo pòst ita idem ibidem scripsit: *De Imperatore, inquam, dicite: de illo scribite: materia ille sit & seges vestrorum laborum—: nec ullam opportunitatem prætermittite, sed hasce velut primitias fructuum vestrorum illi, tanquam DEO ipsi persolvite.* Sic Theodosius, non ille Imperator, sed Theo-Rhetor. Qui, quod intelligere jam in proclivi est, Domini Dominorumq; nostrorum submissè honorandorum studium apud recitatores nostros excitatum, faventissimo secundæ admurmurationis vento maxime utiq; provexisset.

Accepimus equidem, ævi veteris Heröem gentilem, Alexandrum, noluisse se, quò certior posteris proderetur, à quibuslibet artificibus (veluti sermone audax Madaurensis loquitur,) contaminari, sed edixisse, ne quis ære, colore, cælamineq; suam, Regis, effigiem temerè assimilaret; sed aut Polycletus ære, Apelles coloribus delinearet, soluisve Pyrgoteles cælamine excuderet (quos præter tres Roscios, si quis Regis sanctissimi imagini tentandę manus esset admolitus, haud secùs in eum, quàm in sacrilegum, se vindicaturum, interminatus est) verùm Christiani hodie-Alexandri facilè se à quibuscunq; etiam acclamatoribus in oculis & sermone circumferri patiuntur; quippe qui rectè sic arbitrantur, haud se decere, ut eorum ore se in vilipendium adduci posse credant, unde Optimus Maximus, prodente entheo Vate Regeq; disertissimo, sibi parat laudemq; roburq;.

Quem-

Quemadmodum item in annalibus Evangelicis consignatum habemus, quod nec Dei filius, homo factus, à concurrentibus parvis magnisq; se cani ęgrè tulerit; quin, aliis ringentibus, id ipse laudaverit. Cujus exemplo quidni benignè permittant Potestates nostrę, ut ab ipsis teneris subditis civibusq; quomodocunq; extollantur?

Quâ ratione sic satis (ut opinor) hactenus commendatâ Orationum audiendarum materiâ, cur non mihi pollicear, citra solitarum precum ambages, me impetraturū, ut haud gravatim non pauci nostræ Vrbis cùm eruditi & eruditionis fautores, tùm pii & pietatis in Magistratum cultores (quos quidē negotia non interpellabunt) se mecum, in Lycei Auditorio maximo, ad diem horamq;, suprà dicta, bono cum Deo, sistant, & aures benevolas præbeant? Quod (ut haud quaquam vanè conjectare licet,) quoq; etiam sui honoris amorisq; caussâ, quâ integer nostræ Civitatis Rectorum Ordo uterq;, quà non ita pridem in Præconsulum, Consulum, & Scabinorum eminentia subsellia evecti, factum esse interpretabuntur; dum nec encomia eorum fastidire, nec curas eorundem bonis verbis & apprecationibus deserere; quin verò & utrumque potiùs clarissimâ præsentiæ nostræ ad Orationes, iis ipsis devotas, auscultandas, efflictim requisitæ testificatione expressum dare libenter meritoquè voluimns. De me quidem quasi cumulatissimè promitto, præstaturum me gnaviter, ut, cùm animadvertero, apud exercitationum Oratoriarum Patronos atque Amicos, ad concionem in theatro nostro prosperè advocatam, classicum meum aliquid valuisse; classiarius (fas sit hoc quoque Appuleii uti verbo) & assiduus sim præco tantæ mihi exhibitæ gratiæ, quam, quia operâ vix compensare queo, verbis non nolo; siquidem non opinione tantùm tacitâ, sed & perspicuâ benevolentię declaratione, non indigni sunt visi, quos meâ publico favori tradendi operâ dignos ęstima-

vi.

vi. Favete autem (quęso) eam in rationem nunquam non mihi & modò declamatoribus auditis, nec non verò eorum impulsori atque adjutori, ex me jam cognito, totâ mente bene cupitote; utpote quem quoque certissimum laudum atque meritorum Vestrorum habituri estis amplificatorem. Valete. Dabam Gedani, in Museo meo, die XXXI. Martii, ANNO Christiano M. DC. XLV.



PASCHALI DIGNE EXACTO FESTO,
SACRIS MERITISSIMO EST ADHVC VACATVM;
QVIBVS AVRES RECTE FVERE CONSECRATÆ.

DE JESV IN VITAM REDITV,
SIC SATIS JAM FIDELITER PERCEPTO MYSTERIO,
NON NEFAS ERIT AD PROFANA NOS CONVERTERE,
QVÆ MINIME SVNT NOCENTIA.

ITAQVE ERGO,
PATRONORVM, FAVTORVM ET AMICORVM
CORONÆ
ERVDITÆ, SPLENDIDÆ, AMPLISSIMÆ,

DE
LITERARVM AC MVSARVM NOSTRARVM
PATRONORVM, FAVTORVM, AMICORVMQVE
NOMINE,
ORNAMENTIS,
EXEMPLO,

SVB
MOECENATIS PRISCI DESCRIPTIONE,
ARBITRIO MEO,
VERBA FACTVRVM,

ORNATISSIMVM
GREGORIUM BARCKMANNUM,
GEDANENSEM;

VT,
ANNO HOC M DC XLV. AD DIEM XX. APRIL: HORA IX. ANTEMERIDIANA
IN LYCEI NOSTRI AVDITORIO SPATIOSISSIMO,
(SI ITA VISVM FVERIT)
AVDIATVR BENEVOLENTISSIME;
EXHIBEO: ROGOQVE,

QVO,
VEL AVSCVLTANDO, VEL ADJVVANDO,
HOC EST, SIVE AFFECTV, SIVE EFFECTV,
DECLAMATORVM MEORVM OMNIVM BENEMERENTIVM
MOECENATES
ESSE SEMPER NON NOLINT QVAM PLVRES;
QVIBVS
MOECENATVM MENTEM ET OMNIA
EA PROPTER EX ANIMO OPTO,
JOHANNES MOCHINGERUS,
ECCLESIÆ J. C. IN ÆDE CATHAR: COLLECTÆ PASTOR,
ET GYMNASII RHETOR;
GEDANI EXPRESSIS HISCE.

MECOENATES GEDANENSES,

(Quo uno nomine cuicunq; Lectorum meorum, pro dignitate, debitos titulos omnes commodè in præsens me complecti posse videor)

SALVETE FLORETEQVE,
ET VOS MIHI ITERVM, QVÆSO, DATE.

VUlgati sunt nimiùm quantùm, & lippis tantùm non ac tonsoribus noti Epigrammatistæ Bilbilitani versus, qui sic tinniunt:

Sint Mecœnates, non deërunt, Flacce, Marones:
Virgiliumq; tibi vel tua rura dabunt.

Verùm enim verò potest illud vix immerito in quæstione poni, utrum rem hic acu vates tetigerit? Quo de mihi quidem sanè est dubium. Quales enim veros hodie-Marones esse oportet, si olim-Virgilio sint conferendi, & id tanti nominis legitimè impleant? Hic utique non modò jure audit Poëtarum in Romuli nepotibus disertissimus, quot sunt, quotque fuerunt,

Quotq; pòst aliis erunt in annis;

sive, (quemadmodum, honoris caussâ, Patrum Alpha, Augustinus, eum appellat) Poëta magnus, omniūq; præclarissimus, aut optimus: sed est etiã profectò, Macrobio teste, non minùs Orator, quàm Poëta; imò, quod dicere nihil est veritus nomine literaturaq; notissimus Cæsar, optimus Philosophus, atq; adeo, verbo etiam, quà dignitatem verè Imperatoris, Alexandri Severi, Plato Poëtarum; jamque, eodem exemplo, quo Plato, vocandus divinus. Cui adhæc alterius Homeri titulum adscripsit pariter sacrarũ, pariter profanarum literarum scientissimus Stridonensis: idemq; hæc verba sua quasi retractans, de Publio eodem, quoq; altiùs insonuit intonuitq;, cùm ait: Poëta sublimis, non Homerus alter, ut Lucilius de Ennio suspicatur, sed primus Homerus apud Latinos. Quia autẽ, sicuti mea fert opinio, nemo homo magis penetravit in Mantuani Homeri omnia, quàm Scaliger Julius (at quantus ille vir! in Philosophiâ sublimiori uno minor Aristotele, in Poësi Marone)

ne) præ omnibus illum existimem audiendum, quando verbis conceptis, quæ sequuntur, ita de eodem est testatus:

Dulcis Virgilius, Latina Siren:
Duplex Mœonides, triplex Apollo:
Vnus omnia, quæ ambiunt Poëtæ.
O cygne! ô philomela! ver Latinum!
Mel merum Latij! Latinæ Athenæ!
O monstrum vitio carens! quid ergò?
O cœlum sine nube, lux serena!
O pontum sine fluctibus profundum!

Isque ipse Dictator, quia scriptorum est censor maximus accuratissimusq; verè Scaliger, cùm in Critico suo, tum alibi, de Virgilio ad hunc modũ pronunciavit: Vates est suavissim⁹, nitidissim⁹, pulcherrim⁹, splendidissim⁹, dulcissim⁹, politissimus. Apollo ipsus, cùm pastor esset, jucundioribus aut teretioribus non cecinit numeris. Inest in eo phrasis regia, & ipsius Apollinis ore digna. Sic puto loqui Deorum proceres in conciliis cœlestibus. Non, si ipse Jupiter Poëta fiat, melius loquatur. Homerici versus in terrâ; Virgiliani inter Musas à Phœbo facti videntur. Ille Græculus circulator: is Regiæ Orationis auctor. Virgilius Magister est, Homerus discipulus. Hic foraneus narrator: ille verus Poëta. Homerus moles quidem est, sed rudis & indigesta: Virgilius autem Deus (qualis Jupiter & Apollo, antea memorati) & melior natura. Homerus mulier aulica, quam nihil dedeceat: Virgilius matrona honesta. In quem tam præclarum sensum is Aristarchus de Homero Latino, & copiosè & magnificè, & mirificè. Quo nomine tamen, cum P. Garasso, in libro de curiosâ doctrinâ, admodum latrante; Idololatræ Virgiliani stigmate Scaligerum Julium notare nolim: quippe non allubescit accusatoriè loqui, sed multò magis Latinè. Meminerit autem acer animo calamoq; Scaligeromastix, atque aliorum multò plurimorum dicax cavillator, illorum Damœtæ, apud Poëtarum Regem exstantium, verborum:

Pareàs iſta viris tamen objicienda memento,
Novimus & qui te - - - -

Inſuper autem ſic de Virgilio Quintilianus, Criticorum omnium κριτικώτατος: ut apud Græcos Homerus, ſic apud Romanos Virgilius auſpicatiſſimum dedit exordium, omnium Poëtarum Græcorum Romanorumq; haud dubiè proximus. Cætera Poëtæ elogia quid addam?

- - adeo ſunt multa, loquacem ut
delaſſare queant Fabium - - :

Etſi quamvis iis & congerendis & adſcribendis, nec Barthius in Adverſariis, nec de la Cerda in Virgilianorum operum explicatione, nec Magirus, ſive in Onomatologo, ſive in gloriæ theatro (eandem, quæ in Onomatologo eſt exhibita, exhibente Comœdiam, haud adeo perſonis mutatis) defatigari potuerint.

Quibus apud animum noſtrum rite expenſis, numquid veroſimile nobis fieri poteſt, Phœnici huic ſimilimorum aliquam hoc (at quantum ab illo mutato!) ævo fore frequentiam, ſi quidem Mecœnatum non eſſet tanta paucitas? Nec ſanè verò is ipſe, qui illud ſtipulatò quaſi polliceri eſt auſus, in aliquammultis, minimè omnium in ſermone verecundo, Partheniati (quo nomine, propter mores & eloquium modeſtiſſimum, eſt cohoneſtatus Virgilius; nomine tali planè dignus, quia nihil omnino in ſcriptis ejus genuinis reperitur, quod in virginum choro legi non poſſit) fecit paria: ſe ſemetipſum prodente; cùm, verborum ſuorum petulantiam excuſans, an accuſans? ſcripſit;

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba.

Quod ei, ſicut & alterum, à nobis nonnihil examinatum,

- - - credat Iudæus Apella;
Non ego - - - - -

De cætero eſt tamen, quod queramur, vix dari hac tempeſtate tot Mecœnates, quot ſunt

Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Quæſiveris enim licet eos ipsâ in meridie, cum Diogene lucernâ accensâ: ægrè reperies. Sed

Sed veterum unio, Mecœnas ille priſcus, dictus eſt Horatio: recentium Petro Gaſſendo, qui ſcriptis ſuis, cùm doctè, tùm candidè, & valde modeſtè contextis, egregiè corroboravit Naſonis ſententiam, his vix ulli non à puero notis, etiamſi non item vitæ ſtudio ſemper expreſſis verbis explicatam:

- - - Didiciſſe fideliter artes
emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Hic eſt ille Claudius Peireſcius, memoriâ utiq; omnium ſermoneq; digniſſimus, non minùs atq; iſte alter Romanus. Qui Peireſcius ſuâ in Bibliothecâ multo ære emtos rariſſimos quosq; libros habuit, non ut ipſe ſibi poſſeſſione eorum placeret; ſed, ut cum aliis communicaret, quibuscunq; eâ in re facilè gratificatus: imò & bonæ notæ voluminum aliquot exemplaria comparare eſt ſolitus, quò iiſdem amatores cupidos donaret: inq; larario ſuo ſervatis præſtantiſſimorum quorumcunq; virorum imaginibus abundavit, quarum oſtenſione animos ſpectatorum, quos lubens admiſit, ad amorem æmulationemq; accenderet: in cimeliarchio ſuo varios veteres nummos reconditos tenuit, ut eoſdem commonſtrando, doceret advenas ſimul, ſimulq; delectaret: in horto ſuo plantas herbasq; orbis remotiſſimi fovebat, quò in patriâ ſuâ, Galliâ, ubicunq; ſe admirabiliter oſtentantis naturæ vim oculis uſurpandam ſiſteret: in officinâ ſuâ Mathematicâ ſuppetebant ei omnis generis inſtrumenta, quæ ſideralis terreſtrisq; eruditionis amicis ſuppeditabat, ad uſus neceſſarios adhibenda. Næ verò Mecœnatis hæc verè ſunt propria! Si vel fando accepiſſet, vel legendo percepiſſet, virum aliquem doctum libri quicquam, quo ad commune literarum bonum amplificandum egeret, anxiè deſiderare, nec ſumtibus nec operæ pepercit, ne non pagellas expetitas nanciſceretur, atq; eas ſufficeret. Mecœnatis & hoc verè eſt proprium. De quocunq; intellexerat, quòd præclari & novi aliquid, & quidem literas concernentis, animo agita-

ret, illum inflammavit, omnibus ſuis ſtudiis prolixè oblatis. Mecœnatis & hoc verè eſt proprium. Nemo ad virum venit, quē, aut ingenii, aut censûs muneribus, haud ſibi, ſed publico non devinxerit. Similiter Campanellam ex admodum diuturni carceris emerſum hoſpitio hoſpitē adeptus omnigenis beneficiis adobruit; qui cum ipſo per dies aliquot ita jucundè habitavit, quaſi in cœlo eſſet: deinde autem dimiſſum, præter exſpectationem ſuggeſto aureorum manipulo, ſic perculit, ut, lacrymis, quas homini moleſtia Gyaræ ac calamitas nunquam extorquere valuit, largiſſimè effuſis, teſtatus ſit, expugnatum ſe victas ultro dare. Mecœnatis tanti beneficentiæ manus mentemque, quas magnis Dominis nunquam ſubmiſiſſet. Mecœnatis itidē & hoc verè eſt proprium. Cùm eundem Peireſcium Eſdræ Strabonisq; Germani, hoc eſt, polygloſſi & ſanè admirabilis Mathematici, Schickardi, oppidò valde miſereret, quòd, durante adhuc Germaniæ turbulentiſſimâ tempeſtate, ævum Tubingæ infeliciter degeret; eum ad ſe humaniſſimè vocavit, & cum universâ familiâ adventuro, larem ſuum verè hoſpitalem atq; propitium fore, fide bonâ recepit. Mecœnatis & hoc verè eſt proprium. Quid? quòd, quæ de incomparabili hoc doctorum Evergetâ libris aliquot digniſſimè prodidit nuncupatus honorificè, ſemperq; ita nuncupandus, Gaſſendus, à nobis autem hujus paginæ anguſtiâ comprehendi nequeunt, Mecœnatis propria ſint omnia.

Utinam verò multi tales eſſent benefactores, quibus æq; cordi eſſet curæq;, rem ornare, tueri atq; amplificare literariam, eiq; deditiſſimos! Non dubitarem, quin, ſicut tulipæ caput eximiè brevi efferent, cidarimq; ſuam latè explicabunt, Sole ſereniùs atque calidiùs, cum præſentis vernæ amœnitatis incremento, affulgente; ita omne genus eruditorum operam omnem impensè navaret, quò prodirent prodeſſentq; publicè, ſi, ex voto, benignos experirentur Patronos. Contrà jam latent docti complures

(ut

ut ut Maroni non comparandi) aut vix se aperiunt: cùm non tantùm lux nulla à Promotorum vultu & manu resplendet, verùm etiam cœlum nubibus obducitur.

Sed fortean fato tam raros contingit exstare Mecœnates, ut in paucos, qui sunt, aptè quadret nomen. Quomodocunq; enim scribatur, (scribitur autem variè) notat illud in Græcorum linguâ, singularem aliquem virum, nec unum è multis, demum supra vulgus Patronum. Quod si verò tantum hoc tempore haberemus Mecœnatũ, quantum muscarum, quum caletur maximè, hoc est, si oppidò magnus eorum suppeteret numerus; qui hic vel alter, qui est, quod audit, audiat honorificè, &, vi attentâ nominis, rectissim è Mecœnas?

Quid autem ago? Si universa hæc omnia effundere instem, ea hîc jam nunc oculis delibanda propinabo, quæ auribus destinavit Declamator noster, GREGORIUS BARCKMANNUS. Cui, cœlo quidem prorsùs favente, Fautor bene liberalis obtigit: ut ideo, & Adjutori suo ac velut alteri Parenti, & præsertim sibi, hoc nomine plurimùm gratulari æquum rectè ducat. Quando autem ille Declamator noster meæ curæ in aliquod tempus commissus fuit, hoc egi, quantum licuit, ut intimo in pectore ejus, erga literas propensum, unde cuncta pendent, affectum excitarem, prædicens, fore, ut & bonus, si patientem culturæ præbeat aurem, evadat patriæ civis, &, dummodo allaboret constanter, paulò plusquàm privatus, eidem utilior sit futurus. Quòd autem nec illi, nec facilè alteri cuiquam hoc persvadere mihi sumam, ut se Maronem, aut Ciceronem fore credat, quanquam præstò sit Mecœnas; ab eâ est caussâ, quia, ut reliqua, ita cumprimis hæc Virorum dono quodam providentiæ cœlestis genitorum, nomina propria, secundùm regulam communem, plurativo carere non nescio. Providebit ille interim monitorum non immemor, ut Mecœnatis de ipso conceptæ faciat satis exspectationi.

Quin

Quin plurium gratiam colligendi cauſsâ, de Mecœnate Orationem, dicto ſuprà tempore, publicè recitare cum animo deliberatum habet; quâ eò collineabit & arcum diriget, ut & priſci ſeculi illum admodum inſigniter præviſſe oſtendat, & ſuprà quàm dici poteſt laudabile fore, ſi noſtri ævi alii atque alii clariſſimis ejuſdem veſtigiis inſiſtant; addito, omnium viciſſim eſſe alumnorum, non indignos ſe reddere favore atque benefactis Nutritiorum ſuorum.

Qui verò, ſuperiori tempore, haud rarò, vocationem meam, ad Orationes in Athenæo noſtro audiendas, admiſiſtis perquàm favorabiliter (quod beneficii in gratum atq; officioſum Vos contuliſſe, ut credatis, humanitatem Veſtram etiam atq; etiam rogo) Viri variis honorum titulis à me ſemper condecorandi; ut huic itidem apud benevolentiam Veſtram locum relinquatis, obnixè contendo, certosq; Vos eſſe volo, debitam planè gratiam Vobis me ita quoque redditurum, cùm ampliſſimè deprædicatum hoc ibo, quòd exoptato auſcultationis honore atque munere nos toties afficere non dedignamini, honorificentiſſimum Mecœnatum nomen eopſe quoque merentes. Diu optimè valere & bene nobis velle pergite. Dabam, Gedani, Anno à Virginis partu, quo ſalus nobis eſt parta, M DC XLV, ſub feriarum Paſchalium exodium.

ELOQUENTIÆ CUPIDISSIMOS
RHETORISTAS,
AD ACROASES ORATORIAS
FREQVENTER ITERUM OBEUNDAS,
QVÆ,
(QVOD OPTIMVM MAXIMVM NVMEN IVBEAT!)
AVSPICATO RVRSVS INCHOABVNTVR;
POSTEAQVAM QVIDEM,
SOLITO IN ACROATERIO MINORI
LYCEI NOSTRI,
DIE MARTII I.
HORA SVETA IXA,
DE LIBRORVM TVLLIANORVM
QVAM MAXIME VTILITER EVOLVENDORVM
RATIONE MVLTO COMMODISSIMA,
QVASI IN ANTECESSVM,
AVDITA FVERINT QVÆDAM;
ALLOCVTIONE HAC PVBLICA,
VOCOQVE INVITOQVE,
JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR;
ANNO DOMINI M. DC. XLVI.
GEDANI,
TYPIS EDITA RHETIANIS.

RHETORISTIS MEIS,
CUM DISCENTIÆ ARDORE,
INCREMENTA STUDIORUM MAXIMA,
EX INTIMA ANIMI MEI MENTE, EXOPTO.

SIlentii mei, *mei Vos Rhetoriſtæ*, ipſius jam ſemeſtris (tantum enim effluxit temporis, ex quo in ludo noſtro eloquentiæ primario loqui non ſum auditus) neutiquam mihi hîc eſſe reddendam rationem, non opinor ſolùm, ſed planè ſic ſtatuo. Cui non nota omnia, ac præſertim è ſuperioribus? quorum quidem non juſtiſſima minùs mandata, quàm graviſſima, citra exceptionem, exſequi, nî fallor, fuit pietas.

Nunc verò, reſpiratione quaſi facta, aliùd in iter me iterum dare, ſi unquam fui, ſum animo paratiſſimo. Illud eſt, de quo, lepidè me excitandi cauſsâ, cum Pœta, ſic ferè cano:

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.

Quid autem ſermone hocce velim, cogitantes vobiſcum, quot aliquibus nobis ad Athenæum noſtrum contendentibus conficiendi ſint paſſus, vix obſcurè intelligetis. Sed certa ea ſpes, itemq; læta prorſo me tenet, vos ſimiliter, qui unde unde è diverſis bene ſpatioſæ Urbis noſtræ locis vos proripitis, eandem alacriter calcaturos viam, quæ ducit ad

Edita doctrinâ ſapientûm templa ſerenâ:

me haudquaquam tergiverſantem, ſeu (ut Comicâ phraſi utar) pulmoneis pedibus, graduq; teſtudineo, minimè utentem, comitemq; ducemq; præ oculis habentes. Par eſt, profueritq; eò vix parùm, Rhetorum parentis, Iſocratis, mente crebriùs agitare, ut hæreant, & ſtimuli calcarisq; inſtar ſint, quæ ſic ſe habent, Demonico præſcripta verba: *ne te pigeat longam viam ire ad eos, qui ſe aliquid utile docturos profitentur. Cùm enim mercatores, rei familiaris augendæ cauſsâ, tanta maria tranſmittant; turpe fuerit, adoleſcentes, excolendi ingenii gratiâ, nec terreſtre iter velle ſuſcipere.*

Sine anfractibus verò rem eloquar. Appellam me iterum, bono cum Deo, die in inſcriptione modò dictâ, ad acroaterium ordinarium, & acroaſes Rhetoricas denuo facere aggrediar. Argumentum indicatæ, auſpicii loco habendæ, eamq; ſubſequentium, iſthoc erit palmarium, ut M. Tullium, in dicendo (judice Quintiliano) cœleſtem, imò (Vellejo teſte,) cœleſtiſsimi oris, Virum, optima de nota commendem: utpote qui, à laudato exactiſſimi judicii Fabio, plurimisq; aliis cenſoribus longè accuratiſſimis, (quibus eadem mens & ſententia) jamdudum id ſum perſuaſus, vobisq; quo poſſum, omni conatu perſuaſurus; *illum ſe profeciſſe ſcire, cui Cicero valde placuerit.*

Placeret enimvero idem jam maximopere è veſtro cœtu quibusdam, ſi Virorum ſummorum ſumma elogia, qvibus illud eloquentiæ nomen exornatum ivere, longâ ſerie aliquando à me adducta, inq; clariſſimâ luce poſita, memoriâ cuſtodirent: quæ, ut ex me auribus perceperunt; ita apud illum Ciceronianarum laudum ebuccinatorem præclariſſimum, Siberum, in diſſertationibus Academicis, literarum prodita tabulis, retractare oculis non nequeunt. Placebit eodem item modo omnibus, quibus me in præſens, quemadmodum impoſterum quoq;, auſcultare volupe erit; dum, (quo de, alio tempore locoq;, pluribus attendi volo dicturus,) docturus modò ſum breviter, Marcus ille noſter Tullius Cicero quantus fuerit

& Rhetor,
& Orator,
& Epiſtolographus,
& Philoſophus;

Penè

Penè sumerem mihi ostendere, quis quantusq; (inter cœcos scilicet luscus, vulgari applaudente parœmia, pro Rege habetur) in suis Theologus exstiterit: verùm id hac vice missum potiùs faciam.

Ac, præ Rhetoricis magistris omnibus, sive, qui ante ipsum aliquo numero fuere; sive, qui post ipsum inclaruere, meritissimò palmam Ciceroni deberi, rerum gnarus nemo facilè inficias ibit; qui videlicet tam multos ejus ad nos feliciter delatos libros, in quibus dicendi, aut artes, aut artifices copiosè descripsit, paulò quidem evolverit diligentiùs, accuratiusq; expenderit. Sunt illi ad decem: etsi, tanquam incertæ familiæ, in censum non veniant ad Herennium missi quatuor; de quibus ambiguum est, Ciceronine, an Cornificio cuidam? sint adjudicandi. Videantur autem alicui duo, ut audiunt, de inventione vix inchoati atq; rudes, qui adolescentulo excidere: reliqui profectò, absq; contradictione, valde sunt politi perfectiq;, ac digni omnino ætate grandiori & usu, quem ex controversiis, quas dixit, tot & tantis est consecutus optimus omnium Patronus. Licebit, excutias ad unum omnia, tum à Græcis, tum à Latinis, evulgata eloquentiæ præcepta; invenies, nihil esse ad illa, quæ libris de Oratore tribus, nedum cæteris omnibus, comprehensa accepimus. Tantò igitur inter Rhetoricos doctores jure agnoscendus Tullius major: quantò ipso sunt cuncti, ex vero, partibus multis, minores.

Et dubitabit etiam Ciceronem salutare Oratorum maximum, qui Viri, non de parvis aliquibus caussulis, sed maximis de caussis habitas, & etiam nunc superantes, Orationes sex supra quinquaginta legerit, perlegerit, relegerit? Nulla certè mihi nominabitur perfectissimi Oratoris laus, quæ in Apelleis nostri speciminibus non eluceat. Actio ibidem solùm haud apparet, quæ, Demosthenis consideratissimo effato, præcipuè facit perficitq; Oratorem: quia carent spiritu illo, propter quem majora omnia, cùm olim agebantur, quàm, cùm hodie leguntur, visa sunt. Quantis clamoribus illa adolescens dixit de supplicio parricidarum, in Rosciana! Quàm admirabile è contrario fuit silentium, ad quod frementem adegit populum, Rabirianâ defensione! Cæterùm comprimo me in concelebrandis Orationibus Tullianis, ne extra angustarum harumce pagellarum ripas diffluam.

Quàm plurimæ verò Arpinatis epistolæ annon arguunt, non peritissimum minùs, quàm paratissimum fuisse earum componendarum Roscium? Imò ego, ex non numeratis tantùm istis (inventæ sunt, ultra octingentas, septem) sed & subinde versatis ponderatisq;, eam concepi opinionem, nullas æq; bonas probataq; exstare, multò minùs meliores: puto verò, quâ dictionem. Ex illis, præter familiarem loquendi Romanè consuetudinem, politicum negotiisq; unicè aptum sermonem facilimè felicissimeq; hauriri posse, pro explorato habeant, quibus pariter illam, pariter hunc, sibi acquirere cordi est. Et breves quidem longasq;, & succinctas æquè ac diffusas, à Consule illo simul & Rhetore accepimus literas: cujuscunq; autem fuerint generis, prorsus sunt admirabiles. Sicuti verò Oratoris eximii à Plinio (uno hoc Cicerone inter epistolicos scriptores Latinos inferiore) ducitur optima Oratio, quæ est longissima: ita ad Q. fratrem principe loco positâ, inter optimas, meliorem agnosco nullam. Quâ de, veluti & aliis, aliàs verbosiùs.

Jam enim adhæc eâ de re paululùm quoq; laborabo, ut, nemine contradicente, obtineam, magnum fuisse Philosophum, quem maximis majorem declaratum dedimus Rhetoricarum præceptionum, ut & orationum, nec non epistolarum conditorem. Aut tutemet ipse, sive philorhetor, sive philosophe, Tullii octo & viginti Philosophicos libros adi, & ibidem reperienda pauliſper tecum pensita; jubebis me, existimo, eâ operâ supersedere, quam suscipere molior, postquam tibi factum id fuerit cognitissimum, Ciceronem Platoni nihil cedere. Atq; utinam ad posteros etiam transiissent desideratissimi de Republicâ libri sex tanti tantæ Reipublicæ, pariter secundis, pariter adversis temporibus, gubernatoris! Næ verò Philosophi dignus

gnus ille est nomine, qui, quæ ad usum civium, moremq; hominum pertinent, tradit; non argutias aliquas, quas sive scias, sive nescias, nihil refert tantopere.

Nescio autem quomodo aures mihi vellicari sentiam, dum, vellicandi Ciceronis nostri ergò, hanc percontatiunculam aliquis ponit: qualis verò Pœta fuit ille cui non dictus Hylas? cùm imprimis eloquentiam suam in carminibus Oratorem destituisse pronunciaverit Seneca; Iuvenalisq; versum ejusdem decantatissimum in ridendorum pœmatū numerum aggregaverit? Sed enim sic judicantem Rhetorem destituit judicium; Pœtam modestia. Sunt, sunt exempla in mundo, quorum comparatione vindicetur à contumeliâ versus Tullianus; & testes aliquot locupletes, quorum autoritate asseratur, non Pœticam minùs Ciceroni haud injuriâ tribui posse lauream, quàm Oratoriam. Quanquam cum hominum quorundam invidiâ ita comparatum sit, ut plus quàm unâ re excellere neminem velint: quos suis moribus uti patiamur. Quid multa? quantum hoc loco oportuit, vel magis potuit fieri, evidenter satis demonstravimus, undique maximum esse nostrum, & ideo meritissimò magnificiendum.

In quo, ò mei (quàm prolata ingenio vestro assequi valuistis) mihi si adstipulamini; quod & volo vehementer, & vobis valde profuturum, sicuti & honorificum futurum est, placebit egregiè Cicero. Si placuerit autem, jam, evax! profeciſtis: id quod, ut opinor, & vos optatis, spectatisq; (optare & spectare utiq; debetis) & exoptant exspectantq; vestri.

Credite, sultis, vos: credant illi: credamus omnes, nihil constare de illius progressu in differendi facultate secundo, qui impudentiùs haud scio, an imprudentiùs? tumultuarium & insanùm mirum sermonem extrudere audet, sibi tamen visus, quòd Latinè non loquatur tantùm, sed dicat etiam; aut, qui declamationes sarcire & farcire satagit, & eas, sive qualitercunq; à se conferruminatas, sive non ita inscitè ab aliis exædificatas, ut plurimum malè, vel, si prosperè cadant omnia, quandoque bene (tanquam hypocrita impostorq; bonus) recitat: certò autem ille laudabiliter profecit, accedente moderatoris juventæ Romanæ disertissimi calculo probatissimo, cui Cicero placet. Cui verò hic placet, is eum leget: qui leget, imitabitur hoc est, cum eodem, quoad poterit, dicere & scribere, viribus omnibus, annitetur Atq; sic demum, ceu genuinus amator sectatorque Tullianus, dicendi intelligentibus placebit universis & singulis.

Quibus ut & vos, ò Rhetoristæ mei, olim aliquando placere queatis, nec non verò similiter, ex eorum ingenio, usq; & usq; judicaturo mihi; in vobis ad lectionē Tullianam, imitationemq; impellendis, nulli parcetur operæ: quando & extolletur porrò indesinenter Cicero, &, aliquo tempore, maximè arcana documenta Oratoria è Ciceronianis libris Rhetoricis eruta (quorum simul usus sub adspectum statuetur) fidelissimè vobiscum communicabuntur. Id quod me sedulò facturum esse, ut publicè alibi recepi, similiter ad amussim privatim præstabo.

De Socraticis equidem in usum nostrum revocandis dissertationibus, ad quas meos è Rhetoristis studiosiores, propositis Rhetoriscis Philologicisq; argumentis, provocare, est in animo, quicquam hoc etiam loco promitterem: sed id aliâ occasione fiet commodiùs. Valete perquam bene, flagrantissimi Suadæ Amasii, &, commodo vestro, meâ, proxenetæ, operâ promptissimâ utimini. Dab. Gedani,

Anno, à partu Virginis salutifero, 1646. die

22. Februarii,

§

MVSARVM GEDANENSIVM
FAVTORES BENEVOLENTISSIMOS,
AMATORES FLAGRANTISSIMOS,
CVLTORES DILIGENTISSIMOS,
OBSEQVIOSE OBSECRO,
OFFICIOSE ROGO,
STVDIOSE ADVOCO,
JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR;
VT
ELEGANTISSIMI,
ET
MODESTIÆ,
LITERATVRÆ,
ELOQVENTIÆQVE,
NON CVRA MINVS, QVAM NATVRA,
MAXIMOPERE DEDITI,
ANDREÆ THUROVII,
GEDANENSIS,
DE FORTVNA PERORATVRI,
CVPIDISSIME AVDIENDI GRATIA,
AD DIEM VIII. MARTII, HORAMQVE NONAM,
IN
ATHENÆI NOSTRI
ACROATERIVM MAXIMVM
CONFERRE SE HAVD GRAVENTVR;
INVITATIONI HVIC
CVM GRATIA ANNVENTES,
CVM PROTHYMIA APPLAVDENTES,
CVM OBSERVANTIA MOREM GERENTES;
EXSCRIPTÆ EDITÆQVE.
GEDANI,
ANNO SALVTIS M. DC. XLVI.
RHETIANIS LITERIS.

DECLAMATIONIS HABENDÆ ARBITRIS, QUO ACRIORIBVS, EO GRATIORIBVS,

S. P. D. I. M.

QUi ferè ſubtimidè, (quod, occaſione ſic ferente, profeſſus ſum antehac iterum atque iterum, itemque verò publicè) ad declamaturientem aliquem, in coronâ aurium oculorumq; eruditorū, honorificis precibus exoratorum, ſiſtendum, accedere in more poſitum habeo: in præſens multâ etiam cum alacritate ſurrexi, ut, quem in allocutionis hujuſce titulo leviter paucisque tradidi, jam paulò pluribus commendatum irem; quò ſcilicet audiatur cupidiùs, vel, qvòd audiri ſit dignus, judicetur æquiſſimè. Manet enim altâ mente repoſtum Pöetæ, qui & prodeſſe & delectare curæ habuit, Venuſini monitum, obſervatione, eâque accuratâ, longè digniſſimum iſthoc:

Qualem commendes, etiam atq; etiam adſpice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quendam non dignum tradimus.

Equidem factu haud adeo foret difficile, juvenculum aliquem, modò planè non ineptus ſit abſurdusq;, Oratione aliquâ, ſive à me, ſive ab alio multò meliori artifice elaboratâ, clanculum inſtruere, cumq; (ſuppoſitis planè cineri doloſo ignibus) laudis ardore accenſum fodicare & hortatibus implere, ut præſcripta verba memoriâ complecti allaboret, audeatque ſibi præfidens, & quà vocem actionemque nonnihil à nobis fictus, ê throno (ubi in altum emergens, aliquammultorum vultus in ſe converſos habebit, áque nonnemine etiam digito monſtrabitur, dicente; hic eſt ille profectibus annos antegrediens aureus Muſarum partus, qui, vix ac ne vix quidem dicendi diſſe-

rendi-

rendiq́ue præceptionibus delibatis, nondum lecto ullo autore Latino, neq; frequentatis præluſionibus Oratoriis, quæ progymnaſmata vocamus, haudquaquam item tentato varii ſermonis comprehenſionum exædificandarum opere, perſonam Oratoris admirabiliter ſuſtinet) nihil intellecta recitare: verùm ab iſtis moribus nimis qvàm abhorret profectò animus meus. Quid hoc ſtatuam eſſe aliud, quàm Rhetoriſtę, cujus rationibus quàm optimè ſit proſpiciendum, deditâ quaſi operâ, imponere? quod, ſi rectè judico, à boni Rhetoris officio & munere quàm longiſſimè ſejunctum eſſe debet.

ANDREAS verò noſter THUROVIUS ſic ſe comparatum mihi obtulit, ut, ambabus comprehenſum manibus, in cathedram Declamatoriam, periculi auſpicatò faciendi ergò, collocare ęquè tutum, ęq; juſtum, quid? quòd & debitum, fuerit viſum.

Dicam ampliùs & omne negotium palam proferam: mihi videlicet ad fidem conciliandam, tum verò eloquentiæ alumnis noſtris ad exemplum inde capiendum; taceo fore, ut eâ ex re meritiſſima Declamatoris celebritas ſponte efflorescat.

Initiò ille propoſitum aliquod ſibi ſuppeditari modeſtè petiit. Non, quòd minùs idoneus eſſet, ad arripiendum ex infinitâ rerum obviarum varietate unum vel alterum; ſed, quòd ſic effugere ſe poſſe putaret ſuſpicionem, quaſi ovis alienis incubârit, fœtum ſuum editurus: & multò verò eapropter maximè, quia ſcitè perſuaſus eſt, ſecurius eſſe, à ſubacto Rhetorici Magiſtri judicio hic pendére, quàm præcipiti admodum, qui juvenilis eſt, arbitratu ferri in argumentum, ſpecie tenus tantùm, ſive delectabile, ſive utile, ſive admirabile.

Themate conſtituto, proplaſma Declamationis conſcribendæ, ut juſſus erat, fecit, effecit, confecit, refecit. Quæ apud me in pari eſt pretio opera, cum ipsâ Orationis ſtructurâ: quin hinc longè etiam magis, ac quidem peniti-

nitiùs, Suadæ candidatos verè gnavos & ad dicendum egregiè adornatos cognoſcere poſſe mihi videor, quàm ex congeſtis quomodocunque, atq; omni ſine ideâ, Orationibus.

Poſtea, ſecundùm imaginariam illam operis excitationem, aggreſſus eſt Orationem architectari ſuam: fundamento nimirum rectè poſito, trabibus bene compactis, lateribus decenter adhibitis, hiſque calce firmiter coadunatis, parietibus incruſtatis, apertionibus ad ſua loca accommodatis, expolitis deniq; univerſis & ſingulis. Domus voce animata, die indicato, oculis auribusq; uſurpanda dabitur.

Eximia hæc utiq; fuit circa compoſitionem à Declamatoriæ fabricæ molitore mihi declarata induſtria: nec remiſſior, & eò itidem nequaquam tacendus, circa actionis, ut loquimur, meditationem conatus. Ut nihil dicam de ediſcendæ Declamationis ſtudio: in bonæ recitationis cogitationem oppidò valde incubuit, normam noſtram obſequioſè obſervans, & ad eam ſe conformandi multò ſtudioſiſſimus.

Quæ cùm ita ſe habere animadverti, ecquid in Declamatore noſtro, qui ſic undiq; bene ad opus accinctum ſe exhibuit, jure deſiderare potuiſſem; imò, quidnam alius, me aſperior exactor, meritiſſimò requirendum duxiſſet, libenter equidem geſtio accipere.
De fortunâ autem verba facere placuit.
De fortunâne? inquiet aliquis: miratus, non ſacræ minùs, quàm profanæ eloquentiæ ſtudioſo mihi, imò profeſſori, in mentem id veniſſe, ut bonæ mentis cultori ejuscemodi argumentum, ſive ipſe ſuppeditaverim, ſive ſumtum permiſerim. Annon enim religioſiſſimus Hipponenſium Antiſtes, ſanctorumq; Eccleſiæ Doctorum Alpha, contra Academicorum ſectam ſcriptos libros retra-

ctans,

ctans, hæc ad verbum candidè prolata reliquit? *in eisdem tribus libris non mihi placet, toties me appellasse fortunam, quamvis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum eventum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis, aut malis.* Itemq; idem paulò post: *Hoc etiam ibi non tacui, dicens: quæ vulgò fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur, nihilq; aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio & caussa secreta est. Dixi quidem hoc: verùm tamen pœnitet, me sic illic nominasse fortunam, cùm videam homines habere in pessimâ consuetudine, &, ubi dici debet, hoc Deus voluit, dicere, hoc voluit fortuna.* Hæc ille.

Sed tantâne opus sit religione, ut vocem aliquam planè refugiamus & reformidemus, si cæteroqui sensus significatusque sit bonus, nondum intelligo. Binorum Jovis liberorum (ut fabulantur) eodem prognatorum ovo, hoc est, Castoris Pollucisq;, nomine non abstinuit Divi Lucæ, qui actus Apostolicos descripsit, Christiana pietas, cùm navis nuncupanda, quâ vectus est aliquando S. Paulus, eam, sic etiam insignitam, conscendere nihil veritus; etsi, quid isthac nomenclaturâ notaret paganica impietas, vix ignoratum esset: ut quidni igitur fortunæ quoque vocabulo, nihil mali sonante, uti fas sit rectè accepto?

Non tamen in eâ sumus sententiâ, non: adhibendum id esse nominis, ut incertus, qualem, apud omnium rerum scientiâ potentiâq; admirabilem Deum, dari nullum credimus, ex Romuli fæcis genio, significetur rerum casus, aut, ex Stoicæ familiæ ingenio, obscura eventus caussa, quæ latenter & necessariò aliquid efficit; sed signatè fortunam nuncupamus, suo quidem modo occultam, sed aliquâ tamen etiam ex parte luculentè se exserentem, providentiæ divinæ circa omnia directionem; quam quisquis non agnoscit inficiaturve, nec hujus universitatis Rectorem summum agnoscere, sed inficiari videtur.

Quin, à Satyrico, cùm fortunæ insultavit, sic canente:

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed nos
Te facimus, fortuna, Deam, cœloq; locamus;

rem non esse omnino tactam, planè asseveramus: cùm multò rectiùs, arbitratu nostro, sensissetque dixissetque, si prudentiæ quoq; humanæ tantundem, quantum fecit,

nullatenus tribuiſſet, ſed omnia cumprimis cœleſti pronœæ adſcripſiſſet; hoc eſt, à nobis ſic dictæ fortunæ; quid dico? à nobis; à Regum ſapientiſſimo, Eccleſiaſtáque frugi, oraculum ejuſcemodi, cap. 9. proferente:

Convertens me, animadverti, ſub ſole non eſſe levium curſum, neq; robuſtorum prælium, nec etiam ſapientum cibum, neq; etiam prudentum divitias, neq; etiam ſcitorum gratiam; ſed tempus & caſum accidere omnibus his.

Tempus ſcilicet caſusq;, ibi nuncupata, ut ſemel dicamus, ſimulque abſolvamus (audiant omnes) eſt fortuna. Quorum clarè ita explicatorum haud ignarus aliquis immemorque deſinet, opinor, admirationis, de tali fortunâ audiendum Declamatorem noſtrum. Quam non in conjugiis ſolùm, dignitatibus acquirendis, conſiliis, mercaturâ, bello; ſed omni deniq; vitæ & actionum genere, utramque facere paginam, cui nunc obſcurum eſſe poteſt, niſi aut oculis, aut mente capto?

I ſis itaque, nega illam, & nega ſimiliter Deum, ejusque providentiam: culpa illam, &, ſodes, illum, item & hanc. Abſit, rem prorsùs eloquar: quod cogitare nefas, verbis exprimere execrabile.

Opto mihi ego eam fortunam, niſi ejus autori aliud videatur, in rebus gerendis usq; propitiam!

Opto eam Declamatori perennantem, quam hactenus habuiſſe conjunctam ſatis lucet, dum ſecundiſſimo utique curſu ſtudia ejus fluxere; poſtquam, non ſine prolixè favente fortunâ, primum ingenii formatorem nactus eſt, ob dexteritatem celebratiſſimum (quem, amoris cauſsâ, noto, noverint omnes noſtri) juventæ Gedanenſis, quæ Scholam Marianam frequentat, moderatorem; conſecutusq; inſuper alterum, non corporis tantùm, ſed & animi Nutritium Parentemque ſingulariter propenſum, & alios quoque in bonis literis adjutores, qui, grato laudum præconio, apud Deum hominesque, ipſi reliquuntur extollendi!

Hoc

Hoc volo: THUROVIO opto noſtro, ut mentis Patribus, ſtudiiq́ue Patronis liberaliſſimis, quâ eidem ad literarum & honoris arcem egregiè contendenti nulla contingere major poteſt fortunâ, magis magisq́; floreat!

Opto item fortunam bonam omnibus honeſti æquique ſtudioſis, ac præſertim verò pietatis, promiſſum immenſi ponderis habentis, quòd ſit ad omnia, id eſt, ni fallor, ad fortunam in hac vitâ & ſalutem in alterâ conſequendam, teſte Apoſtolo, utilis!

Opto quoq́ue ſecundam fortunam Urbis noſtræ Patribus Civibusq́ue, ut illi videlicet cautè præſint, hi modeſtè ſubjecti ſint; utriq́; autem, publicam rem & privatam feliciter adminiſtrando, aris focisq, multùm proſint!

Opto ad ultimum fortunam diu florentem Dominę, meritiſſimò effuſiſſimâ gratulatione à nobis recens exceptę, (cujus indeſinenter proſperè recordari paret) ut, Domino feliciter ſociata, fortunę connubio fruatur ſtabili; & Auguſtus noſter, cum Auguſtâ illâ, fortunam quaſi propriam ſibi dicatam habeat! Numquid enim & illę magnę Poteſtates abſque fortunâ magnę eſſe, aut magna domi foriſque efficere poſſunt?

Verbo: Valete omnes, fortunâ uſi perpetuâ; &, ſi Veſtro id fieri non nequit commodo, è cunctis ordinibus Muſarum noſtrarum Fautores, Amatores, Cultores adeſte, & auſcultate dicturum, jamque dictum, DabamGedani, Anno ſalutifero M. DC. XLVI. die Februar: ultimâ.



JOHANNIS MOCHINGERI,

ORATIO NUPTIALIS;

NVPTIAS,

FRIDERICI HENRICHSENII,

CVM

BARBARA FREDERIA,

(*QVOD DEVS JVBEAT!*) *AVSPICATISSIMAS*,

COHONESTATURIS HOSPITIBUS,

DIE FESTIVO,

Qui Erit,

VII. IDVS OCTOBR: ANNI LABENTIS, M DC XLVII.

COMITER EXHIBENDA:

QUO LEGATUR,

CUM PLACUERIT:

IMO, SI PLACUERIT.

AD SPONSUM.

Multi mirantur, thalami Tibi Fœdere jungi,
Sponſe, (breve ut faciam) tanto Præconſule natam.
Pace Tua, hæc rimabor ego, & myſteria pandam.
Muſa, mihi cauſſas memora, quo nomine factum?

ORATIO:

QVA

CELEBRATVR JVSTITIA, FIDESQVE;

DEI TER OPTIMI, TER MAXIMI,

QVI

FRIDERICI HENRICHSENII,

(CÆTERA ITEM CONDECORATISSIMI)

EXIMIÆ IN PARENTEM PIETATIS STVDIVM,

EX PROMISSO, EST REMVNERATVS:

DESTINATA EI TRADITAQVE,

IN BEATÆ SOCIETATEM VITÆ

ET OBLECTAMENTVM,

VT MVLTO ORNATISSIMA VIRGINE,

ITA PATRI OBSEQVENTISSIMA,

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI,

DN. HENRICI FREDERI,

INTEGRITATE, ERVDITIONE, ELOQVENTIA,

INQVE PATRIAM MERITIS,

NOBILISSIMI PRÆCONSVLIS,

FILIA PRIMOGENITA,

BARBARA:

(BENE SPONSVM! BENE SPONSAM!)

IN DIVINI POTIVS NVMINIS LAVDEM,

QVAM HVMANI NOMINIS,

SCRIPTA,

TYPISQVE RHETIANIS,

GEDANI,

ANNO MDC XLVII,

EXSCRIPTA,

NUnc igitur ſi & oculis & mente Oratiuncu-
lam præſentem delibare volupe eſt, non
hanc minùs intentam, quàm illos (hoc agite,
ſultis) adhibeamus paululùm. Vix lude-
mus operam. Neque tantiſper hic detine-
bimur, quàm diu, in convivio nuptiali, hilarè
accubuimus, ab umbilico dimidiatum comburentes diem.
Cujus ſit præceptum ſanctiſſimum, cujusque ore fuerit primò
prolatum, digitoque deinceps, atque adeo bis etiam, ſapphiri-
nis tabulis, aut certè precioſioribus, inſcriptum, hoc inquam:
Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut prolongentur dies
tui, & bene tibi ſit in regione, quam incoles: novimus omnes
ac univerſi, idemque, ab uberibus depulſi maternis, ſalutiferæ
lac doctrinæ combibentes, hauſimus. DEI illud videlicet eſt
Patris, cœli terræque Domini. Mandati verò iſthujus tam cla-
ri pârtem alteram, quâ præſcribitur officium, acriter inculca-
vit, Patri cœleſti Filius ſimilis naturam, & terreſtri parente
dignitatem ſuperior infinitis partibus, utrique verò ſine exem-
plo, in exemplum, obſequioſiſſimus, Dominus noſter, DEus.
Homo, JESUS CHRISTUS; alteram, quâ deſcribitur bene-
ficium, hujus & illius, Patrisque & Filii divini, ſervus efficaci-
ter urſit, magnus PAULUS. Ille ad Phariſæos: mandavit e-
nim DEUS, dicens: Honora patrem tuum & matrem: hic
ad Epheſios: Honora patrem tuum & matrem; quod eſt præ-
ceptum primum, cum promiſſione. Signatè verò jubetur, ut
genitricem non minùs obſerves, quàm genitorem. Ab utroque
enim parente ſimul vitæ primordia accipimus. Ac, quia matris
honorandæ cum patris eſt nomine nomen conjunctum, mone-
mur procul dubio, quòd alterutrius dignitas & honor, eodem
in gradu, curæ eſſe debeat liberis. Niſi fortè, aliquo reſpectu,
(non quidem annuente incomparabili juſtiſſimâ Majeſtate, ſed
Tyranno nonnemine approbante, ut ob crudelitatis ſpecimen
quoddam longè nobiliſſimo, ſic ob animi magnitudinem, & in-
genii acumen celebratiſſimo, Agrigentinorum Rege,) major
debetur matri, quâm patri, reverentia; penſans ſcilicet quo-

modo-

modocunque amorem maternum ferventiorem, & solicitudinem frequentiorem. Sic enim ad Paurolam suum Phalaris perscribere non duxit non æquissimum: maximè utrumque parentem, fili mi, amare te decet, & plurimi facere. Filio namq; & pium est, & honestum, ut genitorum, &, qui in eum tot beneficia contulerunt, recordetur. Quòd si in altero ab officio desistendum sit, patrem potiùs, quàm matrem, negligas oportet. Non enim paria tibi sint, & patris & matris, in educatione filiorum, officia: sed hæc quidem, cùm eos tulerit pepererit, educárit, innumeros quoq; alios pro his subit labores. Ille autem, cùm à matre sit educatus filius & adultus, non minùs ejus se fructum promereri arbitratur, cùm nihil in ejus educatione molestum tulerit. In quem sensum si argutari nobis quoq; sic visum esset, advocare haud incommodè possemus, in præsidium, illa D. Petri verba, alio equidem, at non usq; adeo tamen dissimili, prolata fine, quæ in hanc se habent sententiam: vasi muliebri, ut infirmiori, tribuatur, aliquo cum studio honor suus. Sed nusquam sanè DEUS sapientissimus, apud quem personarum habetur ratio nulla, fuis in Pandectis, sic discrevit pietatem erga parentes; quin utrosq; æquali vult honore affici, hoc est, patrem quasi materno, & matrem quasi paterno, atq; hanc & illum, utpote geminos, gemino. Quod verò Numen tam diserto effato genti suæ, in peculium electæ, intimavit; hoc gentibus omnibus arcano afflatu inspiravit naturæ lumen, illis dictans, quod Solon, inter septem ævi sui sapientiâ longè notissimos minimè postremus, præclarè edixit: Deos honora: parentes (utrumque, tanquam digito, commonstrans) reverere. Unde Chæronensis item Sophus, omnium veluti ore ac consensu: omnes, qui sapiunt, hoc dicunt, átque canunt, secundùm Deos, primum, honorem ac præcipuum parentibus (parentibus ait) naturam, & legem naturæ, destinasse: neq; Diis quicquam gratius homines facere, quàm si parentibus, alumnisque suis, veteres, super novis, fœneratas gratias benignè & alacriter persolvant: neq; contrà majus est argumentum impietatis, quàm parentum despicatus, & in eos injuriæ. Itaq; interdictum est nobis, ne aliis malè faciamus: matri autem & patri

non ita ſe dare, ut ſemper ea dicas atq; agas, quibus lætentur, etiamſi moleſtiam præterea nullam afferas, impium, injuſtumque habetur. Quibus tamen præclarorum hominum judiciis, matris honorem, præ paterno, tantopere exigi, nihil eſt adeo mirum, cùm & ipſe Dominus DEus, ſive Deo plenus, Moſes, conſideratè (quod dubitare nefas) matris venerandæ nomẽ nomini patris præpoſuerit, quando dictum eſt in libro ſacerdotali: Quisque matrem ſuam (ſic primæ ſedis dignitate manifeſtè cohoneſtata eſt mater) & patrem ſuum timetote. O itaque ipſum amore & honore, non parentum tantùm, ſed nullorum non, digniſſimum filium, voci, DEI, naturæ, ſapientumque, imò imperio morigerum, qui loqui, in pueritiam & adoleſcentiam ſuam recordatione regreſſus, ſic poteſt, teſte DEO, naturâ, ſapientibus: Parentibus meis parui, ceſſi, imperio eorum obſequentem ſubmiſſumq; me præbui. Ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer! Nullâ vi verborum (quemadmodum pronunciat ſummus, è Romanis, morũ arbiter) nullâ ingenii facultate exprimi poteſt, quantum opus ſit, quàm laudabile, quamq; nunquam à memoriâ hominum exiturum, poſſe hoc dicere. O illum utiq;, non Salomonis, non Solonis, ſed Hebræo & Græco ſapientiam qui contulit, ut omnibus vitam, & aliis atq; aliis, cum famâ, felicitatem; ſupremi Domini ſuffragio, beatum! Qui etiam manu ſuâ conſcriptam pollicitationem dedit, ſe ſuum mandatum de ſuſpiciendis parentibus exſequenti, & proſpera omnia, & proſperorum uſum diuturnum, hac in vitâ prolixiùs extensâ, elargiturum. Sic etenim (quemadmodum Jureconſultus noſter Chriſtianus, Paulus, ſermonem ejus effert) benigniſſimè ait: ut bene tibi ſit, & ſis longævus, ſuper terrâ. Cujus jam laudati noſtri Doctoris, ſuper iisdem verbis divinis, eſt ſingularis illa animadverſio, ſvavitatis ergò inferenda; illa, inquam, noſtrâ animadverſione quæ multò eſt digniſſima: Præceptum iſtud, inquit, de patris matrisq; honore primum eſt, cum promiſſione. Intelligere autem hic oportet, cùm promiſſione clariſſimè additâ. Ita, ut admodum hinc diluceat perſpicuè præcepti hujus ſumma eminentia, quippe quòd obſervationi ejusdem eximiè aſſignetur feli-

felicitas, &, quæ hujus apex est, longævitas, de cætero commune omnium mandatorum custodiæ designatum brabeum. Cùm autem hoc primum esse, cum promisso, præceptum ait Apostolus, ni fallor, ad secundum illud, quod est de dimissione matris alitis, in nido repertæ, acceptis ejus solùm pullis, altero oculo videtur respexisse, utpote, sub eodem longæ vitæ præmio, expresse populo commendatum: annotantibus hodie-Hebrææ gentis Magistris, quòd illa sit è gravissimis, hęc è levissimis (si ullam dicere fas est talem) divinis legibus, cùm tamen, utriusque causâ, se pactione obligarit DEus, quòd velit eas non neglecturis concedere in longum progressam ætatem. Verùm, cùm suo sermone, hoc est, Hebraico, auditur verba facere Jehova, non possumus aliter statuere, quàm, quòd sępiùs acceptam promissionem fàciens hoc innuat, fore, ut ipsimet genitores (divino, quod per se liquidum est, auxilio) amplificaturi sint annos & commoda eorum, qui, secundùm mandatum, se coluerint. Enim ex tabulis fideliter transscripta & recitata verba Legislatoris sic sonant: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut prolongent (ipsi puta) dies tuos, super terrâ illâ, quam Jehova, DEus tuus, dabit tibi. Papæ! Admirabiliter! Sed, ut omnia, sapienter, utq; nihil meliùs. Constantia omnia mandata Domini, fulta in seculum, inq; ęternum, factaq; fideliter & rectè: sicut dignè eadem ebuceinat sceptroque plectroq; inclytus pręco. Quorum nimirum ope nobis vivere dedit, eos dignatur constituere, ut bene & diu vivere addant. At quomodo? fovendo, crede, nutriendo, educando, informandoq; in præceptionibus divinis (unde salus & vita certa;) &, verbo, pro liberis, facientibus officium, orando & precando. Namq; tum vota seria, & studia ist hæc omnia, certò consequitur omne genus bonorum. Quod animo planè volvisse videtur Judaicus scriptor, Sirachidę nomine satis cognitus, cujus hoc est pronunciatum, veluti ex tripode: Patris bonum omen fulcit domos liberorum; malum matris labefactat. Ejusq; ista dictio valde sic tinnuit graphicè, adhibito scilicet illo lingvę patrię proprio, qui à domus architecturâ depromtus est, loquendi modo, quô generisq; fortunarumq; omnigena pro-

sperí-

ſperitas denotatur: Moſe ſimiliter tradente, quòd obſtetricibus Ægyptiacis, Hebræorum DEUS, cujus fuere magis reverentes, quàm Regis ſui, nolentes eos evitare, quos in vitam educere proprium erat munus, ædes ædificârit, hoc eſt, maximo eas bonorum quorumlibet cumulo, cum vitæ quoq; uſu bene & longùm fluente, beaverit. Quantum igitur, varia per media, omnipotens in mulieres iſtas obſtetricantes contulit; tantum idem, parentum ope, liberis obſecundantibus tribuere inſtitutum habet, ex promiſſi ſui nunquam abrogandâ lege. Quæ cùm ita longè certiſſimè ſint comparata, ut accepimus modò percepimusque, nullus poteſt utique mirari, eam felicitatis ſummam, quæ inter univerſam temporis hujuſce, poſtquam à legitimis natalibus, educationeque bonâ diſceſſerimus, citra controverſiam, eſt maxima, jam-Sponſo obtigiſſe; cùm eidem, ſupra videlicet exſpectationem omnium opinionemque, illa ceſſit Virginum in matrimonium, quæ, ſicuti plurima & ſumma bona, ita paucis his ſolùm verbis, ut quitum eſt, complectenda, Parentis nempe auctoritatem, Matris virtutes, Deique ſimul benevolentiam (benedictionem vocamus homines Theologi) præter dotis ſortem, mariti in domum inferet; niſi, qui aut oraculi immemor eſt divini, aut ignarus officii ab HENRICHSENIO, ab ipſis teneris ungviculis, ad hunc usque ætatis ſuę decurſum, venerabili matri præſtiti ſanctiſſimè. At DEus preſertim, cùm preceptionis, tum pollicitationis palam factę optimè conſcius, hoc preſtitit, quod ipſi placitum fuit, in ſui videlicet laudem ſempiternam nominis, & omnium ſibi obſequentium acrem incitationem. Rectum enim eſt verbum Jehovę, & omne opus Ejus conſtans. Amat juſtitiam & judicium: benignitate Jehovę plena eſt terra. Enimvero attendit ille & audit, atque conſcripta ſunt omnia in commentario, coram ipſo, in gratiam nempe timentium Eum, & Ejuſdem de nomine cogitantium. Hi erunt (ait ipſe) quo die id confecturus ſum, peculium meum, & clementiâ utar erga illos, quemadmodum aliquis filium ſuum benevolentiâ proſequitur, qui ſe colit. Eſt, eſt mendax homo omnis. Non eſt DEus autem homo, qui mentiatur, aut hominis filius, quem promiſſorum

pœni

pœniteat. An diceret aliquid, quod non faciat? An loquatur quicquam, quod non præstet? Absit. DEO igitur, ob veritatem, debetur gloria meritissimò: hominibus, ob falsitatē, ignominia. Laudemus, quoad possumus, Eum omnes, quia invalescit mirum quantum super nos benignitas Ejusdem, & veritas Jehovæ in seculum. Bonum est confidere potiùs Domino, quàm ipsis principibus. Ille veritas; hi vanitas. Quibuscunq; charum est Numinis nomen, addent (credibile est) se nobis hoc nomine debitè id extollentibus. Neque vereor adhæc dicere, matrem sponsi tam studiosè à filio observatam, utpote quæ nec læsam se esse vultu meminit, nec incautâ violatam figurâ, fabricasse suo fortunam isthanc, vel, cum homine sapiente ut loquar, ædificâsse domum, aut, cum DEO longè sapientissimo, sic modò felicitasse nati dies, quos magis magisq; de reliquo est, cum Numine, productura. Illa equidem, superstitiosarum nutricum & materterarum exemplo Romanarum, Fridericum suum neutiquam,

nunc Licini in campos, nunc Crassi misit in ædes: Sed pietaticultrix sedula, apud DEUM, sic, pro ipso olim educando, vota fudit: non ego mater, vitam filio præcipuè dedi: Tu feciſti, Domine, vitæque ejus mortisq; arbiter, qui & meæ ipsius fons es atq; autor vitalitatis. Qui itaq; largitus es, ut, sub præcordiis meis bene formatus, nasceretur honestè, fac, quò, sanctè renatus, informetur haud malè, vivatque honoratè. Tum sic pro peregre mittendo: Amores mei, sangvis meus, meo ex conspectu abit, Domine: redeat, quæso, iterum aliquando sub aspectum meum, meum delicium, columenq;. Accedat foris ejus culturæ multum, benevolentiæ apud DEum plurimum. Sic demum pro reverso: satis vixi, filio meo ad me domum feliciter recepto. Hic ille jam est Ascanius unicus, quo in omnis mea stat cura. Quanquam, ut mater sum, ita aviam fieri luberet, sed nonnisi (si fas est optare) æquè felicem, qualis sum mater. Utinam itaq; meus ille vitæ sociam tempore inveniat, sibi voluntate & pietate erga me parem! Tu, Domine, sis, facito, qui id ore Davidis recepisti, inquiens: Beatus quisque timens

væ, quiq́; in viis Ejus incedit. Labore manuum ſuarum paſcetur. Beatus, beneq́ue ipſi erit. Uxor vitis fructiferæ inſtar erit, ſurgentis ad domûs parietes: filii menſam ejus cingent, inſtar plantarum oleaginearum. Benefaciet ei Jehova è Zione, & fruetur bono Jeruſalem, omnibus vitæ ſuæ diebus, & conſpiciet natos è filiis ſuis, ſerosq́; nepotes, pace ſuper Iſraëlem florente. Sic, ſic optima mater, matrona pientiſſima iterum iterumq́; eſt precata. At verò, quid jam ait illa, à propitiâ Cœli providentiâ exauditis precibus? Agit (pro certo affirmo) gratias, quas poteſt animo concipere, & ore eloqui, plena gaudii, &, exoptatiſſimum in modum, beneficiis mactata divinis; impar ſum, ait, mi Domine, mi Benefactor, omnibus benefactis tuis. Omni prædicatione meâ major eſt fides Tua, quam declaraſti ancillæ tuæ. Implêſti laudem Tuam abundè, quæ de Te perſonat meritiſſimò, quòd orborum ſis tutor, judexq́ue viduarum. Superaſti vota mea, &, quæ nec auſa fui petere, adjeciſti. Jam, extra ſolum, in polo me hic eſſe mihi videor, ultra votorum meorum metam progreſſa: ut in cœlo Tecum ſim ſemper ultramundano, quando ita bonitati Tuæ & ſapientiæ fuerit viſum, oro obſecroq́ue. Ita meis porrò ſit, hac in vitâ, poſt mea etiam fata, diu benè: ſit etiam illis olim optimè, in altero ævo, perpetim & in æviternum! In meis, dico, Tuâ ſic diſponente pronoeâ, gratiſſimo equidem animo numeratur modò futura illa filii mei conjux amabiliſſima, meaq́ue nurus chariſſima. Quam, Tuâ item adjuvante gratiâ, habeam ſocrus ego (obteſtor) talem, qualis fuit erga Patrem filia: talis habeat Socer generum, qualis fuit erga matrem filius, propter obſequentiam, hic ſuaviſſimus, illa dulciſſima! Fiat, Domine DEus! Fiat! Tui in timore amoreq́ue vivamus & moriamur, Pater, mater, liberi, Socer, ſocrus, gener, nurus, omnes adunum gratioſi, propter illum pergratioſum, qui homo, ut Tibi fuit obædientiſſimus, ita & dilectiſſimus! Fiat! Gratulemur enimverò bonæ fœminę, Hoſpites, omnibus tantis lætitiis onuſtæ, & faveamus faventem tantopere DEum nactæ. Gratulemur ſimiliter quibuscunq́ue, quos hæc tangunt, quæ modò tetigimus. Attinet, decet, juvatq́ue hoc agere. Attinet:

quia

quia cives ſumus non parvæ tantùm hujus Urbis, Gedani jucundiſſimi, ſed alterius multò majoris, quem Orbem vocant, imò (ut ſpes eſt) multoque maximæ, Cœli nomine ſe commendantis. Decet Chriſtianos, quibus nempe dictum eſt, præſcriptumque: Gaudete cum gaudentibus. Juvat: ſiquidem idem nobis eveniet, ſive pauciores inter, ſive plures, degentibus, & volente Deo, & valente parœmiâ illâ: quâ menſurâ metimini, vobis itidem menſurabitur. Et, ut nemo homo ſanè eſſet (etiamſi plurimos exiſtere apud nos pietatis amicos, & boni æquiq; æſtimatores, nullus ambigo) ego iſtud exſequar, ex animi mei mente planè intimâ. Gratulorq; inprimis Sponſæ Patri, Præconſuli, jam publicè, occaſione ſic ferente, (ſit ſerò, at ſeriò) honores omnes illos ſingulares, honorumque, quibus grati animi ſtudioſa Patria eum eſt dignata, faſtigium & colophonem: hoc adjuncto ſincero voto, ut, quantam is, ex felici plurimarum civitatis rerum adminiſtratione, obtinuit nunquam expetitâ autoritatem publicam, tantam, ex filiæ deſponſatione bene auſpicatâ, capiat voluptatem domeſticâ, ſemper deſideratam. Gratulorq; ipſi valde in præſens, ob privatum generi erga ſe ſtudiũ, filiæ obœdientiæ nihil ſanè ceſſurum. Gratulor item Sponſi matri de filii officio experto, & nurus cultu certè exſpectando. Gratulor porrò liberis, DEOque & ſibi mutuò charis, nuncque (feliciter!) deſponſatis, propter indubitatum obſequii filialis præmium, hoc eſt, divinam benedictionem, in omni hac, eâque longâ & beatâ vitâ, illâque potiſſimùm alterâ, cùm longiſſimâ, tum beatiſſimâ, ſecuturam. Gratulor ſigillatim Sponſo, de impetrato, cum Sponſâ florentiſſimâ, Socero humaniſſimo. Gratulor ſeorſim Sponſæ, de adeptâ, cum Sponſo flagrantiſſimo, Socru facillimâ. Abſolvam: gratulor, ad ſummam, Vobis, Pater, mater, liberi, Socer, ſocrus, gener nurusq;, felicitatis Veſtræ temporariæ jam acquiſitam poſſeſſionem, precorq; æternæ tandem acquirendam. Ac, quod reliquum eſſe videtur, noſtrâ quoque omnium gratiâ Lectores, ut ſimiliter & nobis conjugatis, qui liberos ſuſcepimus, & con-

ju-

ugandis, qui ſunt habituri liberos, & iis, qui liberorum etiamdum ſunt in cenſu, ſic beatis eſſe detur, quemadmodum judicamus eſſe laudatos; voveo, opto, exopto. Is nunc ſcribens Orator eſſe volui: ſumma velit poteſtas, ſim exorator! Velit!

Iterum ad SPONSUM.

INvidia hinc Tibi non naſcetur, ſpondeo, Sponſe:
Nam nequeunt tactæ livorem accendere laudes.
Non arcam, non mentis opes, non ſtemmata longa
Dixi: ſed ſanctum laudavi matris honorem.
Scilicet hunc curent quorundam pectora cœca!
Sic autem placuiſſe DEO, vel maxima laus eſt.



GEDANENSES
ORDINVM ATQVE DIGNITATVM OMNIVM,
VIROS,
POLITICOS
ECCLESIASTICOS,
SCHOLASTICOS,
CIVICOS;
URBIS ARBORETVM NOBILISSIMUM;
VIROSQVE JUVENES,
SEMEN CIVITATIS ET FLOREM;
ADOLESCENTESQVE
LITERIS CONSECRATOS
LYCEI NOSTRI SVRCVLOS;
HONORATISSIMVM,
DILIGENTISSIMVM,
AMICISSIMVM,
CVPIDISSIMVM,
IN MODVM ET MOREM,
EA CAVSSA,
ORATVM IN PRÆSENS VENIO,
JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR:
VT
JOHANNEM MöLLERUM,
SIMVL MEDICINÆ, SIMVL ELOQVENTIÆ,
E PAVCIS, STUDIOSISSIMUM,
DE VALETVDINE TVENDA,
DECLAMATIONEM,
EX THRONO ORATORIO,
ATHENÆI NOSTRI GEDANENSIS,
IN AUDITORIO MAXIMO,
DIE 24. OCTOBR. VERGENTIS, ANNI M DC XLVII. HOR. IX.
VIX CVM FASTIDIO,
(VT NOSTRA QVIDEM FERT CONJECTVRA)
IMO NON SINE APPLAVSV,
PRONVNCIATVRVM;
DESIDERATISSIMÆ,
EXOPTATISSIMÆ,
GRATISSIMÆ,
PROMPTISSIMÆ,
HONORE DIGNENTVR AUDIENTIÆ.
DENT SE, QVÆSVMVS, NOBIS,
HÆC PRODENTIBUS
E MUSEO NOSTRO,
ET EDENTIBUS

EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.

NOSTRA ISTHÆC PORRO LECTURIS, AVDITVRISQVE DEINDE DECLAMATIONEM, S. P. P.

CUm ſapientiæ omnivariæ promo condoq;, Plutarcho, ſic ſemper ego ſtatui: eſſe duo iſta, & prima & maxima, cùm audire, tum audiri. Quam quoq; eſſe exiſtimationem intelligentium univerſorum, & bene conſideratorum, dubito nullus. Namq; minimè homines omnes, aut rectè parati ſunt, ut, commodo ſuo, audiant, aut, ut meritò audiantur, benè periti. Non verò hîc inſiſtam, dictis fidem facere, ab iis, qui manum ferulæ ſubduxere, petito exemplo, ſed, quos partim nobis eſt curatio, à junioribus Quiritibus. Oppido pauci eorum apti audire; audiri digni pauci. Et hoc nomine,

Rari quippe boni; numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Qui idem ipſe verborum modò allatorum autor, non è poſtremis, Poëta, quemadmodum de ſe:

Semper ego auditor tantùm? nunquamne reponam?
Vexatus toties rauci Theſëide Codri.

Ita aliqui profectò nunquam auditores, vel nimis quàm infrequentes, inepti, ridiculi, moleſti. Acroaſin ſubeunt perraro, ſui unius autoris, triumve vel quatuor, quos habent notos, privatâ ex lectione multò ſe poſſe majorem & uberiorem horæ bene collocatæ fructum metere, perſuaſi. Audiendi tamen ſtudioſus erat Epaminondas (teſte, ſive Nepote, ſive Æmilio Probo, probo utiq; autore:) ex hoc enim facillimè diſci arbitrabatur: contrà autem hi, quos tangere cœpimus, in auſcultando ſunt negligentes; utpote ex quo, aut tardè, aut nullo tempore, profectus aliquos ſe opinantur facturos. Aut hi, ſi honoris cauſsâ veniant auditum aliquando, librum afferunt ſecum, ſed ab acroaſeos ſcopo tam alienum, quàm qui eſt maximè; cujus nempe inſpectione expungant ſuperbæ auſcultationis nauſeam, ſarciantq; (ſicut videtur) jacturam temporis. Quid de illis dicam, corpore, quod videtur, præſentibus; animo

animo, qui non videtur, imò etiam videtur absens, absentibus? Animadvertere enim satis datur, ex vario & inconstanti trunci motu, nec conformi attentioni intendendæ, vel evagaturam illico mentem, vel jam esse in peregrinatione. Sic quoq; semel atq; iterum vidimus invisum nobis (credimus, & Musis) frustum hominis insidere scamno, non minùs lignei, quàm ipsum scamnũ. Apparebat namq; oculis, auribus, mente captus homuncio. Ne memorem alios, qui assessorem importunâ ac nugatoriâ allocutione aures occupant, dum suas sibi insulsè negant. Qui nihilominus omnes, auscultationis operæ, vel nunquam, vel parùm fideliter navatæ impatientes, reponere gestiunt, proponereq; hoc est (quod alterum, è suprà dictis, est maximum) audiri. Indorum gens, Panotii, (fides sit penes auctores) adeo grandes dicuntur habere aures, ut se iis, tanquam pallio, contra omnes aeris injurias, involvant, muniantq;. Quã dem esse fabulã: at velim certè, nostros auditores esse totos auritos, vel planè aures, quæ animo neutiquã sint cassæ. Idq;, quemadmodum illi sibi toti videntur Oratores, imò ora: cùm loqui, differere, disputare, perorare audent, antequam, suo cum aliquo emolumento, diu multumque audivere loquentes, differentes, disputantes, perorantes Quorum opinatio næ valde discrepat à Plutarchi, & nostrã: ac quid dico, illius, aut nostrâ? sapientum verò etiam universorum & singulorum; his (ut accepimus) magnum judicantibus audiri, illis nonnisi exiguum & parvum.

Absit tamen, sic omnes disciplinæ nostræ alumnos delirare. Et certè adeò longè abest, universos tam crassum errare errorem, ut unus & alter culturæ egregiè

patientem commodet aurem.

Sicuti præsertim, quem modò producimus, publicæq; notitiæ tradimus, ex illorum notæ melioris est numero, JOHANNES MöLLERVS. Qui ut fuit utique docentes audiendi, suo instinctu, à teneris cupidissimus: ita dicentium periculum nunc adire, nostro hortatu, sumsit fiduciam. Testem

habet ille ſui erga audiendum ſtudii, notiſſimum Scholæ noſtræ MarianæConrectorem, qùo eſt uſus primùm informatore longè utiliſſimè. Deq; eodem Möllero geminum perhibere teſtimonium ſicut occaſio commoda ſe mihi obtulit, ita omninò inclinata eſt voluntas. Quid? qvòd & ſuæ laudibus digniſſimæ induſtriæ gaudeat adhuc alio præcone, è Collegis videlicet honoratiſſimis, multùm honorato, D. Eichſtadio. Utpote cui ſe maximè applicuit, quia animus ipſius flagrat amore Mathematum & Medicinæ: cujus utriusq; literaturæ, facili & felici connubio copulari aptæ, dictus amoris cauſsâ ille noſter, eſt Profeſſor (quod publicè notiſſimum teſtatiſſimumq;) dignisſimus, ſi quisquam. Auguror inde, atq; adeo polliceor Patriæ, parenti adoleſcentis, adoleſcentiq; ipſimet, fore haud dubiè, ut benè vertat hæc diſcipulo cum *Præceptore tali* conſvetudo. *Zenonem Cleanthes, cum tempore*, exprimet non leviter. Magiſtri diligentiſſimi diſcipulus diligens diligentiam ſibi comparabit; cujus gnaviter ſtudendi obſervavit rationem. Magiſtri modeſtiſſimi moribus adſueſcet modeſtus diſcipulus, cujus vitæ interfuit. Magiſtri doctiſſimi doctrinæ amans diſcipulus eruditionem combibet, ſi neqveat exhaurire; cujus ſecreta in Matheſi & Medicinâ perſpexit. Bene utrumq;!

Cæterùm, utcunque non ignoret Möllerus noſter, ſic ſcripſiſſe magnum Orbis in vitâ rectè inſtituendâ Pædagogum, Senecam: non quærit æger medicum eloquentem, ſed ſanantem: non duxit tamen eloquentiæ artem ſibi penitus eſſe miſſam faciendam, poſtquam alteri medicinæ faciendæ ſe addixit. Cùm itaq; illam nos hîc profitentes audiviſſet, accenſus eſt magis magisq; amore ſtexaminæ. Nos ignem iſtum non gladio (quod proverbio vetatur) fodicavimus; ſed quaſi flabello non minùs jucundæ, quàm gravis exhortationis, excitavimus & auximus: admonentes, ut, cùm valde, antè aliquot annos, nobis probatum eſſet ejus tyrocinium, quod edidit in recitatione alicuj9 declamatiunculæ, intra ludi ſuprà nuncupati parietes habitæ, dicendi ſtudium haud planè deſereret,

ed, & suimet ipsius in valetudine conservandi ergò, & alios etiam restituendi caussâ, cùm alius generis pharmaca non sunt juvando, quomodocunq; ei se assereret.

Quâ gratiâ dent mihi (amabo) veniam Medici corporum, si, præter eorum facultatem, & nostram quoque (non autem de divinâ illâ loquor, à quâ, sine dubio, vera salus animæq; corporisque pendet, sed alterâ, quam, Deo sic volente & Diis, item tractamus) sive ad tuendam, sive ad restituendam valetudinem non parùm aliquando facere, hoc loco, palam edicam. Namq; experimentis, quibus, & ipsi, & nos omnino omnes, ni fallor, tutissimè credimus, res est contestata. Quæ ego paucis tantùm perstringam: utpotè plurimis jam cognita, modò regressi pauliſper fuerint in memoriam. Audiatur enim Tullius, in Bruto, de se recensens; quomodo, ut ut suaserint Medici, ne causſas ageret, quia in eo erat juvene summa gracilitas & infirmitas corporis; qui habitus & quæ figura non procul abesse putatur à vitæ periculo, si accedat labor & laterum in dicendo necessaria contentio; ille tamen, nolens sperată dicendi gloriâ carere, in Asiam sit profectus, & post multas Athenis susceptas declamationes, biennio pòst reversus fuerit in patriam, mutatus valdè, cùm & lateribus vires, & corpori mediocris habitus accessisset. Qui noster ille Marcus, annon clarè sic edisseruit, se exercitatione multâ oratoriâ confirmatum, aut emendatum in valetudine? Et quid mirum? Multiscius Chæronensis, in libro de sanitate, expressè ait: Quotidiana dicendi exercitatio mirum quantùm valet non modò ad valetudinem (quid clarius?) verùm etiam ad corporis vim atque robur. Cujus rei non ignarus, ut plurimarum itidem gnarus, de suâ memorat vitæ consvetudine, Plinius secundus, qvòd in Xysto obambulans lectioni crebrò vacare soleat, hoc est operi eloquentię, non scilicet tam vocis caussâ, quàm stomachi, dum pariter hic, & illa firmaretur. Prętер quę verò illud etiam restat narratione certâ confirmatum dare, aliquem adeo eloquentię ope

con-

convaluisse, valere jussis valetudini reddendæ frustra operantibus. Is verò non est è grege quispiam, sed Rege non uno multis virtutibus superior, Rex Arragoniæ, Alfonsus, qui, cùm gravissimè decubuisset, & multa incassum adhibuissent Medici, ad Curtii lectionem se contulit, indeque paulò post meliùs habens dixit: Valeant Avicenna, Hippocrates, cæteriq;: vivat Curtius Sospitator meus! Non me autem fugit: non: qui historias nobis commendant & historiarum scriptores, hoc uti exemplo, sui instituti caussâ: sed, quid vetet id nostrum ad propositum item trahere, video utique nihil. Quantum enim prodest gestorum narratione Alexandreorum is ipse autor; tantum, si rectè judico, delectat certè sermonis sui floriditate. Et, annon hâc, quàm illâ potiùs, vel magis utrâque medicinam ægro attulisse, verisimile fiat? judicent, quibus mens est, in corpore sano, sana. I tu verò, qui animi laboras morbo, & mirare, à me dictum, quòd corpori sanitatem præstet eloquentia. I item & dic, sis, sine exceptione, quòd medicus benè carere possit dicendi vi & gratiâ: qui (quod multis assertum ire possem, si id hujus esset loci) & sibi ipsi possit certus esse Medicus quandoq;, & aliis, si sit facundus tempestivè. Tempestivè, ajo: nam intempestivè loquacem ægritudine facilè largiar esse graviorem & acerbiorem.

Sed revertor ad Möllerum, qui non fraudandus est ulteriori suo encomio, quòd Medicinam quidem, tanquam facultatem principem, elegerit, eloquentiam tamen nolit negligere, tanquam sibi nihil nocituram, imò, si fata volent, & sibi & aliis fortè, suo tempore, auxiliaturam. Igitur cùm ille amoris erga dicendi copiam & venustatem ex nostro sermone conceperit ardorem indies majorem, flammam citiùs potuit ore comprimere, quàm non fateri, ardere se, ut iterum periculum faciat virium ad Suadam pertinentium, in convocatorum aliquâ auditorum lectissimorum coronâ: dum modò ei

animos

animos magis magisq; adderem, & gressus dirigerem ad conscendendum alacriter Cathedram Oratoriam. Quo ab eo accepto, non usus essem meo more, si tergiversatus multùm fuissẽ. Argumentum igitur artibus suis proprium inspiravi, compositam declamationem limavi, pronunciationem conformavi. Ille se profectò in omnibus docilem & obsequentem, ad votum nutumq;, præbuit. Ita eum nunc sisto, quem (ut spes est) pro solitâ vestrâ benevolentiâ primùm audire; dein mecum (si merebitur) amare & ornare non gravabimini, quos in fronte hujus allocutionis, pro dignitate vestrâ & meritis, rogavi, & etiamnum denuo rogatos volo: illo addito adhuc, multa paucis complectente, voto: Valete audituri, sultis, quid sit valetudinem tueri? Dabam, Gedani, Anno recuperatæ, per Christum, salutis MDCXLVII.
XVII. Calend. IXbris.



CURIARUM,
ECCLESIARUM,
SCHOLARUM,
FAMILIARUM;

QVATVOR ORDINVM

SANCTISSIMORUM OMNIUM;
PATRES, LITERIS FAVENTISSIMOS;
ET CVPIDISSIMOS LITERATVRÆ FILIOS;
VNIVERSOS AC SINGVLOS;
VERBO;
LATINÆ LINGVÆ SCIENS CVNCTVM GEDANVM,
PER
HUMANITATIS ET ERUDITIONIS
SACRAQVE CHARAQVE;
IN MODVM MAXIMVM;
MAJOREM IN MODVM VT NON POSSIM,
ROGO ET OBTESTOR;

JOHANNES MOCHINGERVS,

GEDANENSIS GYMNASII RHETOR:
UT
GENTE ET MENTE MVLTO NOBILISSIMVS;

CHRISTOPHORVS HENRICUS REICHENBACHIUS,

DE FORTITVDINE,

IN PHRONTISTERII NOSTRI THEATRO AMPLISSIMO,
AD DIEM XI. MAII, CIRCA HORAM X. ANNI HVJVS M DC XLVIII.
VERBA FACTURUS;
SPECTATISSIMA ORNETUR CORONA:
MORE PLURIMUM SOLITO,
NON NOSTRÆ TANTVM PARVITATI;
SED
PERORATURI ETIAM DN. PATRI, HIC PRÆSENTI,
E NOBILITATE SILESIACA PRIMARIA;
PRIMARIO VIRO;
(QUI
TAM IPSE, QVAM CVM FILIO;
TANTAM URBIS BENEVOLENTIAM
SEMPER STUDIOSISSIME EST DEPRÆDICATURUS)
SINGULAREM IN HONOREM;
PROPENSE GRATIFICANDI CAVSSA.

DATVM GEDANI,
ET, TYPIS RHETIANIS, EDITVM.

CORDATO LECTORI CUICUNQVE,

FORTITVDINIS CVLTORI MAXIME,

BENE REM GERERE, PRECOR.

MEcum ſenſuros autumo nullos non, quando cum Syneſio, Cyrenes Antiſtite, qui, admirabilibus in epiſtolis ſuis, Platonem, Demoſthenem, & Pindarum, ac univerſam ore rotundo loquentem Græciam, Chriſtiano ſermone nobis ediſſerentem dedit, eadem mihi mens, ſic ſcribente: *pulchrum eſt, linguam mundari, & ſententiam reddi ſuaviorem,* (placet enim, ejus Autoris verba dare) Latinè, ut & legantur à plerisq; omnibus, & intelligantur: cùm hodie contrà fiat, quàm Tullii ævo, qui, in ipſo Romano foro, clarè aliquando edixit: Græca legi in omnibus ferè gentibus; Latina ſuis finibus, exiguis ſanè, contineri) *ſed profectò pulchrius, occupari conſideratione rerum divinarum.* Cujus jam pridem tenentis ſententiæ inſtinctu (publicè hoc teſtor, vereq;) in noſtrâ qualicunq;, at ingeniolo noſtro multùm conſentaneâ ſemper expertâ provinciâ, utriusq; ſtudii, cùm in me ipſo perficiendo; tum in juventute informandâ, curam aliquam mihi eſſe volui, præſertim verò potiorem hujuſce. Penſi enim habendum duxi, quemadmodum optimè eſt cognitum, ſapientiſſimi Græciæ Rhetoris, quem, ſummo Romanæ juventæ moderatore & teſte & Judice graviſſimo, non magis libri bene dixiſſe, quàm diſcipuli bene docuiſſe teſtantur, Iſocratis, in ſcriptâ ad Demonicum exhortatione pronunciatum: *qui adoleſcentibus viam demonſtrant earum rerum, non, quæ in dicendi exercitatione & oratoriâ facultate eos acuant, ſed, quæ ad naturale decus honeſtatis conforment, eò plus fructus afferre auditoribus, quàm illi cenſendi ſunt; quòd, ut illi ad eruditionem verborum duntaxat hortantur; ſic hi etiam vitæ verè degendæ rationem indicant.*

Ac DEO quidem, ut omnia hactenus, ita iſthoc, benigniſſimè diſponenti, grâtias potiùs ago, quàm conjunctæ inſtituto meo fortunæ applaudo; ſic cecidiſſe, ut tales aliqui, non Suadæ tantùm avidi, ſed frugis etiam bonæ, animi juveniles nobis obtigerint, quos, ex mentis ſententiâ, habui, tanquam melius lutum, ut cum Vate loquar, fingere, & veluti recens fictam teſtam ſervando odore optimo imbuere.

Cujus generis notæq; eſt, quem jam ſiſto locuturum, ut Socraticè videatur, cùm aliorum publicæ, tum noſtræ, & publicæ,

&

& privatæ, disciplinæ, per ipsum prope biennium, alumnus, isque in allocutionis hujus fronte, quà generis, quà indolis decus, honorisq; & amoris causâ, dictus, lateq; & lætè efflorescens ille furculus, REICHENBACHIVS HENRICVS CHRISTOPHORVS: qui Orationis recitatione suum erga vivendum non minùs bene, quàm dicendum, explicabit ardorem animo conceptum; juxta mecum exoptans, ut sibi tam liceat in eloquentiæ atq; fortitudinis vi & virtute procedere, quàm ætate, quàm diu luce fruide cœlo datum fuerit. Cujus commendandi ulteriùs gratiâ ut progrediar sermone, neutrius nostrûm mores sanè permittunt. Mihi enim nunquam non fuit satis, gnavos imitari pictores gnarosq;: hoc est, cum curâ quadam pingere, & pro virili; reliquum autem facere, ut, si fors tulerit, pictura loquatur; etsi quamvis ego taceam. Illi nostro fixum est, non solùm hinc modò aucupari aliorum foris testimonium, quòd facundiæ gloriâ quasi flagret egregiè; sed suæ etiam intus conscientiæ, se, omni vitæ tempore, recreaturæ, quòd is studuerit esse, qui integris mentibus vult videri, hoc est, Vir fortis.

Qualem ne putes, qui gladiatorio animo, aut athleticis lacertis est præditus: verùm, cui aliquis Theophrastus Græcus, aut Romanus, Britannicusve Seneca, (ille Hallius,) hujus honorem nominis dederit. Qui certè omnes tres, si penicillum in manus sumant, ejusmodi characteribus & coloribus insignitum & depictum nobis in tabulâ exhibebunt fortitudinis elogio condecorandum Heroa. Quisquis scilicet, æquâ mente, pati potest commoda, incommoda superare; ut illis non efferatur, his non dejiciatur: imò non modò ad sortem utramq; bene præparatum pectus habet, sed penè optat, demum etiam gaudet, ex voto, adversâ exerceri nonnunquam: Quisquis invidiæ est expers, licet videat, opibus abundare, amicitiis florere, dignitatibus eminere, primæ sedis honores adipisci, volitare per ora, verbo, habere se bellissimè & lautissimè, alios: Quisquis susurrorum, rumusculorum, dicteriorum, cavillationum, contumeliarum, opprobriorum, injuriarum sensu non nimis afficitur: sed animum suũ obfirmat, ne se ipse lædat magis, quàm ab alio est læsus: cùm interim consulit rationem rectam, directamq; jure divino & humano, correctamq; vitæ magistrâ, historiâ & experientiâ, ut sapienter, justè, prudenter, aut, ut summatim dixero, fortiter definiat, quomodo oporteat infesta verba subauscultando excipere

pere, depellere, proſternere, obterere, comminuere, etiamq; verò contemnere: Quisquis in otio ſuſceptæ cogitationis crebrâ exercitatione animum erigit adversùs horribilia, & omnium formidoloſiſſimam mortem, ac vel illiſcum in conflictu verſans; vel cum hac, iisdem pugnat armis, quibus præluſit: Quisquis timet nihil, niſi Dei iram; nihil fugit, niſi peccata; nec prodigus eſt ſanguinis fundendi, cùm eo non eſt opus, nec tenax ejusdem, vel pro aris, vel pro focis: Deniq;, quisquis cum invicto triumphatore, Jobo, durat, & rebus ſe ſervat ſecundis, ac utrobiq; erga ſummum fati Rectorem eſt gratus: Hic, hic fortis pronuncietur, omnium calculis, conſenſuq; unanimi. Cujus viri, meo quoq; arbitratu, ſimul hominibus meritiſſimò admirabilis, ſimul Angelis plauſibilis bonis, malis terribilis, erit gratiſſima ipſi Numini fortitudo. Orandum verò eſt, ſi cætera profanum Poëtam auſcultamus:

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano:
Fortem poſce animam, mortis terrore carentem.

Orandum eſt, inquam, cum Sancto, quem ita orantem audimus, Apoſtolo: *ut det nobis Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pro locuplete ſuâ gloriâ, quò fortiter corroboremur, per Spiritum, ſecundùm interiorem hominem.*

Quem in ſenſum, ex conſuetudine, & Rhetorum & Theorhetorum, de fortitudine peroraturo, quorum commodo fieri iſtud poteſt, præbete Vos, quæſo, attentos, die horâq; locoq; ſuprà dictis, mei Gedanenſes. Mirificum utiq; calcar addetis eloquentiæ & fortitudinis amatori, adoleſcenti alacerrimo, ad graviora etiam pericula, partim dicendi bene, partim agendi fortiter, adeunda. Singulari item ſolatio confirmabitis, non unam calamitatem, (poſtquam, religionis, honeſtatis & tranquillitatis ergò, extorris eſſe voluit,) forti animo perpeſſum Declamaturi Parentem, ſenem certè graviſſimum: ſi is animadverterit, ab hac, non minùs humanitatis laude, quàm pietatis, erga exteros, ſive felices, ſive miſeros, cumulatiſſimâ Civitate, ſe ſuumq; natum tantopere eſſe honoratum: hoc & illo, ubicunq; locorum degent, impoſterum dubiò procul comprecaturis: floreat Gedani Vrbs, non civium tantùm, ſed & peregrinorum alma nutrix, eademq; fautrix ampliſſima! Tantum amabo, mereamur nobis, non longâ, nec aliàs (ſic opinor, ominorq;) moleſtâ audientiæ tanto conatu ambitæ operâ. Nepluribus. Valete Domini, Amicique mei, Amiciq; literarum. Dab. Gedani, Anno M DC XLVIII. die 8. Maij.

ORATIO,

AD FAMAM SEMPER PROSPERAM,
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS,

VLADISLAI IV.

POLONIÆ ET SVECIAE REGIS, &c.

DVM VIVEBAT,

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI;

ANNO CHRISTI, M. DC. XLVIII,
DIE VII. JULII,

GEDANI,

IN SPLENDIDISSIMA ET AMPLISSIMA
CORONA,
A

JOHANNE MOCHINGERO,

DICTA.



EDITAQVE TYPIS RHETIANIS.

APVD

NOBILISSIMOS ET AMPLISSIMOS,

PATRIÆ CIVITATIS

GEDANENSIS,

MAGISTRATUS,

ALTERVM DEPOSITVM

JOHANNIS MOCHINGERI.

NOBI-

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI,

DOMINE BURGGRABIE REGIE

DOMINI PRÆCONSULES, DOMINI CONSVLES, ET DOMINI SCABINI,

QUi Oratione funebri extuli, annis superioribus, SIGISMVNDUM III, Præsulis Mediolanensis exemplo, suorum Imperatorum funera dicendi officio prosequentis, meo illo exemplo adductus, nunc item VLADISLAO IV. vinculis corporeis non ita pridem exsoluto, persolvere volui justissima sermonis justa. Ille Pater fuit; hic Filius: Uterq; Rex & Dominus noster longè benignissimus, deq; nobis, subditis suis, maximè bene meritus. Quam verò auribus Vestris non dedignati estis, secundæ VLADISLAI memoriæ caussâ, à me ore pronunciatam Orationem; eam, quæso, oculis etiam dignamini, præli ope exscriptam. Sic, singulari sanè cum propensione, bis illam excepistis SIGISMUNDI consecratam recordationi. Atq; ita, quasi denuo à Vobis auditus, multùm in eo acquiescam. Sicut me utiq; non tam dicendi sub onere, quàm solitudinis nostræ calamitatem mœrendi, perquam esse recreatum sensi, cùm, pro Regis Dominiq; nostri meritissimâ laude, verba facientem, eumq; hucusq; ignotum, spectatissimæ suæ præsentiæ & audientiæ immerito honore affecit, CHRISTIANISSIMARVM MAJESTATVM REGIARVM, AD SERENISSIMVM REGEM, REGNVMq; POLONIÆ, ILLVSTRISSIMVS ET EXCELLENTISSIMVS DOMINVS LEGATVS, DOMINVS NICOLAUS DE FLECELLES, VICECOMES à CORBEIL, TIGERI ET BREGI, AB INTIMIS CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIIS, GALLIÆq; STATVS CONSILIARIUS. Verum est: accessit ille debitè invitatus, velut Urbis hospes plurimùm honorarius, & adfuit, præsertim Ejus demortui beatis manibus, pro re natâ, publicè hic affectum

teſtaturus, à quo in vivis degente tantâ affectus eſt gratiâ Regali: ſed vix memini, mihi alacriùs quenquam ſuarum aurium condixiſſe promptitudinem, atq; idem fecit, non comitate tantùm ſuâ, (quæ Gallicanæ genti eſt propria) ſed & doctrinâ, illâ quidem Regnorum cauſſâ negotioſis peculiari, abundè declaratâ. Cujus tam ſingularis benevolentiæ, quam modò nonniſi paucis dicere eſt commodum, pluribus aliquando explicandæ, alius quæretur locus, ab animo noſtro acceptorum nunquam futuro immemore. Vos ego in præſens non teneo ampliùs, DOMINI MEI, jam ſat detentos, & auditâ oratione, & lectâ hac allocutione. Illud ſolùm maximopere adhuc oro, ut planè pro perſuaſiſſimo habeatis, me, ut Regis, Vobiscum, ita, ſub Rege, Veſtri, tanquam Magiſtratus noſtri, tam obſervantiâ, quàm obſequio, nunquam non ſtudioſiſſimum fore civem.

QUOD

QUOD PACE FIAT OMNIUM!

REGI NON PRIDEM REBVS HVMANIS EREPTO,

VLADISLAO IV.

BELLIS PACEQUE FELICISSIMO;

COMMVNI MORE,

IVSTIS HIC PERSOLVTIS,
EX SINGULARI *MOERORE,*
ADJICIENDI ALIQVID CAVSSA;
AD PROSPERAM DOMINI RECORDATIONEM,
RECITABITVR,
IN AVDITORIO ATHENÆI MAXIMO,
DIE MARTIS PROXIMA (VII. IVLII.) HORA IX.

ORATIO:

AD QVAM PROPENSE AVDIENDAM,
CHRISTIANISSIMARVM MAJESTATVM
REGIARVM
DNN. LEGATOS ILLUSTRISSIMOS,
EXTRAORDINARIVM ET ORDINARIVM,
REGIOS URBIS NOSTRÆ HOSPITES;
REGIÆQVE HVJVS CIVITATIS
MAGISTRATUS AMPLISSIMOS;
DOCTORES ECCLESIASTICOS AC SCHOLASTICOS;
DOCTOS QUOSCUNQUE ALIOS VIROS;
DOCTRINÆ CONSECRATOS ADOLESCENTES;
NOMEN REGIVM OBSERVANTES,
OMNES OMNES;

JOHANNES MOCHINGERUS,
GYMNASII RHETOR,

DEMISSE, OBSEQVIOSE ET HVMANISSIME
INVITO;
HAC IN ANTECESSUM EMISSA ALLOCUTIONE,
EXPRESSA,

GEDANI,

ANNO M. DC. XLVIII. Typis RHETIANIS.

LECTORIBVS OMNIBVS,

PRO DIGNITATE ET MERITIS,

CVM POLLICITATIONE,

PARTIM OBSERVANTIÆ,

PARTIM OFFICIORVM,

S. P. D.

QUod ingens in hac fugacis ævi brevitate ſpatium videtur, ſedecim effluxere anni, cùm planximus exceſſum SIGISMVNDI III. & applauſimus electioni VLADISLAI IV. hujus, & illius, dum vitam Uterq; ageret *mortalem*, *inter* nos mortales, Regum, *Dominorumq;* noſtrorum *longè Cle*mentiſſimorum. Non putavi (quod hoc loco dicere, ni fallor, eſt Chriſtiani, quemadmodum alio negatur eſſe ſapientis) futurum, ut, à ſummo ætatis noſtræ Arbitro, daretur ſuperſtiti mihi, ejus lugere fatum præproperum, cui tardum ſemper exoptavi, ex intimis animi mei viſceribus. Multò ſcilicet veriſimum eſſe comprobant infinita exempla, quod cecinere, pariter Poëta, pariter Propheta. Ille humano lumine inſtructus, his verbis:

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres.

Hic divino Numine, cujus nomine ait: *Dii quidem eſtis, & filii Excelſi, vos Principes omnes: ſed certè, ut plebejus homo, morituri eſtis.* Quid verò? Tacendumne mihi fuit, defuncto Rege, VLADISLAO? cui functionem Regiam capeſſendam, ut potui, ſum gratulatus, imi homo quidem ſubſellii, verùm nulli ceſſurus, in ſancto Poteſtates ſupremas colendi officio. Qui, ceu fas fuit, ſolem adoravi orientem, occidentem, ut ferè fit, adorare non debui? Quin imò nec potui me continere, tam profectò periculoſam Regni Sarmatici, & Regionis noſtræ Borusſiacæ, orbitatem exhorreſcens, quàm qui maximè. Timidiſſimus ergò ego, ex omnibus? Minimè. At tantò audacior, quàm cæteri, ad metum noſtrum divulgandum? Ne iſtius quidem culpæ reus, quæſo, peragar apud animum alicujus, nondum auditus.

Au-

Audiri enim cupio in præsens, non discrimina Reipublicæ ex aggeraturus, quæ precibus fusis, ut quimus, cum fratribus & civibus, alio loco & tempore, avertere curæ erit; sed Regis, quem amisimus, felicitatem: cum brevissimo aliquo, at serio voto, ne contingat, Rege, tam bello, quàm pace fortunato, nostris exemto rebus, faustos nos esse desiisse. Quæ quidem, quod certò scire videor, ex sensu omnium arbitror me prolaturum: ut ea propter ad dicendum surgere voluerim alacriùs, & potuerim, fateor, confidentiùs. Ex more sumus hucusq; questi variè occasum Regium: accedat, ex amore, qualecunq; hoc epiphonema, sive nenia. Conscius eorum, quæ, Civitatis luctum publicè testandi causâ, campanæ, suggesta, vestes declaratum ivere, dicet Davidi similis aliquis, credo, de nobis, quod à Rege isto, qui à sceptro plectroq; nomen non minùs sacrum, quàm clarum habet, prolatum in sacratis libris legitur, de Jabesseni civibus: *Benedicti estis Jehovæ, qui exercuistis benignitatem erga Dominum vestrum, Regem. Propterea exercebit erga vos Jehova benignitatem & fidem: & ego quoque reponam vobis beneficium, qui feciſtis rem hanc.* Equidem sic nonnisi, quæ nostrarum fuere partium, hoc est, subditorum bonæ frugis, peregimus: sed & animum ita comparavimus nostrum ut omnia confierent, quò non hominibus tantùm videri possent probabilia, sed & Deo grata. Huc nostræ ad populum allocutiones spectarunt, nuper habitæ. Huc supplicationes tendunt, quæ etiam nunc habentur. Oratio habenda (ut, ex consvetudine, ejusdem argumentum paululùm prodamus) eò collineabit, ut, quantum Regem habuerimus, breviter ostendatur. Uno verbo jam rem conficio: Felicissimum. Utiq; verò sicut homini nemini, magno vel parvo, sic nec VLADISLAO, unquam sic se indulsit fortuna, ut eam ad nutum habuerit: at profectò in plerisq; âc potioribus Regni sui administrationibus, sine exemplo recentiori, faustus fuit. Quarum tantummodo hanc perpende summam. Nonne ipsa bella tria brevi debellavit, & tranquillitatem apud suos stabilivit admirabilem? quod Regum nullus Christianorum, hac tempestate, potuit efficere. Subjiciet quisquam fortè: ista quidem fecit VLADISLAUS. Sed effare: quo merito? Ajo verò ego, cum Tulliano Ausonio:

Quid me oneras ſciſcitator? RATIONEM FELICITATIS NEMO REDDIT· *Deus tacito munera diſpertit arbitrio.* Atq; hoc tandem reliquum erat fortunato ſatis Regi noſtro, ut diem rectè obiens evaderet beatus: ſecundùm illud Solonis, Cræſo interroganti; an beatus eſſet? reponentis: *Tu mihi quidem vidéris, & divitiis valde pollere, & permultorum hominum Rex eſſe; ſed id, de quo me interrogaſti, nondum te eſſe dixero, priusquam te bene ex vitâ emigraſſe audiero.* Quod Sulmonenſis vates ad omnes trahens, in hunc ſonum, explicuit:

diciq; beatus,
Ante obitum nemo ſupremaq; funera debet.

Quod igitur reſtabat, ut Rex excederet, & ad Cœlites accederet beatus; id quoq; evenisſe, pio affectu credimus. Si autem iterum inſtas percontator: quo merito? Reſpondeo: merito Domini Noſtri, Jeſu Chriſti, *qui eſt fidus ille teſtis, primogenitus ex mortuis, ac princeps Regum terræ; qui dilexit nos, & lavit à peccatis noſtris, per ſanguinem ſuum. Fecitq; nos Reges, & Sacerdotes, coram Deo & Patre ſuo.* Ei gloria, pro VLADISLAO, jam beato, & nobis aliquando beandis. In quem ſenſum, die, loco, horâq; in fronte aſſignatis, (venerabor & amabo) verba me facientem auditote, & imis ſenſibus reconditum ſervatote illud oraculum, multa paucis complectens: *Deum timete. Regem honorate.* Dabam, è Muſeo meo, Anno, à Servatore nato, M. DC. XLVIII. die 3. Julij

ORATIO

CHRISTIANISSIMARVM MAJESTATVM REGIARVM,

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME

DOMINE LEGATE;

REGIÆ HUJUS CIVITATIS

MAGISTRATUS AMPLISSIMI;

GENEROSAQUE ET NOBILISSIMA PROSAPIA, SPLENDORE, AVTORITATE, REVERENDA DIGNITATE, DOCTRINA, CLARITATE, INTEGRITATE, VARIAQUE ELEGANTIA INSIGNITER SPECTABILIUM AUDITORUM CORONA:

QUod satis constat, ex more quidem communi, Regi, Dominoq; nostro Clementissimo, nuper defuncto, justa justissimè peregimus: singularis tamen mœroris caussâ, nondum desinere possumus tantum lugendi Regnatorem. Acerrimè sanè dolet, sine pari, ut nunc sunt tempora, Principem, bello paceq;, feliciſſimum, esse nobis ereptum. Ex cujus morte utinam non decrementa accipiamus tanta; quanta percepimus, sub ejus vitam, incrementa! Velit Rex Regum immortalis aliud!

Quàm faustus fuerit in gubernando VLADISLAVS, nostrarum, hoc est, Regni Sarmatici & Regionis Borussiacæ, fortunarum emolumento longè maximo, ut nemo nostrûm nesciat; juverit tamen, solatii caussâ, jam impensiùs paululùm animo repetere & expendere. Juverit, inquam, solatii caussâ: etsi aliquis miretur. Namq; sic opinor, dum usq; adeo acerbum nobis accidit meminisse, quòd eum habuimus Regem; idem ex parte erit jucundum, valdeq; honorificum certè ducemus. Quod si verò etiam contingat, simili, nec Regem futurum gaudere, nec nos fortunâ, sub præsentem absentis Regis commendationem, mentibus nostris in anteceſſum bene imprimemus aliquando eo sensu usurpanda verba, quo jamdudum à perpessi-

tio illo sunt prolata: *Si secunda à Deo quondam concessa æquo animo suscepimus, an iniquo feremus adversa?* Obtestabimur tamen, quoad possumus, Numen Optimum Maximum perseveranter, ut, quemadmodum pientissimi hominis opes bis tanto pensavit amissas, &, loco denatorum, natos reddidit præstantiores; ita, pro abundantissimâ bonitate suâ & potentiâ, conservet bona nostra, si (cùm nos non deceat pristinâ sorte contentos majora petere, quin justum sit, prosperâ illâ privari meritos) nolit augere: ex cineribus verò Regiis, det geminum quasi Phœnicem propullulare. Ac viveret ô si Sigismundus Casimirus, VLADISLAO acclamaremus redivivo!

Quem ego VLADISLAUM ostendam fuisse mirificè fortunatum, æquè in bellando, ac pacando; aut, ut uno verbo complectar, regnando. Quod si gratum non erit recolere, inq; memoriam nobis revocare, non video, quid possit occurrere gratius? Nisi quod non possit non, fateor, idem esse ingratum, cogitantibus, fuisse eum quidem, non esse; cumq; eo, & sub eodem, nos exstitisse potiùs felices, quâm etiamnunc existere. At hoc utiq; ferendum, non culpandum, quod (minimè omnium culpando) mutari non potest. Quæ de Rege nostro, Dominoq;, dicta si memori mente fuerint recondita, vivet in pectoribus nostris prospera illius recordatio, imò ipse. De quo tamen neutiquam annales in præsentiâ condere habeo institutum: sed ad propositum nostrum facientia leviter & breviter perstringere. Illud annos poscit; huic, quod reliquum est horulæ, auribus propriæ, satis. Hoc scilicet restare visum sacrorum, Regis demortui caussâ peragendorum, ut, quæ eidem faustiter, imò subditis, ceciderunt, unà cum gratiis Deo ex debendi lege actis, à quo omnis fortuna, in luce ponantur & celebrentur. Quod modò facere occupemus, tantillo impenso tempore.

Atque memor bene carcerum, quos mihi circumdedi, nihil planè evagabor: quamvis opera Regis, cùm belli, tum pacis tempore (quod, cum regno, annorum est sedecim) & numero haud pauca, & ob dignitatem valde commemorabilia, se cancellis ægerrimè includi patiantur.

Si

Si qua sonum procul arma dedere,

ſtare loco neſcivit, à teneris ungviculis, ſpe multùm arrectâ.

Nec mora, nec requies,
Tantus amor belli, tantæ victoria curæ.

Cui licet oriri atque procreari proſperrimè contigiſſet, poſt antegenitos ſublatos, quaſi cum primogenituræ prærogativâ, à Sigiſmundo, ſimul Sveciæ Rege, ſimul Poloniæ; ut Parenti his regnis excedenti olim ſuccederet, in illo, hereditate obtinendo, hoc virtute: is tamen, fati benignitate, ad maxima quæque & ſatus & deſtinatus, evehebatur adoleſcens, cùm tantùm haberet quinque ſupra decem, annos: jurantibus in VLADISLAI nomen Moſchis; & Baſilio ſuo, ſicut etiam & Demetrio, nuncium mittentibus. Sic, qui fuit Rex Svecis natus, puer; vir, factus Polonis; juvenis etiam nuncupatus eſt Cæſar Moſchis: quemadmodum, in vernaculo horum idiomate, audit Dominus Moſcoviticus, voce Czar, ex illâ Cæſaris deflexâ. Sed quantùm VLADISLAUS dignus erat iſthoc honore novo; tantùm indigna erant liberari onere ſervitutis antiquo ad jugum damnata mancipia. Quanquam ad libertatem inſidiosè, conſilio ſuo, quod ambiguo percoctum erat honeſto, & malis artibus plenum, collineabat gens, quà ſervilis, quà verſipellis. Unde omnia in ventos abiere. Quum enim deliberaretur diu à prudentiſſimo Sigiſmundo, an publicè notiſſimæ perfidiæ Barbaricæ committendus eſſet Filius Princeps? tergiverſari utrinque cœptum. Poſt annos tamen ſex exactos, ipſe Princeps, annum agens unum, ultra vigeſimum, non vulgari ſolùm ſuffragatione, ſed juramenti quoque ſacrâ religione receptus Moſchorum Dux, indole magis ac magis ſe exſerente, curasq; animosq; viriles, ætatem ante, præ ſe ferente, cùm eadem Comitiis Generalibus, hoc eſt, Regi & Proceribus, voluntas eſſet, de apparando contra doloſos Moſchovitas bello, ad arma ſe accinxit, his viam peragraturus ad Principatum ſibi delatum, fata quam monſtraverant. Primum id fuit VLADISLAI tirocinium, quod egregiè profectò præluſit ſecutis periculis, quæ ei fuere pari alacritate adita, quà hoc, & brevi ſuperata; pace, quæ bellorum eſt colophon metaq; laudatiſſima, eidem ſemper ſemperq; ſe quaſi

ad nutum dante. Næ verò illi infelices & miserandi Dynastæ, qui, Martis campum ingressi, quasi in labyrintho hærent, cujus exitum invenire nequeunt, id est, bellum debellare. Quales utique multos, non ex librorum solùm, sed & ipsâ nostrâ memoriâ, enumerare haud operosum esset. Ariadnæi verò instar fili fuit Principi Nostro, propria VLADISLAI felicitas; quæ parùm cessit fortunæ Cæsaris, suam ita magnificè ebuccinantis: Veni, vidi, vici. Namque eodem pacto Cæsar hic Moschicus, pactione cum adversariis factâ, reversus ad Patrem, qui eum difficulter dimiserat, ac multis lacrymis abeuntem perfuderat, quasi, arreptis Moscoviæ gubernaculis, iterum visurus esset nunquam, dicere potuisset: Adii, redii, pacavi. Cui jure responsum fuisset, sicut Cornelio Syllæ, ob successus felici dicto, mulier quædam fatidica, tunc semel visa & audita, nec unquam ampliùs: Salve, ait, Princeps Juventutis, tibi & Regno felix, Cæsar, nobilissime Cæsar.

Cujus etiam secundum, vereq; secundum, experimentum militare, jam dicto priori per est multùm simile. Cùm numeraretur annus, vulgati calculi, à Christo Domino in lucem edito, unus & vigesimus, præsentis septimæ hecatontadis, supra chiliadem, maximâ manu, at multò etiam majori animo, qui, negotiorum quorundam gratis eventibus, erectus erat, vel potiùs inflatus, admovit se Turca Poloniæ, non ab hoste tantùm pro perditâ habitæ, verùm ab amicis etiam, Christianarum nationum Principibus: cui uti in occursum missa erat probata virtus Chodkievicii, qui exercitum triginta quinq; millia armatorum complectentem, cum summâ potestate Ductoris, habebat; ita ad hunc, arcem Chocim tenentem, accurrit, concitatissimo cursu, & pectore, VLADISLAUS, Patriæ, imò Christianitati universæ, cujus contra Osmannidarum tela alter quasi clypeus est Polonia, cum sedecim millibus militum exquisitiorum, succenturiaturus: à quo felicitatem suam castris inferente, præsentissimum, ut exitus paullò pòst ostendit, allatum est auxilium. Aderat ipse quoq; ex adverso Osmannus, Imperator, tantâ equitum & decantatissimorum illorum Janizerorum cum vi, quantâ Dominum Turcicum

cicum cingi in bello constat, ac solitâ superiori. Nempe cum leone hoc Nemæo, & Lernæâ istâ hydrâ, juveni nostro Herculi congrediendum erat, ut, quis ac quantus esset, plus plusq; intelligeret Orbis. Varius autem fuit Mars, pariter Turcicus, pariter Polonicus: sed demum secutus est quoq; occasus supremi Christianarum copiarum Præfecti, Chodkievicii, insperatus, non quidem humanâ, sed divinâ, dextrâ superati, cui succumbere non debent non omnes; utpote morbo & morte suâ fracti. Cui Lubomirscius successit. Sed jam Turcis, jam Polonis aleam prælii diversam subeuntibus, bellum continuavit. Memorandum illo tempore excidit verbum Turcarum Monarchæ, minimè hîc quoq; tacendum. Cùm is ad Cameneciam, quam arcem saxa firmant (unde ei nomen,) appropinquasset, eâ, si posset, potiundi causâ, audivissetq; esse valde munitam: quis munivit eam? ait Cui responsum; à Deo esse positam tutò, lociq; naturâ armatam. Adhæc igitur Osmannus: itaq; Deus illam ipse expugnet. Sicq; aliò se contulit. Idem verò animadvertens, Deum castris Polonicis adesse; quemadmodum ipse quoq; Sigismundus turmis & turbis interesse volebat; Numini cedens homo, per suos, hoc egit, ut ad pacem descenderetur, quæ, secundùm formulam Bussensem, est constituta. Ita VLADISLAUS Princeps, cum Patre Rege, denuo pacis lauream domum retulit. Cujus præsentia Principis quantum effecerit, inde evasit clarum, quòd plurimi militum, cum primis Lituanorum, ac Zaporoviani Cosaci, à Lubomirscio, Prætoriam dignitatem adepto, descivissent; nisi eos VLADISLAI autoritas retinuisset in statione & officio.

Sed hæc Principis præludia fuere: quibus eam existimationem acquisivit, ut, suo tempore, laudatus Primoribus Regni, cùm Parens Sigismundus ad Regni cælestis possessionem esset evocatus, ab omnibus agnosceretur dignus, cui liberè suffragia militarent in Regem eligendo, sicut ipse sponte militavit Regno conservando, contra Moschorum, Turcarumq; infandos quidem ausus, at nunc dictos, ut VLADISLAI diceretur felicitas. Quæ cum ipso crescente crevit incredibiliter, ut novimus benè, refri-

cantes nobis memoriam geſtorum, à VLADISLAO, jam Suecorum, ex ſucceſſionis naturalis lege, &, electionis jure gentilis, Polonorum, Rege exiſtente. Quem enim fugit facilè, quòd non ita ante multos annos contigit, nec ideo ex ſcriptis ad memoriam monumentis eſt petendum, ſed ex ſermone noſtrûm omnium quotidiano, quàm proſperè belli Suecici flammas, & Livoniam totam depaſcentes, & Boruſſiam noſtram acriter torrentes, ibi quidem exſtinxerit, hîc ſopiverit? Ceſſit illam hoſtibus; hoſtes ex hac (quod nunquam putabamus, nedum credere poteramus,) receſſere. Sic cedendo vicit, & magnum terminavit bellum: publicâ famâ eam belligerandi rationem collaudante, quæ finem ſpectat & attingit, hoc eſt, de Domino opinionem bonam, & ſubditorum quietem. Noſtræ quidem Regionis pax audiit, ex eo tempore, ut & ejus, poſt Deum, fundator, VLADISLAUS, honorificentiſſimè. Inq; Rege eapropter in cœlum extollendo, illo tam pacato triumphatore, omnes ingenii & eloquentiæ vires, nec pauci, nec vulgares, ſive Oratores, ſive Poëtæ, penè attrivere. Sic noſtra hæc Civitas, nummo in aureo, auriferam pacem nobis non invidentis, quid? quòd clementiſſimè conferentis, ſub Herculis imagine, in unâ facie exhibitâ, Soſpitatoris noſtri præconium ejuscemodi, ad omnem poſteritatem, transmittere voluit, quod verſibus in alterâ facie exſculptis continetur, quos recito:

Dum Moſcum bello, Turcam terrore, Suecumq;
Oſtenſo ad pacis fœdera Marte trahis.
VLADISLAE, tibi debetur gloria triplex:
Alcides meritò dicere pacificus.

Quamobrem bellando, ac pacis quidem cauſſâ, quæ optima &, ni fallor, ſola eſt belli bene gerendi via, quantum polluerit VLADISLAUS, ſatis oſtendimus: in pacando, hoc eſt, unicè id agendo, ut pacem reficeret conficeretq;, etiam abſq; armorum adminiculo ullo, quàm operoſus fuerit, nec ſine ſucceſſu admirabiliter felici, & feliciter admirabili, multa paucis complexus, Auditorio illuſtriſſimo & nobiliſſimo favente & applaudente, declaratum ibo. Cujus ſtudii verè Regii, Regibusq; Chriſtianis magis proprii, quàm eſt circa bella, vix bella, alterum,

rum, non Christianis, quoad ejus fieri potest, relinquendum, tantus in eo ardor sæpe observatus, ut hoc totus flagrare videretur, omnem vel armis, vel animis, contendendi amorem longè longèq; superante. In interregno, cùm dissidentium variârunt sententiæ, ut religione tenus, ita & libertate, advolavit, Pacificatoriâ personâ sumtâ, antequam Regiam haberet ipsi assignatam, VLADISLAUS: multarumq; & multò maximarum dissensionum efficax & faustus fuit arbiter. Regiâ verò Majestate decoratus, foris etiam, nec domi tantùm, exsequutus est multò majora. In digitis ea ponam, vix exponam. Moschis, non ambientibus occulto quodam, ut fieri assolet, artificio, aut aliorum ope subornatorum, sed cum fletu & querelâ de damnis suis infinitâ deprecantibus, pacem propitius indulsit, concessitq; maximi animi Heros, titulum Ducis, juratò sibi datum, Federoviczio, gentiq; universæ vitam & incolumitatem. Quo tempore illum animantium Regem moribus suis verè retulit, de quo vulgi ore illud jactatur:

Parcere subjectis scit nobilis ira leonis:

dum VLADISLAUS submissis illis fœdifragis libens veniam dedit, quos egregiè debellaverat superbos. Quæ res tantam Turcæ, Amurathi, formidinem incussit, non irâ vanâ, sed viribus apparatissimis immane quantum instructo, ut Herculi clava exciderit. Qui enim Moschorum rebellantium ardebat esse socius; illico eorum, prensando quietem securitatemq; suam, factus sectator. Obstupescens videlicet ad summam Regis facilitatem in admissione perfidorum, reconciliationem quoq; suam quærere consultum duxit, tempestivumq;: misso ad VLADISLAUM, non bonitate minùs, quàm magnitudine admirabilem, Seino Agâ, qui juratorum violationem pactorum, adhibitâ frequentatissimâ, in Abasi Bassæ petulantiam & perversitatem, translatione criminis purgaret. Ac ut verba evidentis operis documento publico comprobatum iri persuaderet, pollicitus est Heri nomine, pœnas daturum Abasium: modò animum à bello, & exercitum à confiniis Turcicis, placatus avocaret VLADISLAUS. Hic primò equidem se difficilem præbere, tam nefarrè irritatus,

 cœpit:

cœpit: ſed Veziro Murtazi Baſſâ, apud Koniecpolium, Polonicarum cohortium ſummum, ſub Rege, Imperatorem, literis inſtante, propter reſarciendam publicam tranquillitatem, & hoc, cum aliis Senatoribus, apud Regem armis invictum officioſo ſermone plurimùm valentibus, pacem ſuadente, annuit bello maximus, pace tamen major, exuitq; ſagum, & togam induit. Ac præſertim, quia Abâſii Baſſæ, (quantumcunq; ille Tyranno Turcico, populoq;, ob multos & præclaros cum æmulis Perſis congreſſus, in amoribus eſſet,) tanquam piacularis victimæ, incruentâ cæde, Turcis ſcilicet familiari ſtrangulatione, perjurè inchoata expeditio fuiſſet luſtrata. Itaq, & Turcis pœnitentiâ emendâtam mentem ſignificantibus gratia facta â VLADISLAO: ſuos antagoniſtas, non tam armis, quàm armorum juſtorum & fortunatorum metu, compeſcente. Sicq; duo bella graviſſimi momenti, intra annum, qui erat quartus, ultra trigeſimum hujus ſeculi, imò intra aliquot menſes, abſolvit VLADISLAI fortuna. Quam venerata eſt ſimiliter, ſecuto anno, fortitudo Suecorum, ſicuti, antiquis temporibus, ferè terribilis, ita his admiranda: quæ lento & violento tot annorum duello implicata colluctatur cum maximo adverſario, cedere neſcia, vinci neſcia, corroborata indies quamplurimis diſcriminibus, ut præcurrat, occurrat, incurrat... Tetigimus verò jam ſuprà vix exſpectatam armorum Suecicorum cum Polonicis compoſitionem, ac utrorumq; mutuò approbatam depoſitionem, paucis: at pluribus eâ de verba facere, temporis anguſtia, & rei dignitas, nonniſi longâ ſerie explicanda, modò non permittit.

Manifeſtum eſt igitur abundè, quanta felicitas VLADISLAI fuerit in tranquillandis extra Regnum rebus: intra ipſius Reipublicæ viſcera componendi motos fluctus qualis emicuerit, ſtrictim adhuc commemorabimus. In combinandis ſuorum animis, à ſe invicem odio, vel ſimultate quacunq;, divulſis, quæ ejus exſtiterint artes, privatim erit locus celebrandi: publicè laudabuntur hoc tempore, in Scholaſticis quibusdam diſſidiis, Polonicum Lyceum tangentibus perfecta, & Eccleſiaſticis multò majoribus, ad Europam Chriſtianam ſpectantibus, è medio tollen-

tollendis, affecta molimina. In ipsâ facie trisecularis Universitatis Cracovienſis, Collegium Societatis Patrum recens efferre caput fuit ausum: illâ sic ægrè hoc ferente, ut mater est in fermento, filiæ, cum materno vilipendio & detrimento, nupturientis caussâ: cui commotioni oppidò magnæ Pacificator ubilibet sedulus intervenit, hoc effecto, ut Academia fasces antiquos retineret, Schola novos deponeret; illa pateret, hæc clauderetur. Quam Pacificationem, quantopere etiam conducibilis fuerit Poloniæ, nihil esse totus mecum ultrò fatebitur orbis, ad Regios, in Ecclesiis, quæ non de autoritate humanâ, sed divinâ veritate, conscientiis inter se consertis dimicant, dirimendis conatus: quos attonitum suspexit omne Christianum nomen. Annus fluebet quartus & quadragesimus, cùm intima sui cordis desideria publicaret Salomo Sarmaticus, quòd arderet, rebus Regni undiq, in pace tutis externâ, internam pacem animorum & unitatem inducere in cœtus Romanos, Augustanos, Reformatos, ut nominibus distinctos, ita fidei mysteriis confessis & professis. Colloquium eò visum est optimum, sine præjudicio rerum, vel personarum, ullo habendum: scilicet ut arte mores emollirentur, quos Marte tantùm efferatos hactenus esse, publica testatur experientia. Dictus est locus, tempusq; tam inusitato operi: quæ vulgaris sunt notitiæ. Quid actum fuerit, vel agi cœptum, partim ex tabulis publicis patet, partim in privatis commentariis latet. Bonum fuisse animum Regis circa hoc tentamen, apud animos nostros est extra dubium: quanquam multorum aliorum oculi ad diversos scopos fuerint directi. Noverint jam, ex hoc exemplo, Orbis Domini, & Ecclesiæ Nutritii, quomodo hæc tanta scena omnino requirat Constantinorum præsentiam, si bene cogitata cadere debent meliùs. Sive autem aliquid sic factum fuerit, sive infectum habeatur negotium (ego quidem spectator qualiscunq; magna quædam mihi videor animadvertisse) gratiæ immortales debentur VLADISLAO, optimè animato, quòd, sub fide & præsidio verborum & literarum Regiarum, omnibus licuerit, salvis juribus Politicis & Ecclesiasticis, adire arenam, signa explicare, domum

 referre;

referre; liceatq; pro aris & focis adhuc dum vigilanter excubare, armatis dextram gladio Spiritus, & pedes ocreis pacis. Quæ Ecclesiastica discordia (utinam aliquando ea se submittat Veritati!) in orbe Sarmatico hactenus nondum abolevit concordiam Politicam: DEO GRATIA, REGI, REGNOQUE GLORIA! Viciniæ verò annon inde prope jam impendet ultimum fatum, illâ spirante, hac exspirante? Sicuti autem quorundam manus Regum hominibus malè habentibus item hodie dicuntur esse salutares; idq; maximè perhibetur de Liligeris, cùm Gallicis, tum Anglicanis: ita saluberrimam suam secundissimamq; illam admovere voluit perlubenter Germaniæ conclamatæ dextram VLADISLAUS, sed

·Quo de quis nostrûm audiri velit, quando Regem, ore Magni jam Cancellarii, Principisq; loquentem, audire minus placuit?

Perorabo: imò peroravi, explicatis iis, ex quibus magis magisq; innotuit nobis, innotescetq, seculis omnibus, (si quæ insuper Dei patientia ferè extrema homines agere concesserit) quis bellator, quis pacator, &, ut compendio eloquar, quis regnator fuerit VLADISLAUS IV.? Quis? Incomparabilis ille. Ecquis autem his auditis (multa historicorum tubis sunt relicta) dubitet, cui mens non est læva, boni planè ominis rem fuisse, cùm Rex toties dictus semperq; prosperrimè dicendus, ipso die, Primi & Feliciani, martyrum memoriæ in fastis dedicato, est ab Annâ, quæ gente fuit Austriaca Domina, conjugio Polonica, progenitus: indicato, quòd re verâ hic futurus esset è primis felicissimisq; Regibus. Cui Româ discessuro; ubi aliquando hospes fuit VLADISLAUS, (nam ut belli; ita & peregrinationis, quæ prolixè pro merito esset enarranda, exercitiis, id est, rebus gerendis & videndis, perfectionem aliquam, florentibus annis, acquirere semper curæ habuit) in pignus primariæ fortunæ Regiæ, Episcopus Urbis, ossa nominatorum, Primi & Feliciani, donavit: quæ ille sic nuncupatis piarum Scholarum Patribus aliquando dedit, quasi certus, sine illis quoq; sibi adfore felicitatem, quam, Universi Dominus ei, ab ipso vitæ exordio,

dio, dicaſſet quaſi propriam. Largietur verò eidem haud invitus Orbis, ex Orbe profecto, nomen Primi & Feliciani perpetuò retinendum. Et nos, quo ſumus in ipſum pio affectu, confidimus, quòd animarum noſtrarum ſummus Paſtor aſſignârit in ſuperis recepto locum, inter Primum & Felicianum, & omnes in Cœlo exiſtentes Reges, ſuo lotos ſanguine, utpote agni immaculati, quo ſolo depurgati ibi degunt, impuri excluduntur. Sic mortuum VLADISLAVM prædicamus & celebramus, multò feliciorem, quàm viventem, bello paceq; feliciſſimum. Faxit Omnipotens Æternusq;, ut, ſub altero Domino, inter mortales diu porrò nobis eſſe detur beatis; ſub Dominorum Domino, inter immortales, æternùm.

DIXI.

VIVENTIS VLADISLAI IV.
ELOGIVM.
LVX NATALITIA DIXIT, IMO PRÆDIXIT,
QUALIS FUTURUS ESSET, ET VIVUS, ET MORTUUS,
VLADISLAUS IV.
HOC EST, BIS SECUNDUS,
QVID? QVOD TERQVE QVATERQVE BEATVS.
FVIT ILLA JVNII NONA,
ANNI, A CHRISTI NATALI, M D XCV.
DIES NVMERANDA MELLIORE LAPILLO,
PRIMI ET FELICIANI, VTRIVSQVE MARTYRIS,
ACERBÆ, SED SANCTÆ, RECORDATIONI SACRA DIES.
SIC
VLADISLAUS,
POST SOROREM, ET FRATREM, DEFVNCTOS,
QVASI PRIMOGENITVS, ET PRIMVS,
EX PATRE, SIGISMVNDO, ET MATRE, ANNA:
ILLO REGE,
SVECIÆ NATO,
POLONIÆ ELECTO,
MULTORUM ANNORUM, MERITORUMQUE PLURIMORUM;
HAC DOMINA,
QVA PROSAPIAM AVSTRIACA,
QVA CONJVGIVM POLONICA,
PROGNATVS FELICITER.
PRIMVS DEINDE MVLTIMODIS ET FELICIANVS.
CZAR MOSCOVITARVM, E POLONIS, PRIMVS.
VEREQVE FELICIANVS, E POLONIÆ REGIBVS.
SVECIÆ REGIS TITVLVM
RETINENS FELICITER,
SVECIS NOLENTIBVS, VOLENTIBVS POLONIS.
QUEM
ET PATER ET PATRIA PATREM HABVIT.
DUM
PATREM SIGISMVNDVM SEMEL,
CONTRA MANVM PARRICIDALEM;
POLONIAM PATRIAM SÆPIVS,
ADVERSVS VIM HOSTILEM;
REGIE ET EGREGIE EST TVTATVS.
HUJUS
ILLIVSQVE EXTREMO DISCRIMINI INTERCEDENS,
PLANEQVE VITAM VTRIQVE CONSERVANS;
SICARIVM PATRIS, ET PATRIÆ ADVERSARIOS
PROSTERNENS FELICITER.

GRATI-

GRATIAM SIBI PRINCEPS ACQVISIVIT;
DOMI FORTITER,
FORIS COMITER,
VTROBIQVE SE GERENS FELICITER.
VT EVM JVDICARIT DIGNISSIMVM ORBIS,
SARMATICVS ET VNIVERSVS,
PATRIS REGIS SVCCESSOREM,
PATRII REGNI ADMINISTRATOREM.
SVCCESSIT IGITVR, REGNAVITQVE,
SI NON EX OMNI, CERTE MAXIMA, PARTE,
GVBERNANS REMPVBLICAM FELICITER.
EX OMNI BEATVS IN HAC VITA NEMO:
NEMO HOMO: NEQVE DOMINATOR.
MOSCHICVM TERMINAVIT BELLVM;
BELLVM TVRCICVM EXTVLIT:
DISTVLIT BELLVM SVECICVM:
QVODQVE PERAGENS FELICITER.
DIC NOBIS,
HORVM TEMPORVM, PRINCIPEM CHRISTIANVM VLLVM,
BELLIS ET FELICITATI SVÆ SVPERVIXISSE.
EGO NVMERABO ALIQVOT REGES,
BELLIS ET INFELICITATI SVÆ IMMORTVOS.
VLADISLAVM ERGO QVIS NEGET,
E DOMINIS HVJVS ÆVI, PRIMVM ET FELICIANVM?
INFELIX TAMEN IDEM: AIS, VEL MVSSAS:
(VT QVÆDAM ALIA IN COGITATIONEM NON VENIANT)
QVIA, EX DVPLICI CONNVBIO,
CVM CÆCILIA RENATA, GERMANICA,
CVM LVDOVICA MARIA, GALLICA,
NON RELIQVIT, POST SE, REGNO REGEM.
DVM EX ILLA EDITVS, SIGISMVNDVS CASIMIRVS,
REGIS, REGNIQVE SPES VNICA,
SVO PRÆCIPITI FATO,
PATRIA FATA ANTEVERTIT, ET VOTA EVERTIT.
SCILICET,
NON DEBUIT HUIC ORBI DARE SIMILEM;
CUI SIMILEM HIC ORBIS NON DEDIT.
UT EXCEDERET ILLE,
INCOMPARABILIS BELLO, PACEQUE;
REX SUECIÆ SEPTENDECENNIS,
REX POLONIÆ SEDECENNIS;
UNDIQUE AUDIENS FELICITER.

MORIENTIS

VLADISLAI IV.

MAKAPIΣMOΣ,

SIVE

BEATITAS.

REX, pauperque, discito, scito,
ex novissimo exemplo.
Regum sint manus longæ;
longiores sunt Regum Regis.
Hic immortalis unicus;
illi mortales, ad unum, omnes.
Nisi comparatum ita esset,
VLADISLAVS IV. REX,
mortuus non esset.
Manu DEI solâ victus.
Qui humanâ vinci manu,
non potuit,
toties inter hostium manus versans,
invictus, quid? quòd Victor:
non debuit;
dextræ Divinæ ille reservatus.
Vincendus tandem. Imò jam victus

Occu-

Occubuit, anno ætatis LIIIº.
Cum ſpe tamen ſuâ, & noſtrâ,
indubitatæ reſurrectionis:
ut potiatur olim Regno potiori,
quàm quod ei cognatum,
Sueciæ unum;
quodq́; ei deſtinatum,
Poloniæ alterum:
I. N. R. I.
in ſe credenti,
propter ſuamet merita,
id largiente,
vitâ cum æternâ.
Sic,
Chriſto, é mortalibus, addictos cunctos,
Reges quoque fore immortales,
diſcito, ſcito, Rex, pauperque.



DOCTISSIMO VIRO,

JACOBO ZETZKIO,

Marianæ, quæ hic Gedani est, Scholæ primariæ novendecenni hucusque Con-Rectori, perbene sanè merito;

Jam autem ad Rectoratum promoto, ut multòetiam meliùs mereatur, applausus votiq; causâ,

EXHIBITA GRATVLATIO

AMICI.

J. M.

Typis RHETIANIS, *M. DC. III.*

SOlitæ dedit prudentiæ indicium oppidò luculen-tum Senatus Amplisſimus, evecto, ad ipſum regiminis in Scholâ (ſic dictâ) Marianâ faſtigium, Viro Doctiſsimo, Jacobo Zetzkio: qui, per annos decem & novem, fideſis ac gnavi juventæ Submoderatoris munus accuratè imple-vit. Comprobat Senatusconſultum, quantum ſcio, liberi populi Ge-danenſis exiſtimatio communis, & ſecunda eruditorum non è plebe admurmuratio. Tale iſtud eſſe omnes arbitrantur, cui poſſit adſcri-bi: bonum factum. Quæ Viri merita ſint, quæq; de eodem impoſterum quoque bene merituro ſit concepta exſpectatio, ut noverint ſatis, non hoſpites in Patriâ noſtrâ, maximè verò Patres; quibus & iſta & hanc penſi habentibus eum eſt viſum deſignare Rectorem: fas tamen, quæ-ſo, amico non tantùm retro-Con-Rectoris, ſed & (quod præfiſcini lice-at mihi dicere) publici egregij, ac præſertim Scholaſtici, æquiſſimi ſcilicet applauſus gratiâ, utrumque leviter perſtringendo explicare. Quantum jam re bene geſtâ me lætari aliquis perceperit, tantum gau-dere nunquam non intelliget, cùm bene eſt Reipublicæ, Eccleſiæ, Scho-læ, familiisque tam Vrbis, quàm Orbis; *Vobisque fit bene, capita cha-riſſima, quæ de hoc & illâ, quoad per divinam poteſtis gratiam, alio-rumque bonam voluntatem, allaboratis bene mereri.* Charitas non gaudet injuſtitiâ, gratulatur autem veritati. Quem, mi Deus, in ani-mis noſtris exſuſcita, fove, auge affectum!

Jacobo quidem, illi noſtro, Zetzkio, ab eo tempore, quo Scholæ admotus eſt adminiſtrationi, fuit curæ vel maximæ, ut teneros & cu-pidos animos bonis, iisque optimis, nempe cœleſtibus, inſtrueret literis. Hinc ſibi, ſuisque, omnem pollicitus eſt, *non hujus tantùm* facilè finiendi ævi, *ſed interminati etiam alterius, ſalutem.* Scilicet illud ſexcenties auditum, audiendumque millies (dignum eſt ſanè) tam eruditiſſimi, quàm pientiſſimi Apoſtoli oraculum animo volvit re-volvitq; crebriùs: *Corporalis exercitatio* (idem eſto judicium de omni profanâ literaturâ) *ad pauca eſt utilis; ſed pietas confert ad omnia, gaudens promiſſionibus præſentis vitæ, ac futuræ.* De nomine inde adipiſcendo non multa ei fuit cogitatio, non neſcienti, quòd hoc ſit inſtar Croco-dili, fugientem ſequentis, ſequentem fugientis. Idque nominis, & quærentibus Dei regnum, & viâ aliis ad id obtinendum commonſtran-tibus, ſecundùm veritatis verbum cœlo terrâque conſtantius, ut cæte-ra omnia, certo adjicietur certiùs. Sic Timotheus, non minùs diſcens à puero ſacras literas, famam habet proſperam immortalem, quàm eum docentes, mater Eunica, & avia Lois; his & illo tubâ Tarſenſi decantatis. Quomodo igitur Rex, ſceptro plectroque nobilis, alter-que quaſi Dionyſius Ieroſolymæ, hanc provinciam, Numinis inſtinctu, ſibi ſumſit, ut pietatis Alphabetum, & prima rudimenta, pullis ſapi-entiæ inculcaret, cùm ait: *agite, filii, auſcultate mihi, reverentiam ſchovæ docebo vos:* ſic noſter ille Scholæ Con-Rex, ex ſui impulſu officii, an-

tiqui-

tiquius habuit nihil, quàm ut sacris imbueret pubem fidei suæ commissam præceptis; illo quidem timoris divini lacte primùm propinato, tum verò reliquis fidei sanæ & vitæ sanctæ arcanis propositis, tanquam solidioribus animarum nostrarum alimentis. Ac quia ex ipso fonte tutiùs bibuntur aquæ; ad cognitionem libri Dei (quomodo ille scriptus, ex divino afflatu, unus apud entheum Iesaiam audit,) eos adsvefecit manibusque pedibusque. Quem enim ipse trivit semper, ut sui versarent item diurnâ nocturnâque manu, asper fuit exactor. Vnde quot hebdomadis in more positum habuit, Scholastici tractatoris personam sumere, imponere suis auditorum quasi-Ecclesiasticorum. Quid enim est aliud, vel esse debet schola, quàm parva parvarum gentium Ecclesia? sicut Ecclesia est major majorum gentium Schola, esseque eadem debet. Neque tamen (nam nefas) ab Ecclesiasticis Acroasibus suos illos abesse tantùm vel permisit; sed, ut interessent iis majori cum attentione, atque adeò etiam fruge, accuravit diligenter. Hinc repetitiones concionum auditarum, & calamo vel stylo annotatarum; maximè autem animo, valde frequentavit; sanctam profectò operam, & tam laudabilem, quàm quæ maximè. Absque quâ quia ferè est, tanta apud plerosque omnes mysteriorum publicè evulgatorum ignorantia, & qui hanc sequuntur, profani mores. Ad quam quidem repetitionem, nunquam satis commendandam, si assvefiant pueri; deinviri, senesque (credibile est; nisi degenerent) eam vix intermittent. Nam

à teneris adsvescere multum est.

Vigeat ergò iteratio illa ubique, non Scholasticarum tantùm lectionum, sed & Ecclesiasticarum: quæ certè bene vertet universis atque singulis! Verùm occupationis hujusce quasi coticula & norma non negligatur: non. Sacrosanctorũ inquã Bibliorum evolutatio; quâ à primis unguiculis adhibitâ, ad verbi divini præconium audiendum, & ad auditi meditationem repetitam, quilibet multò reddetur aptior. De methodo utiq; studendi, hoc est, docendi discendiq;, multa hac tempestate est conrentio: sed hoc extra dubitationem meritissimò ponitur, quòd divinarum tractationi paginarum principem locum concedere oporteat. Alcibiadis cùm miremur æstum, in colapho infligendo ei *Ludimagistro*, qui Homerum non ad manum habuit docens; cur non miramur, imò indignamur nostrum frigus, qui ferre possumus, Sacrum Codicem ex nimis quàm multorum manibus docentium & discentium penè exulare? De modestiâ quid dicam? à dicto, dicendoque iterum atq; iterum Amico nostro adolescentibus sedulò ingeneratâ: quæ mihi, post pietatem, in discipulis altera est virtus & dos primaria. A quâ si discedant aliqui, actum est de eorum profectu, actum de eorum omni conatu in legitimè appetendis vitæ functionibus, & rectè fruendis expetitis honoribus. Si testi mihi oculato placet habere fidem, ex adolescentulorum nostratium multorum vultu, gestu, sermonibus aut loquenti-

ùm;

um, aut respondentium, me sæpe facilè animadvertisse, qui sub Nostri incude fuissent, jam assevero publicè, quod privatim dixi subinde Amicis nostris & literarum communibus in aurem. Jam ad usum sermonis, una cum Græco, Latini, quem congruum nuncupamus (congruentem, credo, dicere volumus præceptis) quomodo, multâ operâ, disciplinæ suæ alumnos impulerit: quid? quòd artium etiam, quæ disciplinis majoribus & omni doctrinæ ancillantur, maturâ notitiâ infecerit; si exponerem, vulgare illud solummodo proferrem, quod nemo non in trivio obviorum literatorum facere satagit. Spondere igitur pro Amico nihil vereor, eum, consequenti quoq; tempore, nec in svetis illis cessatorem futurum, & in singularibus, ipsi, & aliis melioris commatis propriis, etiam pertinaciorem. Enimvero nunc ille se insuper tantopere commendabit regendi summâ solicitudine, quantopere, superioribus annis aliquot, sub Rectoris emeriti personâ, & Con-Rectoris bene merentis, se reddidit omnibus commendabilem. Est sanè non minùs, si Spartam suam rectè velit sustinere, Rector Scholasticus, quàm Academicus, qui sic Taubmanno est visus, Hercules aliquis: ut etiam nemo non præceptor juventutis publicus, privatus. Tibi igitur, mi Rector, mei amores, ajo, quod Philosopus Herculi suo ligneo: age tertium decimum laborem es subiturus, ut simul svaviter, simul graviter dirigas teque collegasque tuos, & discipulos; Deo, Magistratui, magnis parvisque civibus, & (quod palmarium est) conscientiæ tuæ faciendo satis. Aude tamen, ora & labora. Optimus Maximus dabit vires & successus. Audi verò adhæc: qualem te exhibuisti Rectori, qui excesit Conrectorem, talem habebis, qui tibi sucesit, honoris tui studiosissimum, & ardore juventutis perpoliendæ flagrantissimum. Quem quia penitus novi *Johannem Petrum Titium*, & cognitum item in amoribus nunquam non habui, tanto audentiùs Patriæ, tibi, & omnibus commendo, non immmemor tritissimi, & planè non ignorandi Poëtici moniti:

Qualem commendes, etiam atq; etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

In Consularibus ille filiis feliciter erudiendis pulchrum privatim fecit periculum, ut Præconsulis sibi conciliaverit benevolentiam: in civium liberis similiter laudabilia experimenta dabit publicè, ut obtineat insuper Civitatis. Ac ne multa. Dicere nihil metuo, tam bene fore juventuti Scholam Marianam adituræ, sub reliquis in antecessorum vestigiis pedes posituris magistris, & illo jam Rectore & Con-Rectore, sicut bene habet exercitus, sub bonis, Duce & Optione.

Feci amici officium.

GEDANI
CAPITA LITERATA,
CIVITATIS ORNAMENTA NOSTRÆ;

UT

LITERIS ET MORIBVS BONIS
ORNATISSIMO,

NATHANAELI HECKERO,
NOSTRATI;

DE

VIRTUTE LONGE PULCHERRIMA,

EAQVE,
(CUM A PIETATE DISCESSERIMUS)
IN ADOLESCENTIBVS FACILE PRÆCIPVA;

DE MODESTIA,

EX SOLENNI THRONO ORATORIO,
QVI EST
IN ATHENÆI NOSTRI AVDITORIO MAXIMO,
DIE XXIV. SEPTEMBRIS DECURRENTIS,
HORA MATUTINA IX.

VERBA FACIENTI,
AD DECLARATIONEM VOLUNTATIS PROPENSIORIS,
IN DECLAMATORIS DN. PARENTEM,
IN NOS,
IN COMMUNIA STUDIA,
AVRES DARE FACILES HAVD GRAVENTVR,
VERBIS HUMANISSIMIS,
VT HUMANIORIBUS NON POSSIM,
ROGO ORO QVE.
OMNIUM TAM STUDIOSUS, QUAM QUI MAXIME,

JOHANNES MOCHINGERUS,

SALUTATIONE HAC EDITA,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA RHETIANA,
ANNO, SALUTIS, M: DC. XLVIII.

ET

LECTORI NOSTRO,

ET

ORATIONIS AUDITORI,

S. P. D.

De fortitudine perorantem, tempore ſuperiori, in cathedrâ collocavimus: ſiſtetur ibidem audiendus modò de modeſtiâ. Quorum utriq; tale Orationis ſuæ argumentum eſt nobis viſum commodum maximè. Illius illud quidem generi nobili quadrare duximus: hoc hujus vitæ generi civico. Atq; adeo verò ad omnes prorſus homines, cujuscunq; ſint etiam conditionis, laudatiſſimarum virtutum univerſarum ac ſingularum, non tantùm cognitionem, ſed & culturam atq; exercitationem, ſpectare certum, ac præſertim quibuscunq; certâ ratione propriarum. Inde enim (ſi cum gentilium nonnemine ſic nobis fas eſt loqui, de cætero non neſcientibus, accuratiùs eſſe hac de re ſentiendum, ex Chriſtianæ Philoſophiæ præſcripto) animæ proficiſcitur perfectio, quæ exornat hominem, eumq; firmum ac conſtantem, tum verò conſonum, quà in agendo, quà in dicēdo efficit, ſive ſolus id agat, ſive etiam cum aliis. Quare laus meritiſſimò profectò manet ſapientiſſimum Socratem æterna, quòd aut primus (uti Varronem, libro primo quæſtionum Academicarum, ſect. 15. Cicero inducit loquentem) aut à Pythagorâ ſecundus (quæ ſententia eſt Petri Victorii lib 13 cap. 8. Tullio refragantis) à rebus occultis, & à naturâ ipsâ involutis, in quibus ante eum Philoſophi occupati fuerunt, avocaverit Philoſophiam & ad vitam communem adduxerit, ut de virtutibus ac vitiis, omninoq; de bonis rebus & malis quæreret. Quo exemplo ſi Rhetorici magiſtri producant hodie quoq; ſuos & eloquentiæ alumnos, in concione edifſerentes de iis argumentis, quæ ad ſe omni virtutum & honeſtatis genere imbuendos faciunt, id mihi quidem valde probatur, & planè dignum videtur applauſu. Sive verò eâ fini habeantur Orationes generis demonſtrativi, ſive deliberativi, meo calculo, eſt perinde, atq; utriuq; pariter utile. Hoc eſt (ut clariùs animi ſenſum noſtri patefaciam) vel epidixes & laudationes virtutibus variis decoratiſſimorum hominum, vel paræneſes & cohortationes ad virtutum operam, frequentiſſimè omnium eſſe habendas, prorſus judico.

Cujus item notæ præſentem fore Declamationem, ut ex intimato ejus themate nonnihil liquet, ita patebit adhæc pleniſſimè ex illâ ipsâ à capite ad calcem perceptâ. Modeſtiam enim cùm ſibi, tum ſuis inſtudiorum commilitio ſociis, amabilem reddere modis omnibus

bus allaborabit Declamator noſter. Quam virtutem, apud Græcos, copiis verborum aliàs locupletiſſimos, nomen nullum habere peculiare, nonne mirum? At verùm id utiq;: quia ipſe in dicendo non minùs, quàm ſapiendo ſummus Ariſtoteles, eo loco, ubi virtutem hanc proponere ei fuit inſtitutum, rem quidem ſatis deſcribit, ſed nomenclaturâ nullâ ſingulari inſcribit. Σωφροσύνη namq; (quod inter omnes conſtat) præcipuè partim temperantiam notat, partim prudẽtiam, aut univerſim omnem animi incolumitatem. Proinde, qui Sophoclem, Euripidem, & Clementem, omnes tres Græcos, ſic, ut audiemus, faciunt de modeſtiâ loquentes, mentem potiùs eorum exprimunt, quàm verbo verbum. Illum quidem ita: pulchra eſt modeſtia. Itemq;: modeſtos Dii amant, & oderunt malos. Iſtum: hem, hem, quàm ubiq; pulchra eſt modeſtia, & egregiam gloriam inter homines affert! Hunc: imperitia cum modeſtiâ conjuncta eſt utilior, quàm peritia cum immodeſtiâ. Qua propter Apoſtolus ad Romanos Græcanicas, quæ tum ab omnibus ferè gentibus & legebãtur & intelligebãtur literas ſcribens, ac ea, quę modeſtię ſunt, inibi præſcribens, dictionẽ figuravit circuitione uſus: per gratiã, inquit, quæ mihi data eſt, edico cuivis verſãti inter vos, ne ſapiat ſupra quàm oportet ſapere; ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuiq; Deus partitus eſt menſuram fidei. Et paulò poſt: non ſitis alta affectantes; ſed ad humilia vos demittentes: nec prudentes apud vosmet ipſos. Quod utrumq; admonitum, utcunq; ſimpliciter, at Latinè tamen, ita efferat aliquis: nemo non veſtrûm modeſtię eſto ſtudioſus.

Atq; utinam hoc tubâ Apoſtolicâ decantatum Oraculum omnium noſtrûm non auribus ſolùm, ſed pectoribus etiam ſemper inhæreat! Quod noſtro quidem Heckero altè infigere admodum nobis curæ fuit cordiq;, ab omni eo retro tempore (quatuor ipſis elapſis annis, quibus ferè egere me fateor, ad ingenerandam adoleſcentulo alicui modeſtiam; ſicut Pythagoras ſibi poſcebat luſtrum dari, quò ſuos ſilentium doceret; etſi non ignorem, profiteri aliquos, quòd multò breviori ſpatio neſcio quę non? ætati tenerę inſtillare, an infundere? poſſint) à quo inquam quadriennii exacti tempore, à Parẽte ſuo, quem honoris cauſſâ hîc non extollo; ne modeſtię ejus bene mihi perſpectę oneris aliquid moleſti imponam, noſtrę traditus eſt diſciplinę. Quâ doctrinâ noſtrâ quodammodo hucusq; ſubacto addidi demum animos, ut prodire auderet & fari publicè, non tam ſanè ſe oſtẽtandi cauſſâ, quòd longê à modeſtiâ foret alienum; verùm eam virtutem aliis oſtendendi, quam accepit eſſe tam amore dignã, quàm multo ſtudio. Jam quidem laudatum Socratem tradit Romanus offi-

ciorum

ciorum doctor dixiſſe, viam ad gloriam proximam eſſe & compendiariam, ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet: ſic à me noſter bonorum officiorum diſcipulus ſibi nimis quàm ſæpe inculcatum eſſe optimè meminit, id eſſe regium ad profectus in re literariâ maximos acquirendos iter, ſi quis modeſtiam in amoribus habuerit. Quemadmodum de adverſo vitio pulchrè Romanè elocutus eſt Romanus Sapiens, cùm ait: puto, multos potuiſſe ad ſapientiam pervenire, niſi putaſſent ſe perveniſſe. Ad quæ verba commentatorum præclariſſimus, ille modeſtiæ magnus ebuccinator, ſectatorq́; : ego tecum, ô Annæe! Quot experimenta cepi in juventute hujus opinatę ſapientię, ut Plato appellat, &, quamprimum in viâ pedem poſuerunt, viſi eum habere in metâ! En verò vobis, ô mei literarum ſtudioſi, at modeſtię fortè incurioſi, inſuper duo graviſſimorum Virorum ſimilia effata. Alterum: elatio animi eſt profectus impedimẽtum, ſive, ut Lipſius conatus eſt Græcam vocem reddere, inciſio. Alterũ: perſuaſio inanis ſapientię eſt impedimento profectui. Illud Sophus protulit, Bion Boryſthenites: hoc Iſidorus Peluſiota, Rhetor.

Sed longè plura utiq́; alia ad modeſtiam pertinent, quàm quę tetigimus. Uberiùs eadem explicabit noſter ille, cui eâ de dicturo, tam honoris, quàm amoris ergò aures præberi velim libenter. Honoris gratiâ, à Viris Ordinum omnium eruditiſſimis: amoris à viris juvenibus & adoleſcentibus eruditionis cupidiſſimis. Honorem ejuſcemodi ſibi habitum omni in vitâ annitetur rependere, quoad poteſt, Declamator honoris ſtudio; amorem amoris. Eja igitur agite, docta capita, tanti eſſe, aut videri nobis Orationem de gravi & utili propoſito, oſtendamus, quanti rei alicujus leviculę & futilis adſpectum, cujus cauſſâ capita plebeja ſe aliquando valde erigunt, ut auribus oculisq́; venaturam faciant. Inaudita equidem non proferentur, ſed auditu vix omnino indigna. Audiantur, ſi placet. Nam ego abrumpã noſtram hancce invitationem, hoc ſolùm adjuncto voto; ut, quos habui modò Lectores, nanciſcatur Declamator Auditores; imò etiam, qui his oculos commodare non potuere, ut illi aures non nolint. Id quod fiat omnium commodo. Quibus ego valetudinem, & negotiis ſe expediendi facultatem gratiſſimam apprecor. Dabam, Anno redemtionis noſtræ per Chriſtum partæ, 1648 pridie feſti Euchariſtici, quod, pacis publicæ gratiâ, poſt inducias viginti ſex annorum inter Regna Poloniæ & Sueciæ anno 1635. ſancitas, (quæ æra omnibus nobis valde eſſe debet obſervabilis) tertiâ & decimâ vice peragimus, ſummâ animi contentione optantes, ut dies ille tam lætus usque & usq́; recurrat, ſalvis arisq́; focisque noſtris!

GEDANI.

ORATIO,

IN

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI,

DOMINI,

JOHANNIS CASIMIRI,

SUECIÆ REGIS HÆREDITARII,

IN

POLONIÆ REGEM,

DIVINA PROVIDENTIA,

PRVDENTIAQVE HVMANA,

ILLUSTREM ELECTIONEM;

ANNO M DC XLIX, DIE XIIX JANVARII,

GEDANI,

HONORIFICENTISSIMA CONCIONE

PRÆSENTE,

A

JOHANNE MOCHINGERO.

DICTA;



IN QVE TYPOGRAPHEO RHETIANO EXSCRIPTA.

IN

REGIÆ PATRIÆ,

GEDANI,

ORDINI TRIPLICI,

DNNN[rum],

Consulum,

Scabinorum,

Centumvirorum,

honoratissimi, diligentissimiq;

cultûs caussâ,

hæc esto exhibita

ORATIO.

NOBILISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI,

DNNNI,

CONSULES,
SCABINI,
CENTUMVIRI;

DIvinâ adjuvante gratiâ, quartò nuperrimè dixi, Regum noſtrorum in concelebrationem. Semel SIGISMVNDI III. Binis vicibus VLADISLAI IV. electi ſcilicet, & gloriosè defuncti. Jam JOHANNIS CASIMIRI, in Paternum Fraternumq; collocati Thronum Regium. Deberi hæc Dominis à cive, intimè credidi: imò plura & majora, ſi eſſet præſtando. Quæ autem ſupremi Dei mens in ſpectando animo; ea meritiſſimò eſt inferiorum quoq; Deorum, &, qui illi, ac his ſtudent eſſe, moribus ac judicio, aliquâ ex parte ſimiles. Prima noſtra Oratio Vobis, DNNNI, Burggrabie, Præ-Conſules & Conſules, fuit inſcripta: & accepta bene. Altera fuit tradita & Conſulari & Scabinorum Conſeſſui: ac ſimiliter benignè excepta. Nunc eam, quæ præſens eſt, inſinuare viſum omnibus ſimul Ordinibus Vrbis tribus: cum ſpe nihil incertâ, rem fore haud ingratam. Ceſſere certè pro tantillarum Orationum ſuperiorum labore qualicunq; quantò exſpectata minùs, tantò à me digniùs æſtimata præmia. Pro quibus utinam beneficiis, Vobis, DNNNI, quin pro audientiæ tantùm honore, toties benevolentiſſimè mihi habito immerenti, meritiſſimas verbis (factis ut poſſim, Veſtra publica & mea privata fortuna planè negat) referre queã gratias! Ac imprimis pari ratione denuo ſtudioſiſſimè hîc commemorando CHRISTIANISSIMARVM MAJESTATVM REGIARVM, AD SERENISSIMVM REGEM ET REGNVM POLONIÆ, ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO LEGATO, DN NICOLAO DE FLECELLES, VICECOMITI A CORBEIL TIGERI ET BREGI &c. Cui quâ ego gratiarum actione rependam iteratam præſentiam, quâ illuſtravit noſtram panegyrin, atq; tam conſtantem, & proximæ, & huic dictioni, navatam auſcultandi operam? Quem quidem adeo ſingularem affectum & mihi, & Vrbi, Vrbiq; noſtro Lycéo, ac literis communibus oſtenſum, cùm nequeamus

aliud,

aliud, ut DOMINA *ejus,* GALLIÆ REGINA, MATER, ET DOMINVS *ejus,* REX FRANCIÆ, *dum Vtriq́, ſine dubio, gratam & ſe dignam fidem ac induſtriam egregiè hactenus declaratum ivit, eundem majoribus indies* honoribus *accumulando, remetiatur, ex animo opto, exoptoq́. Vobis autem,* PATRIÆ PATRES ET QVIRITES, *nihil quoq́ deſit ad ſummam felicitatem univerſis ac ſingulis, pro omni benefactorum genere iterum iterumq́ in nos collato; cùm ſub* DOMINO NOVO, JOHANNE CASIMIRO, *tùm ſub Illius & cunctorum* DOMINORVM DOMINO ÆTERNO! *lta precor ſincerè, & ſine ceſſatione precabor,*

VESTRIS DIGNITATIBUS OMNIBUS,
DNNNI
NOBILISSIMI, PRUDENTISSIMI, SPECTATISSIMI,

ſacri Officii, & Spartæ Profeſſoriæ
ſtudiis deditiſſimus,

Joh: Mochingerus.

Dab: Ao. à Chriſti, quà hominis nati, ortu, 1649. die, poſt recitationem, altero.

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS,

JOHANNIS CASIMIRI,

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

THRONVM REGIVM,

SUBJECTISSIME COLENDI CAUSSA,

SOLEMNIS ACCLAMATIO,

ANN. M DC XLIX. POSTRIDIE DIEI,

QVO SVECIÆ IDEM REX
REX ITEM EST CORONATVS POLONIÆ,

DIE XIIX. JANUARII, HORA IX. MATUTINA,

IN,

GEDANENSIS NOSTRI ATHENÆI,

AUDITORIO AMPLISSIMO,

CVM DEO, HABENDA;

ATQVE

IN GLORIAM,

SACROSANCTÆ DIVINÆ MAJESTATIS,

SACRÆQVE REGIÆ,

AB VRBIS PATRIBVS, FRATRIBVS, CIVIBVSQVE,

ISTHOC HONORIS ET AMORIS NOMINE SALVTATIS,

UNIVERSIS AC SINGULIS,

PROPENSE AUDIENDA;

PUBLICITUS INDICITUR,

A

JOHANNE MOCHINGERO.

AD LECTOREM
HONORATVM ADAMATVMQVE:
CVM VOTO, VT CVICVNQVE BENE SIT!

NOstrum in thronum (Regii pace throni, hac appellatione, jam olim apud Græcos tritâ, fas ſit inſignire ſedem excelſam Oratoriam) pedem iterum inferre eſt viſum, & feliciter acclamare in Regem Poloniæ electo, jam etiam antè Regi Sueciæ hæreditario, JOHANNI CASIMIRO, *Domino & Auguſto* noſtro Clementiſſimo. Idq; prorſus duxi eſſe officii. Quemadmodum enim iſtud muneris ad gentium majorum ſpectat Rectorem, ut, pro tribunali, ſententiam frequens pronunciet: ſic (magnis parva ſi fas eſt componere, & *ſceptris plectra æquare*) *ad minorum in eloquentiâ informatorem, quem Rhetorem vocare*, conſuetudo pariter Græcanica, pariter Romana obtinuit, non rarò ad perorandum ſurgere in ſuggeſtu, atq; profeſſionis ſuæ edere opera. Ac præſertim verò, cùm magnorum momentorũ ſe offerunt occaſiones, adeoq; opportunitates optimæ. Qualis illa, quæ jam eſt præſtò, ſanè profectò egregia, imò regia. Sicuti nec intra hæc penè quatuor luſtra, quibus hactenus, diviná favente aurâ, deſudatum eſt in Gymnaſii noſtri circo, facilè paſſus ſum mihi elabi tacenti, quæ occurrére, conſimilis notæ honorifica dicendi tempora. Enim, citra jactantiam, quam minimè omnium noſtri hominem ordinis, nempe ſacri illius,

decere

decere memini, hæc commemorare habeo moris noſtri. SIGISMUNDUM III. denatum planxi. Applauſi VLADISLAO IV. electo. Subq; eo inſtauratæ his in oris pacis & quietis publicæ, quâ gaudemus, inenarrabile bonum extuli. Et nuper defuncti ejusdem VLADISLAI in luce poſui fortunam. Nunc igitur, in Regium locum ſurrogato, CASIMIRO (vitam noſtram, homuli non tanti, benigniter producente Domino Deo noſtro, ſub unius & alterius Dominorum fatis) adeo nolui partibus meis deeſſe, ut illas, pro viribus, implendi, comprecatus Numen, animos ſumſerim. Quos etiam auxiſſe ſenſi, ex recordatione ſuperiorum experimentorum, quæ eam fiduciam mihi ingeneraverunt, fore iterum omnino, ut audiar, aut non malâ cum gratiâ, aut, etiamſi cùm ſplendidæ, tum amplæ & doctæ coronæ auribus, ne dicam propoſiti ſublimitate, inferiora proferantur, bonâ veniâ. Neq; diu multumq; deliberavi, ſive circa materiam deligendam, ſive circa dictionis figuram comminiſcendam; ſed, noſtræ mediocritatis conſuetudinem tenens, ſum occaſionem amplexus, & rem præſentem, unde facilè efflorescere poſſe judicavi juſtam aliquam Orationem. Tempus eò adhibitum, quod licuit decerpere à tot ad populum allocutionibus ſacris. Longè lateq; arceſſitam dicendi pompam illis in alto poſitis Heroibus relinquo: mihi memet infra medium libenter collocanti curæ cordiq; erit parabilem promto & ſincero animo prodere ſermonem. Edicam autem modò breviter, quid igitur conſilii ceperim, quidque, ſuprà dicto loco & tempore, explicare libeat, non nimiopere tamen longum facturo? Oſtendam videlicet, meritiſſimò ſic nobis videri,

quòd

quòd admirabilis divina providentia clementer, & laudabilis Electorum Polonicorum (quorum numerus non ex antiquo Germanico Septemviratu, vel novo Octoviratu, sed chiliadibus, imò myriadibus, hoc est, universâ incomparabilis Nobilitatis Sarmaticæ coronâ, constat) circumspectio prudenter, in solium Regale evexerit JOHANNEM CASIMIRUM, SIGISMUNDI III. filium, VLADISLAI IV. fratrem, & plurimis Cæsaribus Regibusq; cognatum sanguinem. Quo declarato, personæ nostræ & pietatis neutiquam immemor, sacra verba paucula fundam, pro emolumento Regis novi, imò verò etiam, quod illo ipso continetur, nostropte. Favete, quæso, Patres, Fratres, Civesque, & omnes huic instituto nostro: ut feciſtis antehac eximiè. Quantò ego quidem minor sum, qui Vos voco, tantò major est Ille: cujus nunquam non studere honori nos cunctos est æquissimum. Regis, atq; cumprimis DEI, gloriæ nostram destinavimus Orationem, aut, ut ex tenuitatis nostræ conscientiâ nuncupetur, quemadmodum sentio, Oratiunculam. Qui sanè nuper admisistis oculis pyrii theama effectus; accipite nunc auribus ignei affectus acroama: cujus hæc erit quasi summa, scopusq;: Vivat in longævorum Regum annos, JOHANNES CASIMIRUS, Rex! Floreat, Regia GEDANI Urbs in secula, si quæ sunt Orbi ventura! Gloria DEO, & Regum, & Urbis & Orbis Regi immortali, in secula seculorum! Dabam, è Museo nostro, Gedani, Anno recèns ingresso, 1649. die 14. Januarii.

ORATIO

ORATIO.

CHRISTIANISSIMARUM MAJESTATUM REGIARUM ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME DNE. LEGATE; REGIÆ URBIS, GEDANI, PATRES NOBILISSIMI, DNNNI. PRÆCONSULES, CONSULES ET SCABINI GRAVISSIMI; FRATRES PLURIMUM REVERENDI AC DOCTISSIMI, CUM ECCLESIARUM, TUM ATHENÆI HUJUS ANTISTITES EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI; CIVES SPECTATISSIMI, FLORENTISSIMIQVE; VOSQVE PATRVM, FRATRVM, CIVIUMQVE FILII LITERIS DEDITISSIMI, NEC NON STVDIIS CONSECRATI JUVENES CONVENÆ, AUDITORES OMNES MIHI IN PRÆSENTIA EXOPTATISSIMI, EXSPECTATISSIMI:

QVem & altisſimum & amplisſimum ſanguinem, utpote Cæſareum Regiumq;, atq; adeo humani florem ſanguinis, variis in adverſis fuiſſe tenet; jam autem in auguſto digniſſimè collocatū eſſe throno Regali, perculſus ſtupet Orbis. Atq; ejus quidem Regni Regem factum: quod ſanè Regnum,

Regnorum olim maximè præcipuo, celebratisſimæ nempe Ægypto, non injuriâ æquari poteſt; imò compluribus in rebus jure anteponi. Fuerit enim illa etiam, quemadmodum à naturæ Bibliothecario laudatur, frugum fertiliſima, quæ pariter ſuorum neceſitati ſuffecit annonam, pariter alienæ, ut publicum Orbis horreum nuncupari cœperit: Sarmatia noſtra eidem hoc nomine non palmam tantùm reddit ambiguam, ſed, citra controverſiam, præripit. De re equidem hîc notâ nimis loquar; ſed ſæpius tamen meritisſimò vulgandâ & extollendâ, ut univerſis univerſi populis ad admirationem innoteſcat. Ex largisſimo & abundantisſimo vicino ſolo quantam quotannis advehere nobis putas frugiferum illum, & ſuis, quaſi Pactolum & Tagum, planè auriferum, Viſtulam, frumenti copiam omnis generis? ne dicam de aliis vitæ utilibus, quid? quòd neceſſariis. Quantam interrogo? Reſpondere utiq; ipſe ego vix audeo: quia quanquam vero nihil majus dicenti ægrè credere audebit aliquis. Reſpondebo tamen, teſtimonii ſui calculum calculo meo facilè addituris Vobis plerisq; omnibus, qui dicendorum non eſtis ignari, quin gnarisſimi. Apportantur, inquam, annuò, quandoq; quatuor, quandoq; quinq; mille ratibus onerariis, modiorum ad ſex ſeptemve milliones, qui quaſi tribus, vel quatuor, millionibus Uncialium argenteorum, numeratâ ſemper paratâ pecuniâ, veneunt. Quam tantam, pro tam magnâ meſſium ſuarum vi, meſſem auream metunt poſſeſſores; noſtris mercandi curâ aleæ plenisſimâ relictâ, qui divendunt ſuperfluum & Belgis & Hiſpanis, aliisq; Polonici panis egentibus, ut ut cætera bene opulentis. Ecquantum verò Cereris ſuæ illa ipſa ſibi

sibi retinet copiosa & dives genitrix, liberorum suorum innumerabilis multitudinis alendæ gratiâ?

Longi de reliquo sermonis res foret, alias, easq; quamplurimas, telluris atq; gentis Lechicæ laudes, ac potissimùm, sive illius amplitudinem, sive hujus generositatem perstingere, ne dicam explicare: cujus & telluris & gentis multimodis laudatæ Rex jam audit JOHANNES CASIMIRUS, Dominus item noster clementissimus. Quem quidem Poloniæ; quem magni Ducatus Lithvaniæ; quem Terrarum annexarum, ut & nostræ Borussiæ (quarum ista Regnum jam pridem fuit per se sola, ille Ducatus certè profectò, & hæ terræ multis Regnis antiquis & novis sunt præstantiores) Regem esse electum, sive tot Regnorum Regnatorem, non sine singularis providentiæ divinæ & humanæ prudentiæ claro indicio; ut jure agnoscimus, ita meritò deprædicamus.

In quem sensum me ex hoc suggestu dissertaturum omninò benevolentissimè auditum iri, tam mihi sum certò pollicitus, atq; istud nunc, ex frequentissimo hoc cœtu, & illis omnium tam intentis in nos oculis, inq; cœptam dictionem nostram auribus, jucundissimè perspicio. Prodire igitur volui de Rege peroraturus, tam quidem officii & moris nostri caussâ, quàm studii, aliquantillum (quin verò etiam nullus timeo eloqui, tantum insuper, quantum restare duxi) adjiciendi ergò ad cumulum honoris, quo legitimè debiteq; nuper affecimus Dominum. Honoravimus, precationibus ad Deum pro eo fusis, & adhortationibus ad populum obsequii monendum factis; honoravimus æneis fistulis displosis: honoravimus, campanis & tubis sonantibus: honoravimus,

pyrio pulvere animatis jaculis, ob feſtivitatem & oblectationem turbæ, in auras emiſſis: honorare itaq; deniq; eundem fuit viſum reliqvum hac Oratiunculâ noſtrâ, Regiæ exiſtimationi dicatâ: quæ, ut ſplendorem & autoritatem per ſe ipſa non haberet, à loco tamen & Auditorio hîc futuro præſente eximiam eſſe accepturam, apud animum meum prævidebam. Ex illis enim experimentis noſtris aliquot augurabar bene, adfore modò talem concionem, qualem nullam illuſtriorem in ullo Civitatis hujusce theatro videre datur. Quemadmodum, multâ & multò maximâ cum mentis meæ voluptate, hîc modò iterum coràm intueor Chriſtianiſſimarum Majeſtatum Regiarum Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dn. Legatum; eminentem Patrum Curiam; Dicaſterium Scabinorum ſanctum; fratrum reverendum Presbyterium; Collegarum doctum Gymnaſium; Civium ornatiſſimorum varias tribus; Patritiorum elegantem numerum; & pulcherrimam majorum & minorum Quiritum manum. Quâ tantâ apparente multitudine utiq; inſigniter coli Regem, quidni omnium eadem mecum ſit ſententia? Quàm enim tralatitium alicui videri poteſt, uti mihi ipſi ſic videtur, meo hominis, ne dicam Rhetoris, mediocris ſermone celebrari Sacram Regiam Majeſtatem; tam glorioſum, credo, æſtimabitur, edi vocem noſtram, annuente & approbante maximè egregiâ iſthac coronâ.

Ego verò, quamvis id per ſe eſt notum, (& factum id à nobis nunquam non, futurumq; poſterum) ut dignitati Regiæ modis ſtudeatur omnibus meritiſſimò: tamen CASIMIRI in oculis ferendi momenta, qualia libenter in æſtimatione habent, & non apud ſe non pendunt cordati Catones & cata pecto-

pectora, in memoriam Vobis revocabo. Quorum partem cœlo deducam; partem sub Sole exstare simul declaratum dabo. Atq;, ut longiori serie proferenda ad summam redigam, curæ mihi erit proponere, esse eum utiq; omni honoris genere prosequendum Regem, quem & Deus, sine dubio, dedit, & Megistanes Poloniæ, Lithvaniæq;, ac Ditionum sociarum, nosq; ipsi, magno cum universorum & singulorum consensu & applausu, approbatum ivimus. Cui demum fausta apprecabimur Regi Dominoq; nostro, &, quod dictione in præsens intima vimus; opere, quam diu nobis vivere concessum, hoc est, illi imperare, nobis parére, nunquam & nusquam immemores continuabimus.

Næ parùm esset dictum, ego certè sic existimo, parùm fore, si eò solùm nostra tenderet Oratio, ut ostenderetur, laudabili consultatione Magnatum, (qui tamen nonnisi homines sunt, utut plebe exemti) CASIMIRUM esse electum in Poloniæ Regem, eorundemq; humanis manibus, pridie hujus lucis, diadema ei impositum: nisi excelsiùs & sublimiùs rem repetens liquidum facerem, mirificissimâ id factum esse ipsius Optimi Maximi autoritate & moderatione, ut thronum conscenderit, & capessiverit fasces.

Non verò hîc Scholam eruditam habebo, cum recentiore quidem, sed veteribus nihil inferiore, Politico monitore doctoreq;, Justi nomine publicè notissimo, qui, suo loco, Regna & Reges à Deo dari, præclarè monet, ac exquisitis exquisitissimeq; enarratis exemplis docet: sed populari & facili recordatione eorum, quæ huc faciunt, nos in eo sensu confirma-

bo, qui jam pueris nobis inhæſit, Deum eſſe Deorum Deum, & Regum Regem, Regnorumq; diribitorem. Didicimus enim iſtud adhuc teneri, cùm Chriſtianorum propria, quæ ad fidem vitamq; pertinent, ex illo credendorum & agendorum breviculo, ſeu pinace, primò omnium cognovimus, & hoc ibidem adſcriptum præſcriptumq; enthei gentium didaſcali oraculum: Non eſt Magiſtratus, niſi à Deo: & quisquis eſt Magiſtratus, eſt à Deo. Quod ego effatum unum ſexcentis, quanquam ejusdem ſententiæ, paganicorum quorumcunq; Magiſtrorum; ſive nominatim illius, ut audit, Philoſophorum Dei, Platonis, ſive ſic ſupra modum elati, dicto:

Quo minor eſt, quisquis maximus eſt hominum—;

Ariſtotelis; ſive illius, non eloquentiæ tantùm, ſed etiam, ſi quid ego judicare posſum, ſapientiæ Romanæ Parentis, Tullii (taceo alios, cum his non comparandos) ſententiis & pronunciatis longè longeq; præfero, atq; eapropter cito lubentiùs: quemadmodum hoc ſenſu mecum congruere arbitror omnes religiosè doctos. Eaq; ſententia, de Poteſtatibus deſuper originem & auctoritatem habentibus, penitiùs nobis infixa eſt, ex conſcientiâ eorum, quæ domi accidisſe commeminimus, hoc eſt, hiſtoriarum domeſticarum, quæ ut nobis ſunt multò cognitisſimæ, ita perſuaſisſimæ. Cui etenim non fiat credibile, Numinis quaſi manu præberi Dominatores, hominum autem tantummodo prehendi, quisquis memor eſt noſtrûm Tui, Piaſte, ad principatum Poloniæ (nondum apice Regio eminentis) ſummum, non aliter, quàm divino modo, vocati, an pertracti? Cùm videlicet Popielus junior, majoris Popieli ſucceſſor,

mali

mali corvi malum profectò ovum id est, pessimi Patris deterior filius, à murium horribili catervâ, divinitus in vindictam immissorum (cùm, idem æquè docente monenteq; honoris caussâ suprà commemorato, Principum animorum informatore, Regna & Reges tollantur à Deo, ut dantur) ab usu gubernaculi & vitæ depulsus esset; imò, cum suis, uxore pariter, pariter & liberis, parentes malitiâ referentibus, animalculorum, quæ ex cadaveribus suo & conjugis nefario ingenio peremtorum cognatorum ortum habuere, pabulum factus (o exemplum nunquam silendum, obliviscendum nunquam; ex quo videre est, *nihil utiq; minùs esse ingeniosum Numen ad puniendos ipsos à se constitutos Dominos*, quàm hi sunt ingenioſi ad peccandum!) Cùm, ajo, Popielus principatu & luce orbatus esset, quem miserè perturbati Lechitæ reperire non potuerunt sibi meliùs imperaturum, fata ostendére, digito quasi intento in quendam ligone operantem, nec quicquam minùs exspectantem, quàm sceptra. Is erat Piastus, integer vitæ quidem, scelerisq; purus, & mirificè hospitalis; sed oppidanus, agricola, &, ut vulgato Sarmatis utar nomine, Cmetho. Qui, præter opinionem, sed ad summam rei communis salutem, salutatur Dominus, Princeps, ac quasi Rex. Quem quasi cœlitus delapsum manifestissimus Numinis favor est semper prosecutus: ut Poloniam pacatissimè adgubernaverit, & vitam suam usq; ad annum vicesimum, ultra centesimum, produxerit: quiq; post fata superstes, seculorum quinq; decursu, regnavit in post-genitorum longùm perdurante ordine, aut Principatum, aut Regnum Polonicum administrantium;

tiam; quiq; etiam nunc verò floret in Ducibus Lignicenſibus & Bregenſibus. Ita videlicet hic Princeps, ex peculiari, ut nemo facilè inficias ibit, Dei benevolentiâ, contigit Sarmatiæ: quâ geminâ divinâ benignitate eadem etiam Regem jam jam commemorandum, dubio procul, eſt adepta. Caſimirum inquio, quem vocamus primum. Sub cujus quidem nativitatem tellus Sarmatiæ univerſa inſolito horrore eſt concuſſa, non tamen penitus malo, ſed bono potiùs omine. Explicuerunt etenim ſe demum fata. Quia, ſicut, ſub Rixâ, Caſimiri matre, rerum cum Regiâ poteſtate potiente, miræ & pertinaces omnium ſtatuum rixæ, atq; inde omnis generis orta mala, ultimam penè cladem Regno procreavere: ita Caſimirus, ex Cluniacenſi Galliæ cœnobio receptus, divinam planè felicitatem ſecum ad regimen adduxit. Non enim Amneſtiâ tantummodò, quæ nunquam non præſentisſimarum virium eſt deprehenſa, tanquam Panacea decantatisſima, morbos ſimultatum, inter ſuos immane quantum graſſantes, fauſtiter ſuſtulit: verùm etiam armorum vi compeſcuit Maslaum, Maſoviæ Ducem, & majores noſtros, Pruſſos, finitimorum antiquâ ægritudine laborantes. Quem Caſimirum etſi metuo cum hiſtoriæ Polonicæ novitio conditore dicere, calamitatibus, precibus & laboribus gentis, repugnanti velut Numini extortum; nihil tamen vereor affirmare, à bene cupiente Numine eſſe obtentum. Ne multa. Sicuti à Deo proficiſcuntur bona dona omnia, à Patre luminum: ita & Rectores populorum: iiq; Piaſtei illi & Caſimiriani.

Quemadmodum, me iſtud nondum eloquente,

Vobis AA jam quoq́; occurrisse in memoriam CASIMIRI illius, vel maximè in præsentiâ dicendi & intuendi, nullus ego dubito. In quo nunc Rege Dominoq́; nostro haud sanè obscurum mihi videor animadvertisse fati egregiè propitii signum; quod, quomodocunq́; possum, aut potiùs debeo, in luce ponam, Vestrorum de cætero animorum considerationi id magis commendans. Applicuit is animum, annis superioribus, ad segregem à seculi curis solicitudinem & solitudinem; sed aliud optante Fratre Vladislao, quem sic fatidico quasi spiritu correptum fuisse res loquitur: cùm aliud planè expetebat esse factum. Namq́; hic Pontifici, suscepti à CASIMIRI devotione status nomine, gratulanti (quod publicè notum) respondit; minimè sibi conveniens videri, Regium sanguinem claustris septisque privatis concludi: cùm sit gloriosius, publicæ populorum utilitati prælucere: dum Principes, summâ eorum regulâ attentâ, & supremo officio, saluti populorum prospiciunt, fines imperii ac orthodoxæ Religionis proferunt, cultum augent divinum, ceremonias, res ac personas sacras, vel vitæ propriæ periculo, tuentur: quibus occupationibus & illud cœleste, & terrena Regna sibi comparant. Proh verba cedro digna & cedri superatura ætatem! Atq́; ita præsens declarat eventus, jam demum eo esse loco CASIMIRUM, ubi esse debebat. Sicuti igitur, sapientissimo Hebræorum Rege isthoc nobis prodente, in suis divinæ sapientiæ plenissimis proverbiis, in ore Regis est vaticinatio: ita jam olim prædicta à Rege nostro illo beatè defuncto, nunc Regno fungentis, sui successoris, evectio. In quem

uti, o ſancta Divinitas, tam luculentè admirabiliter contuliſti dignitatem tantam, nempe quæ à Tuâ eſt ſecunda: ita fac, quæſumus, ut Tuæ æmula bonitas & juſtitia in eo conſpiciantur luculentisſimè!

At multò etiam plura AA. divinæ directionis, ex humano Dominum Regemq; noſtrum ad ſolii Regii honores vocantium Procerum paululùm explicato conſilio, jam jam annotabo argumenta. Quos quidem tam multos in unum deniq; potuisſe conſpirare, quem Regem eſſe ſuum voluerint, nonne cœleſte fatum eſſe, aliquis planisſimè mihi largietur? A Septemviris Germaniæ decerni Imperatorem, cœlo adſcribitur; ecquid igitur non cœleſti imperio iſtud, ſine exceptione, tribuendum, cùm Numinis afflatu tacti tot milleni, (ex quibus penè infinita conſtat nobilitas Polonica) uni deferunt ſceptrum; etſi licet liberè ac licenter hi ab illis diſſentire queant, illi ab his, atq; adeo ſæpe ac diu, diſcordiâ luxuriante, diſſentiant. Quemadmodũ omnes, omnes tandem voluimus CASIMIRUM nobis præeſſe; illi nos ſubeſſe. Inſpirante id autem utiq; Domino Deo eſſe factum, quantum poſſum, clarâ voce dico, edico, proclamo. Non etenim commune ſolùm virorum nobilium Sarmaticorum hoc placitum fuit, hæc mentis eorum vox, à Præſule primùm prolata, tum à Mareſchallis publicata, Rex eſto CASIMIRUS, qui vivat: ſed divinum quoq; placitum, divinæ vox mentis. Illis hanc mentem indidit ſupera mens. Quæ uti illam ſapienter ducit, ita ingerit quædam, in quibus voluntas conquieſcit inferior. Sicut pergam alias divinæ ſuggeſtionis & aſſenſus humani, in complectendo hoc Rege, ſed tamen tantùm obvias aliquas (quî enim

ego è profano vulgo, vel omnes, vel arcanas illas & sanctiores posſem?) ſtricturas commonſtrare. Tantò nempe charior erit nobis noſter Dominus, & nos ejus honorandi ſtudioſiores, quantò altiori & juſtiori æſtimatione perpenderimus Regiæ conſtitutionis põdera.

Eſt apud Polonos ſe ſubjicere, cui volunt, tam liberum, atq; eſt apud gentem ullam: ſed illi, more tamen & amore ſuorum, quibus ſe ſpontè ſemel ſubmiſere, eam ferè tenent in faciendis Regibus rationem, quæ providentiſsimè tales admitti arguat, qui electi cùm regnare bene noverunt, tum liberos educare, regni favorem & ſuffragia aliquando merituros. *Eunti per gentis annales offerent ſe quàm plurima exempla, probatorum in Regiâ dignitate tuendâ Patrum filios eſſe approbatos, & ſuffragatione Ordinum communi ſucceſſores deſignatos.* Præcipuorum duntaxat quorundam nobis in mentem veniat. Idq; conſuetudinis maximopere contemplatione & prædicatione dignæ, ob ſpecimen temperatæ ſucceſſionis cum electione, jam ab antiquo ſervatum videas. Enim Lesco, qui IV. eſt dictus, adhuc impuberi, ſeu rebus gerendis nondum apto, quanquam, ut videbatur, apto nato, tanquam Ziemoviti primi filio, & Piaſti nepoti, ad declarandam Parentis & Avi, complurium annorum & ponderum, meritis gratitudinem, Ordines Principalem ultro obtulere autoritatem. Vladislao item Hermanno, Principi optimè merito, pace omnium, ſucceſſit Boleslaus filius, oris curvitate quidem deformis, ſed rectitudine & fortitudine pectoris, domi militiæq; incomparabiliter oſtensâ, formoſiſsimus Princeps. Quo in ſagi gloriâ nullum certè habuit Polonia præſtantiorem:

& hunc, quem habuit, ob numerum & dexteritatem præliorum cum hoſtibus initorum, ipſis illis Marcellis, Juliisq; Romanis opponere ex vero poteſt, Martis genuinum pullum. Atq; hujus etiam filius, ejusdem nominis, poſt fratrem Vladislaum, eſt aſeqvutus Principatum, Regni tunc titulo exutum. Nec non verò Polonia, Regni nomenclaturâ honorificentisſimâ iterum gaudens, Regem ordinavit Vladislai cubitalis, ſive parvi, magnum filium, ut nominatus eſt, Caſimirum, maximumq; verò etiam, multo jure ſuo, nuncupandum. Fuit enim verè Auguſtus Polonicus, ſuis, ob togatas virtutes, amor; formido peregrinis, ob ſagatas. *Ille juris fuit fundator: ille plebejorum non minùs, imò multò magis eorum fuit* Rex, quàm plebi inviſorum: ille civium, & iſtius civium Cracovienſium Conſulis, gente Germani, opulentiâ tantopere ſe efferens apud exteros, convivio à Conſule, Veringo dicto, pro Regiâ dignitate, ſecum exceptos *tres Reges hoſpites (quales parelii in Polonico horizonte nunquam aliàs conſpecti)* quantopere ſuâmet ipſius. O Caſimire maxime, perpetuâ evehende laudatione! Unâ tamen infelix es hac cauſâ, quòd ſanguinis & imperii traduces nullos reliqueris, quos optio ſpontanea ambabus paſſis fuiſſet ulnis amplexa. Sed, ex decreti divini lege, non debuit longiori arbor Piaſtea in campis Poloniæ creſcere ævo. Quid notiora? quid? quòd notiſsima, commemorem? Quis natos à Jagellone, Regum Parente, Avo, Proavo, Abavo, Atavo, Majore, liberos, nepotes, pronepotes, abnepotes, trinepotes, poſteros ſceptris Sarmaticis fulgidos non poteſt recenſere? Quis? Niſi hospes In patriâ? In quem

ergò alium, ſede Regiâ nuper vacante, ultima Electorum Polonicorum univerſorum & ſingulorum deſtinatio tenderet, qui potiùs fuisſet tenendus, & in thronum reponendus, quàm in eam Jagellonis pientisſimi, & longâ ſerie ſequentium terq́; quaterq́, inclytorum Regum propaginem, filium Sigismundi III^ii, per annos ipſos quinq́; ſupra quadraginta prudentisſimè; fratremq́; ex Patre natu majorem, Vladislai IV. ſedecim annorum ſpatio felicisſimè, regnantis, JOHANNEM CASIMIRUM? Quò reſpexisſe Serenisſimam Rempublicam, & ſimul illum Dei nutum, cujus fato Regibus naſcuntur filii, ut, patribus denatis, cœleſti conceſſi munere, à Regno cooptentur; religione perculſo animo, virgulæ divinæ inſtar, attendisſe, conſtitutio Electoralis ſatis diſertè loquitur.

Ubi illico & alterum inclinatæ erga JOHANNEM CASIMIRUM voluntatis inſtinctum clarisſimis verbis publicè proditum accepimus, validarum utiq́; virium & efficaciæ validisſimæ. Obſervatum namq́, eſt probè, eum Poloniæ natum Principem ſic ab utroq́; Parente, Sigismundo, ſimul Sueciæ hæreditario Rege, ſimul Poloniæ electo, & Dominâ Conſtantiâ Auſtriacâ, ſic nunquam non fictum formatumq́;, ut par eſſet aliquando Regnis. Ipſe autem Princeps inſuper tam evidentia, ætate augente, indolis Regiæ dedit documenta, ut non potuerint non in oculos involare omnium. Studiis animi animum excoluit: exercitationibus corporis corpus; utrisq́; Regio Principi, imò Regi idoneis. Cùm illorum verò, tum harum fructum etiam experiri arſit in adita militiâ. Martio ſe menſe in lucem pro-

diiſe recordatus, & ideo in Martio quoq; pulvere pedem ponere officium duxit. Atq; in campum prodiens non eos intulit ſpiritus, ut videretur ſibi è veſtigio Iphicrates, qui jam poſſet imperare equiti, ſagittario, veliti, legionarioq;, aut neſcio cui non, etſi nihil horum fuiſſet: ſed pectus ingens attulit, tales animos concipiendi, quibus eget belli, nomine magis, quàm re belli, ſpectator, pars, partiumq; imperator. Principiò, ſub Patris circumſpectione, ut caſtra & exercitum Polonicum Suecicæ aciei opponendum luſtraret, venit ad arcem Mariæburgenſem. Deinceps autem, fratre ſceptrum & arma patria gerente, cum fortunâ Vladislai, profectus eſt adverſus fidei & juramenti oblitos illos, cinctus legione, quæ tantâ ſalute Smolenscum inſidentes Polonos affecit, quantâ clade obſidentes Moſcos, illis feliciter ſolutis, his victis vinctisq;, & non priùs liberatis, quàm ad Vladislai glorioſos pedes accidiſſent; cujus honoris CASIMIRUS factus eſt particeps, quia factus erat à fratre ſocius belli, & ſummus vigiliis (maximæ curarum bellicarum) præfectus.

Ecce autem nobis victor mortalium ferè eâ tempeſtate occubuiſſet, victus ipſe ab immortali: cui facile eſt inq; proclivi, non ſervulos tantùm & gregarios, ſed Regulos Regesq; ad mortem conficere, ſine ullis haſtatis copiis, ſolâ autem morbi unius, imò morbillorum ope, opem aliquando neſcientium. Ita JOHANNES CASIMIRUS, cum Fratre triumphatore ovans, ſuper Turcicâ etiam manu fractâ, in ægritudinem illam, quæ pueris parvis eſt infeſta, Leopoli incidit, ac penè óccidit. Sed ſervatus eſt (letho datis prodigiosè, circa illud tempus, atq; uno quidem die,

die, & eodem, ex quo evasit CASIMIRUS, morbo, fratribus duobus Principibus, Alexandro, verè Alexandro futuro, si ætatem Magni illius attingere licuisset, in Poloniâ; & Johanne Alberto, in illâ laudatissimâ melioris commatis medicorum officinâ, Patavii) & ereptus, Dei solius, meâ sententiâ, utpote vitæ mortisq; nostræ arbitri, arbitrio, cujus videmus jam scopum toti Orbi illustrem. Sic vitæ redditus Princeps, cùm domi non posset se perficere & proficere armorum usu, foris se circumtulit, & militarem fortunam ambiguis pasibus errantem variè expertus, perdidicit intima arcana grandis istius profundi, quod felle tinctum manavit ab ore Comici Pöëtæ impio, in ejuscemodi sonum:

Dii nos quasi pilas homines habent: melle autem mero & sincero delibutum, ab ore Tragici Prophetæ pio, dicentis: Scio, Domine, quòd hominis viæ non sint penes eum: nec in potestate illius situm, quomodo ambulet, aut cursum suum dirigat? Igitur cùm, supremo sic jubente, Regnis terrestribus decessisset, & ad superna contendisset, Vladislaus IV. anno vix elapso, remeavit in patriam JOHANNES CASIMIRUS, tam sibi, quàm Coronæ universæ, Rege desideratissimo orbatæ, acerbum Fratris sui studiosissimi obitum mœrens lugensq;; sed, erigens se tamen, sua in genitale solum & solium studia, honesto candidati ambitu, enixè declaravit. Nempe eò intentis tot annorum, qui sunt circa quadraginta, conatibus omnibus collineaverat, ut posset natalibus aris focisq; prodesse, fatis divinis & votis humanis faventibus. Quam interiorem animi sui cupiditatem & stimulum jam olim in Reipublicæ luce

eximiè posuit, cùm suo, & fratrum juniorum, nomine, adsciscendũ ad Regni gubernacula desideravit fratrem natu maximum, Vladislaum, dicto, &, cum nominis sui, ac verborum suorum in nuper evulgatis Chronicis Poloniæ, quæ nullis hactenus exstantibus secunda sunt, perpetuaturà memoriâ, dicto: Ego, ac fratres mei, in sinu istius Reipublicæ, communis Vobiscum Parentis, nati, enutriti, eidem almæ nostræ matri, nonnisi felicissima quæq; precamur, & pro salute ipsius vitam nostram devovemus.

Perinde itaq; ac mater viro viduata natum suæ incolumitati superstitem rebus omnibus cupidissimè præficit: ita factum est, ut Polonia, re sic ferente, filium suum, Parentis honore & curâ dignata fuerit, existimans, hoc Patre Curatoreq;, tantâ se quiete & felicitate gavisuram, quantâ unquam, sub aliis antecessoribus, consimili Numinis procuratione oblatis, & communi suo consilio arreptis, floruit viguitq;.

Ac præsertim verò sub Casimiris: quorum quisq; fuit Sarmatiæ, tanquam benignus & potens luminum & influentiarum inde manantium variarum dispensator, Sol. Proinde & nos modò AA. paulisper insistamus CASIMIRI tertii (nam duorum jam antè quoque est facta mentio jucundissima) oppidò opportunæ recordationi, quæ certissimè nos spei bonæ plenos faciet, dum se nobis juxta cum illâ sistent valde læta omina & auguria sortis nostræ, quæ sub recturâ jam clavo Politiæ admoti CASIMIRI est exspectanda. Successit tertius ille CASIMIRUS Fratri ætate se antegresso, & Patri, ante utrumque filium, Regni gubernacula tractanti. Enimverò idem fatum esse novimus jam secuti Fratremq; Patremq;

CASIMIRI. Tertius autem CASIMIRUS est ille ipse, à quo prosperrimè obtinuimus, præter alia duo, nobile illud palmariumq; Palladium (quod nobis ipsa Anni millesimi quadringentesimi & quinquagesimi septimi Dominica Cantate, ad custodiam & memoriam, cantu & jubilo semper exhilarandam, commendavit) quo salvo salva est Civitatis nostræ navis, sublato, (quod non illa cœca Præses Minerva, sed vigil Israëlis custos prohibeat!) in extremâ sumus naufragi tabulâ. Nil sanè dubitamus, novum Dominum nostrum, veteris cognominis fore imitatorem, in Regiâ erga Borussos omnes, ac similiter Gedanenses suos, gratiâ, clementiâ, fide. Nos quidem à Crucigeris quondam immaniter vexati, ad terq; quaterq; extollendi illius Casimiri tutelam, ante duo penè secula, tanquam ad sacram anchoram, confugimus: sed item sub hujus CASIMIRI patrocinio nullam nobis iri additum crucem, cum erectâ animi bene præsagientis fiduciâ ominamur: quando sufficiunt, cum coronâ istâ, in obsequiorum nostrorum fidelissimè præstitorum publicam declarationem superadditæ, illæ duæ, quas in Urbis insignibus, superatis atræ gentilitatis, sub Paganis heris, & atrocis crudelitatis, sub cruciferis Dominis, binis infaustis crucibus, triumphantes ostentamus. Hinc, quantâ potuit, alacritate, observantiâq;, quantâ debuit, suo loco & tempore, suffragium CASIMIRO nostrum dedimus, cum tanto affectu insuper, quanto effectu, punctis omnium accedentibus, tandem deniq; Rex est creatus, nominatus, promulgatus, coronatus.

Id quod communem in utilitatem, non Orbis tantùm Sarmatici, sed & universi quaqua versum patentis, ut vertat vergatq; optimè, meritissimò & libentissimè optamus ex intimis animi præcordiis, & jam

jam optabimus verbis conceptis. Tantum etenim commodorum nobis confidentiùs polliceri poſſumus à Rege hoc, ad preces & vota noſtra, Domini Dei benignâ diſpoſitione, regiè nato, egregiè educato, mirificè conſervato, & accuratâ deliberatione electo: quantum ei bonorum cœlitùs impetrandorum apprecabimur.

Quamobrem apprecemur CASIMIRO annos Piaſtéos: qui totidem fuere, quot Regis Tartesſiorum in profanis, aut Ducis Judæorum primi & principis, in ſacris literis, relati. Noſtra intereſt, Regem diu regnare, cùm bonus. Apprecemur ei juſtitiæ ſtudium, quale enituit in Caſimiro, cui non tam gladii, quàm legum cura nomen Magni peperit. Noſtra intereſt, Regem juſtè regnare. Apprecemur ei pacis conſervandæ ſolicitudinem: qualis cordi fuit alteri Caſimiro, moderato; cujus propenſiſſimâ voluntate cum Ungaris bellum primò per inducias eſt ſuſpenſum, tum firmâ pace ſancitâ compoſitum. Utinam item ſub hoc CASIMIRO, ſequeſtrata cum Svecis inimicitia præmoriatur, ante finem induciarum certis annis determinatarum, & interminabilis exoriatur gentium affinium amicitia! Noſtra intereſt, Regem pacatè regnare. Sed, omni bellandi ardore in animo Regio noſtris apprecationibus quaſi exſtincto, quid fiet iſtis hoſpitibus, ultra limites, ut incolatus ſui, ita obſequii progreſſis? Apprecemur, dicam, ut autoritate Piaſteâ reprimantur & coërceantur. Quæ admirabilis ſanè fuit, & omnis bellicæ felicitatem & vim excedens. Vix Piaſtus enim ſuis manibus ſceptrum prehenderat, jam defluebant arma incurſoribus ex ſuis. Latrocinia igitur & impetus petulantium tam facili negotio cohibuit, quàm dextram vertit. Apprecemur itaq; ut & CASIMIRUS quietis

tis sit amabilis, inquietis terribilis. Nostra interest Regem sic amabiliter & terribiliter regnare. Apprecemur ei verbo uno Christiano, admodum multa paucis complectente, sapientiam Regiam, cujus initium, & quasi Alphabetum, est timor Domini, dicentibus & docentibus duobus Regibus populi sancti, altero à Domini timore, altero à sapientiâ commendatissimo, & utroq; sine pari. Nostra interest, Regem sapientem, & Dei timentem, regnare. Atq; si vel hoc unicum Regi seriò & constanter apprecati fuerimus, potest evenire, ut & reliqua eidem obtingant, & cum eo nobis, liberalissimè. Sic enim compendifaciens votum suum Salomo, ea est à Deo consecutus, quæ sciens volensq; sprevit petere; quia ad divinæ sapientiæ mentem oraverat.

Quod supereſt, Domine cœli terræq; ter sancta divina Majestas, inspira mihi adhuc grata Tibi acceptaq; pro Rege vota apud Te facturo; sicut, Tuo instinctu, hucusq; apud hanc concionem Tibi devotam pro eodem verba feci. Infans sum, ut apud Regum Regem pro Rege loquar. Da, Domine, Domino nostro, sed servo Tuo, ut dominetur nobis bene; serviat Tibi autem rectè! Nos secundùm leges Tuas judicet; seq; ad easdem componat! Privilegiis nos sinat nostris uti terrestribus, & nobiscum fruatur cœlestibus! Gratiâ suâ nos prosequatur; & Tu eum, æquè ac nos, Tuâ! Faciat nobis bene in hoc, eoq; brevi seculo; & Tu ei bene, in altero perenni & finem habente nullum. Idq; propter Jesum Christum, in quo ut omnes promissiones Tuæ sunt ita & Amen; sic etiam nostræ precationes sunto! Ego nihil jam addo precibus; Vos, Auditores, suspiria; Deus pondus. Oravi; peroravi.

(***)

PROSPERA
ACCLAMATIO,
GEDANO THORUNIUM MISSA;

QUA
REVERENDI ET DOCTISSIMI,

SALOMONIS
BLANCKII,

ECCLESIASTÆ THORUNIENSIS,
NUPTIIS,

CUM
PATRITIA, MULTUMQVE ORNATISSIMA
VIRGINE,

ANNA BARTRAMIA,

ANNO M. DC. XLIX°. DIE FEBRUARII IX^a.

THORUNII, LEGITIME HABENDIS;
HONORIS, AMORISQVE CAUSSA,

LUBENS
INTERESSE VOLUIT:

QUANDO,
ET VOCATUS, ET SUA SPONTE,
ADESSE NON POTUIT,

JOHANNES MOCHINGERUS.

DANTISCI,
Typis Viduæ GEORGII RHETII.

MI BLANCKI,

EEliciter atqueadeo felicissimè, quin imò terquè quaterq́; beatè, cedat tibi connubium! Sic tuus, recenti vinculo affinis, pristino affectu pater, & officio frater, ex intimis sensibus opto comprecorq́;. Tuus ille naturâ Parens, jam certissimè in beatis, cùm, ante lustra duo, &, quod excurrit, animam è corporeo domicilio ad cœleste concilium contendentem Creatori commendabat; te ille mihi. Eâ in Urbe tum tu degebas discipulus Scholæ: ubi jam es Ecclesiæ Doctor. Ex quo tempore, cum Deo, nos tibi nunquam deesse. Secundavit sanè præclarè cursum tuum, & hortamenta nostra, divina autoritas & benignitas. Reversus ex Athenæo Thoruniensi, Patrem quidem desiderabas: nec tamen desiderabas. In matre scilicet superstite magnam solatii partem inveniebas; & in illo quasi paternum animum erga te gerente. Maximè autem, ut, ex utero exiens, à pientissimo Patre & sibi nihil fidente, supero autem Rectori non plurimum tantùm, sed undique; & geminorum morum genitrice, in Patris nostrûm omnium Cœlestis gremiũ sinumq́; conjectus eras: ita semper te in eo religiosè acquievisse, magnâ cum animi mei jucunditate, animadvert. Hinc nulli parsum operæ, ut patrio in solo, & complexu nostro, proficeres magis magisq́, & te indies

in literarum omnium, ac præſertim ſacrarum cultu-râ perficeres; impulſus valde ad uſum librorum illorum, quos Parens ſanè ſtudioſisſimus reliquit, longè ſelectiſſimorum, & ſanctam cordis curam, ibidem plusquam mille notis, ſibi & tibi, ac cuivis codicum ab ipſo poſſeſſorum inſpectori, in clariſſimum monumentum, figurâ tenus appicti. O nobilem tuum vilis, præ volumine aureo, auri contemtorem, Parentem! Qui, ut audiverat à nobis aliquando illud recitari Philoſophi Gedanenſis, ſui in Philoſophiâ Præceptoris, eodem affectu erga libros cöemendos atq; legendos immane quantum rapti, hoc ſono tinniens diſtichon:

Eſt mihi theſauros quæ res exhauriat omnes:
Quæ res theſauros, dum minuit, ſuperat.

more ſuo, exſiliebat non corpore minùs, quàm animo, & plauſu identidem extollebat iſtos verſus, ac, tanquam ſibi multò acceptiſſimos, ſuæ Bibliotheculæ (ſic modeſtè indicem librorum ſuorum, maximè bonorum, ne dicam ſatis multorum, nuncupare ſolebat, ut de ſuis rebus cunctis diminutivè ſentiebat, & ferè loquebatur) præſcribebat è veſtigio. Ita tibi demum, poſtquam, pro ætatis ratione, ſtudiorum ſacris in patriâ ſat eras operatus, inſtitutum probantibus tuum neceſſariis & amicis, tam tui privati, quàm, (quantum penes eos eſt) publici egregii cupidiſſimis, magnum iter proficiſci placuit ad doctas Athenas, Athenarum Germanicarum germanas Athenas, Academiam Argentoratenſem; illam mille, mille, qui ex variis terrarum oris illuc frequentiſſimè appellunt, ſtudioſorum, in religionis ſanè divinæ & literarum optimarum humaniorum lacte & latice limpidiſſimo præbendo, almam nutri-

culam,

culam, & noſtram omni tempore gratiſſimâ mente commemorandam hoſpitam; Conſulis inquam noſtri Gedanenſis integerrimi (utinam diu ſuperſtitis!) Roſſovii, & jam piè denati Scabini, Dilgeri, ut & alterius Dilgeri, Tertullianeo verbo ſic meritiſſimò appellandi, Evangelizatoris, paterno loco gaudentis Spirituque, Nathanaelis, ac, qui ſecuti nos ad toties â nobis prædicatum aureum Argentoratum è noſtris convolarunt. Tuum verò eſto, chariſſime Blancki, quæ ibi loci quoq; in te collata ſunt beneficia compluria, ſuo commodo & loco & tempore, efferre: quæ te quidem æquè celare haud poſſe, quàm mihi non fuit poſſibile, ea unquam tacere, tam certus ſum, quàm qui certiſſimus. Ex gratorum enim hominum omnium ore tuum metior; cui facilius eſt, igneos intra ſeſe carbones continere, quàm acceptorum ſecretam memoriam. Te utiq; quoties audiverit Thorunium, aliud etiam loquentem, meminerit, magnam partem eſſe eum ſementis Argentinenſis fructum. Thorunium videlicet metit, quod ſatum eſt Argentinæ. Cum ſegete Argentinenſi tu te pòſt contuliſti ad Gallos Belgasq;, tanquam apricatus Muſas tuas in ſole, ſolo mundi oculo. Enimvero ſperavi ego ſemper, multam me exoptatiſſimam, per vitæ noſtræ tempus reliquum, ex reducis conſuetudine tuâ, voluptatem eſſe percepturum; dum etiam animus erat, traditis tradenda addere, ne (ut Comici utar dictione) perpluerent. Ecce autem (noſti) dum hoc illudquè inſpiro; adſpirat aliunde aura ætherea, & te mihi, imò patriæ, eripit, ac ſecundo devectum flumine ad portum Thorunienſem deportat. Quo adito, vix ſemel è naviculâ auditus es, & eadem vox populi & Dei circumſonat aures tuas: noſter eris.

Tu nos reſalutans, (ſed jam jam vale dicturus,) narras aliorum verbis antè relata, verùm paucis tuis adjectis, & penè iisdem, quibns uſus obſequentiſſimus Apoſtolus: non eſt meum rebellare cœlo, qui, cùm lallare puer didici, ita etiam orare: fiat paterna voluntas ut in cœlo, ſic in terrâ. Quid igitur nos adhæc intimi tui aliud, atquè illud, quod aliquando, dicti Jeſu Legati, Jeroſolymam, ut ut adverſiſſima minitantem, pergentis, volentes nolentes familiares: Fiat, fiat igitur divina voluntas! Fiat Ego quidem me tranquillavi, regreſſus in memoriam, ad eam te tamen à fatis trahi Civitatem, quæ mihi ſit altera patria: cui non minûs, quàm huic verè genitali Gedano meo, meum ſit optare, omne genus felicitatis, Urbium Boruſſicarum Regiarum primori proprium. Veniebat ejus in mentem, B. Patrem meum ibi ſpiritum hauſiſſe, quem in me transfudit. Quin etiam illius recordabar, in eâdem Urbe Thorunienſi, me, per ipſum quinquennium, artium & linguarum ſuccum combibiſſe. Cùm, (quorum omnium nunquam nobis patiemur excidere memoriam) & generoſam pariter rei popularis, pariter Scholaſticæ ſolicitudinem in pectore altè defixam habebat Vir antiquis moribus, cognominis filii, inque patriâ dignitate ſucceſſoris Pater, Johannes Pruſſius; regimenque in Gymnaſio primarium obtinebat Hebraicè doctiſſimi, & in futuris à divino vatum choro prædictis eventibus in lucem eruendis divinitus quaſi inſtructi, Conradi Graſeri filius, Conradus, mentis eruditionisque non vulgaris homo: ſecundarium autem tenebat clavum ille multorum annorum & meritorum Subrector, Baſilius Zölnerus, remis adſidente diſertiſſimo Johanne Thamnitio, & Franciſco Rothar-

Rothardo, facili & induſtrio ſanè didaſcalo. Ferebantur item tum eâdem navi nobiſcum, amantisſime Blancki, illa nunc Curiæ veſtræ lumina & columina, Pruſſius, Kislingius, Strobandus, &, hinc nuper ad ſuperiora translatus, Baumgartius, quid? quòd & ille modò tecum ſacrorum Antiſtes, Zimmermannus: ne aliorum longum texam catalogum. Per fuit ſanè jucundum, illos tam eximiè evectos coràm intueri, celebratiſſimi Colloquii Thoruniensis, ante triennium capitetenus habiti, tempore; & iiscum, quem ſilentio præterire prorſus nequeo, miraculi inſtar tacitè tum adhuc ſpectatum, annis pluribus gravem, & perennante in rem communem publicam fide & ſtudio, at viribus valde vegetis usq; & usquè præditum, Edowardnm Wedemejerum, virum Conſularem. Quamobrem gratulor, gratulor profectò alteri iſti meo natali loco; quòd te noſtrâ etiam quali quali opellâ ex parte ficto formatoquè uti habeat: etſi licet mihi magis gratulari poſſem, ſi in hoc fundo fuiſſet datum dotes animi & cultus tui explicare, me & libenter ſpectante, & lubenter applaudente. Redundabit, polliceor, ad Eccleſiam Thorunienſem haud parum emolumenti ex Blanckii officio, ſecundùm veri conſcientiam peracto. Bene, bene ſit tibi; o mi quaſi-fili, in hac jam tuâ quoquè alterâ humo patriâ, & occulto creſce velut arbor ævo! Bene tibi faciat DEus æternus Pater: benedicat tibi coæternus filius; beneq; te ducat item ſempiternus Spiritus; DEus idem unus, idem verus, idem bonus, in ſacroſanctâ Triade! Hoc in nomine benedicto, benedico tibi: ſicut in eodem nomine nimis quàm ſæpe tibi benedixit ipſe Parens tuus: cujus Patris tui benedictio (ſic

ſciens volensque, cum filiorum & votorum fœcundo Patriarchâ, loquar) ſine dubio magis invaluit, quàm noſtra poteſt invaleſcere. Sed à te ego, dilectiſſime Blancki, felices rerum tuarum omnium ſucceſſus audire exſpectans, literis tuiſmet recentiſſimè perſcriptum accipio: immites Thorunienſes me totum in vincula conjecerunt. Quo lecto, utique cohorruiſſem, niſi fama tuas prævertiſſet lætæ tuæ captivitatis nunciatrices. Unde jucundiſſimè ſic ordine perrexiſti, pacem præfatus: (ſed, audi, ne percutiam te) conjugii. Perceptis demum univerſis atque ſingulis, dictitabam, quod Labanem & Bethuelem, connubialem ſuæ Rebeccæ fortunam admirantes, dixiſſe tenemus: *â Domino iſtud eſt factum: nefas eſt obloqui.* Equidem ſubiratus tibi fuiſſet noſter amor, amores mei, quòd nobis nequicquam ſignificatum, te illud alterum aggredi velle, ex quo ſecunda noſtræ in hac vitâ conditionis pendet felicitas: ſed commemini, te à me dimiſſum fuiſſe abiturientem iſthoc ſermone, quo Pater fidelium (*abſit invidia dicto*) *proſecutus eſt* Eliezerum, boni nomen ominis, ut tuum eſt, ſuaviſſime Salomo Blancki, in viam ſe daturum: Dominus Deus cœli, qui te ex patriâ regione in aliam avocat, ablegabit Angelum ſuum ante te vialem, & comitem ubique locorum, ac Daduchum in viis tuis omnibus. Ito, ito cinctus bono Angelo, imò Angeli Domino optimo! Ac jam bene luculentè video perſpicioquè, non negaſſe tibi operam ſuam optatum illum anteambulonem, qui te deduxiſſe videtur eas ad ædes, ubi reperienda erat, quæ ad conſortium tuum perpetuum, & commoda ſexcenta, eſt educata. Non, non eſt, quòd dubitemus, caſurum eſſe belliſſimè conju-

conjugium tuum: cùm conjux, tibi destinata, uno omnium ore prædicetur, quòd sit frugi. Quam ego dotem unam præfero dotis dimidio, amasiis æstimato, & multæ dotis parti, auricupidis desideratæ. Quanquam nec illius, nec hujus sit indiga, ut audimus, Sponsa tua, fortunate Sponse. Ex arbore de pomo conjicio. Gratiosæ Annæ Tuæ mihi sic est cognitus beatè jam defunctus Parens, Matthias Bartramus, uti ex ejus aliquando domesticis alicui. Orbum me videlicet orphanumq; puerum, tanquam cognatum suum, domo excepit, & multis affecit beneficiis, Agnetâ uxore, quæ ex familiâ erat Prussianâ, supra quàm dicere possum, commodis meis & deliciis favente. Vir erat rebus domi gerendis ad utilitatem, ad speciem & ad splendorem aptus natus; ad comitatem verò, & Polonis impensissimè charam hospitalitatem, tam propensus, quàm qui maximè. Ideo, & à civibus adamatus, & à peregrinis etiam observatus, ex cive primario, cum celeritatis gratiâ, factus Scabinus, Consul, Præconsul, Burggrabius. De ornamentis igitur filiæ, se dignis, tibiq́ue permultùm jucundis futuris, ut quid ambigam? Ambigam verò? imò verò, quid non esse persuasus debeam? Superet illa verò omnem existimationem meam, & adimpleat exspectationem tuam abundè; nobis hoc erit gratissimum, tibi & ipsi prospera quæque, & suavissimum sancti amoris jugalis usum, ex animo precantibus. Vive, vive pacatè cum eâ! vive lepidè! vive, ut initiò dixi, feliciter, felicissimè, atq́ue adeo terq́; quaterq́; beatè! Qui mihi hactenus fuisti in charissimis (quem Patrem tutemet ipse elegisti) eris idem porrò, quàm-

diu, Domini gratiâ, erimus. Cùm autem foco privatim ſedulò ſit proſpectura thori ſocia; tu tantò magis aræ curam habeto publicè Cuſtodi fidei depoſitum, quoad potes: ſicut te hortor, quoad queo etſi ſis haud ſimilis Timotheo, quemadmodum ego mille partibus inferiorem me agnoſco Magno Paulo. Verſentur tibi ante oculos, & Argentinenſia ſidera, in manu Chriſti in præſens valde exſtantia, nempe zelo religionis reſplendens Mercurius ille, Schmidius, & duo illi in propugnandâ veritate, ad veram pacem viam ſternente, rutilantes Martes, Dorſcheus & Danhawerus; & ille placidè micans (ut ſic dicam) Jupiter Noribergenſis, Saubertus, non vitæ minùs, quàm fidei purioris cultor inſignis. De cujus admirabili calculo, quo alter quaſi Stephanus eſt oppreſſus, ad me Argentinâ, quodam tempore, quædam diligenter expoſita miſiſti. Cum primis verò ſuſpice, obtutu mentis indefeſſo, illum jam Divum Patrem tuum; non felle, ſed melle multo inſtructum mite pectus, & ſalutis omnium ſitientiſſimam animam: à quo in cœlum recepto Parente tuo, ut ei tantùm qualiscunq; eſt ſenſus & conſcientia eorum, quæ ſub ſole aguntur, ante juſtitiæ Solem ſupplice, iterum iterumq; talia, cum ſacro tripudio, (quod Sanctos in cœlo non dedecet) proferri nullus dubito:

Semini juſtorum benedicetur in æternum.

Deniq; reſpice, ſis, nos, & tibi optimè cupientes, & pro Chriſtianâ Eccleſiâ, Chriſti nos adjutante gratiâ, orantesq; laborantesq;. Sed hæc amoris cauſſâ: deniq;, moris ergò, adjungo verſiculos, calente adhuc animo, currenteq; calamo excuſſos:

Gratu-

Gratulor officium tibi, Blancki, conjugiumq;:
Sed fac, sis semper Blanckius & Salomo.
Candidus & sapiens si sis & erisq; futurus:
Officium cedet, conjugiumq; bene.

Vale, & hæc lege, sis, cùm liberior fueris ab occupationibus: convivis etiam tuis, si ita videtur, insinuato nuptialibus, ut regustentur, suo tempore, inter apophoreta. Scribebam, & typis exscribenda exhibebam, Gedani, Anno, à Christo homine in lucem edito, 1649. Calend. Februar.



NVMINE ET PRÆSENTE ET PROPITIO,

DE

MARTINI LUTHERI,

ETIAM IN DICENDO,

ADMIRANDI HEROIS,

INCOMPARABILI ELOQUENTIA;

DECLAMATIONEM,

IN GYMNASII NOSTRI AVDITORIO MAXIMO,

ANNO LABENTE M. DC. IL. DIE XXIII. MARTII

HORA PROPE DECIMA

PER

MICHAELEM BURICHIUM,

DANTISCANUM,

HABENDAM INDICO:

CVI AVDITORES VT PRÆBERE SE VELINT,

LITERARVM GNARI QVIQVE VIRI,

ET EARVM STVDIOSISSIMI ADOLESCENTES;

CUM DICTURI, TUM MAXIME VERO DICENDI, NOMINE,

OMNI MODO DECENTER,

ORO ROGOQVE,

JOHANNES MOCHINGERUS,

ÆDIS CATHARINÆÆ PASTOR,

ATHENÆIQUE RHETOR.

HISCE IN PVBLICVM EMISSIS,

GEDANI,

EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.

LECTORI NOSTRO S.

NOn eſt dudum, cùm, in Acroaſi aliquâ Rhetoricâ, meis hæc in umbrâ tradidi, quæ in luce modò ſiſtam, tum eos, quorum nomen verbis iſtis extolletur meritisſimò, honorandi causâ, tum occaſione ſic ferente, imò opportunitate: Felicem, *inquiebamus*, te hoc nomine prædicat omne nomen Germanicum, Martine Luthere, qui primus es, ſimulq; princeps, gentis noſtræ Allemannicæ Orator. Negabit hoc aliquis? puerum ſe eſſe oſtendet, qui, quæ ante nos geſta ſunt, neſcit. Nam nonniſi, qui temporum eſt ignarus ſuperiorum, & dictorum ſcriptorumq; Lutheri Germanicorum, laudem Luthero debitam, quam diximus, ei negabit; & ſic, qui iſtud fecerit, meritò habendus pro puero. At fortunatum te item, Martine Opiti, celebramus, qui primus es, princepsq; nationis noſtræ Teutonicæ Poëta emendatus. Inficiabitur hoc quiſpiam? puer omnino idem videbitur. Sic videlicet Martinis iſtis duobus plurimùm ſanè debet lingua & populus Germanorum. Quanquam illi quidem Martino, ob Theologiam ſcilicet repurgatam, multò multoq; plus, non quicquid ſolùm eſt Germanici, ſed Chriſtiani quicquid eſt nominis. In hanc verò tum temporis ſententiam, & longè etiam plura, de utroq; Martino: utpote illo, quaſi Cice-

Cicerone Germanico, & hoc, quasi Virgilio. Inde igitur nata est isthæc jam jam audiendo Declamatori huic cogitatio, ut experiri in se voluerit, num posset quicquam de Lutheri eloquentiâ complecti dictione, in sui scilicet cùm exercitium, tum commendationem quoq;, & memoriam prosperam, à valedicturo, & ex Athenæo patrio ad Athenas Academicas profecturo, habendâ. Non utiq; non probare potui institutum: ut isthac videlicet ratione, & illico ad leviter & quomodocunq; pervolitandos Megalandri tomos, & cum tempore pervolutandos etiam diligentiùs & accuratiùs, à me quasi aliud agente, is impelleretur disciplinæ nostræ alumnus. Sic enim simul Theologiam germanam, simul eloquentiam Germanicam, tam utiliter, quàm feliciter ex eodem combibi posse fonte, est apud me cogitatum.

Qui certè Thesaurum, salutaris capita fidei, æquè numero plurima, æquè pondere gravissima comprehendentem, ex divite germani Germanici q; hujus Theologi arcâ depromsit, hoc est, ex magnis & multis Lutheri voluminibus collectos Locos Communes Theologicos, non magno, eoq; uno volumine complexus edidit, Vir sanè industrius, & præstans officio sacro, sacrisq; virtutibus officio Ecclesiastico dignis, Timotheus Kirchnerus, isthoc opere specimineq; suo, præclarè ostensum ivit, quàm auro argentoq; divino locuples sit fundus ille, unde quædam tantùm in lucem proferre occupatus fuit.

Prodi tu verò, amabo, & nominis, & muneris, & animi divinitus erecti instinctu, Vir optime, Matthæe Lüthere, & prode, quas excerpsisti, ex nostrûm Biblistarum (quod nomen, honoris, amorisq;, imò & salutis caussâ libenter amplectimur, quanquam id, uti

néſcio quam notam nobis impegerit nonnemo, quem, ſi placet, Abibliſtam, hoc eſt, ut omnes intelligant, ſcripturæ ſacræ planè incurioſum & negligentem, haud ægrè nuncupabimus) Coryphæi illius ſcriptis, explicationes Oraculorum divinorum: præ gazis Perſicis iſtas æſtimabimus. Sequetur te profectò inde non clarum ſolummodo, ſed æternum etiam in Eccleſiâ orthodoxâ nomen: etſi iſtud, Chriſtianum in modum, omni deprecéris ratione, &, ut cum nominis noſtri (quod titulos exſuperat omnes) autore loquar, abneges, pientisſimè canens:

Gloria divini quæretur nominis à me⌣:
Nominis intereat gloria vana mei!

Rectisſimè utiq; ſic es animatus, & ex ſancto Lutheri ſenſu, qui ait; *gloriam fas eſto ſpectare*, cùm tractatur Homerus, Virgilius, Terentius: non item, cùm Sacroſancta ſcriptura. Oramus enim, ſic edocti à ſummo Magiſtro: Sanctificetur nomen tuum. Tuum nomen inquimus: illudq; in cœlo Patris, qui invocatur, intelligimus. Ex quo uno ſolo exemplo (ſicut ex ungue leonem) bene profectò cognoſcere eſt, quàm minimè ſint ſanè obviæ, aut futiles, aut inutiles illæ ex ſcripturâ à Luthero elicitæ obſervationes; quin raræ potiùs, & magni valde momenti, uſusq; longè maximi. Sed te tamen, mi Eclogarie, Lüthere, cùm ejusmodi multas & admodum admirabiles Lutheri autoris producturus es emanationes, ex Codice ſacro derivatas, volentem nolentem manebit egregiâ operâ dignum nomen. Crocodilus enim gloria. Imò, quia os Domini veridicũ & falſi neſciũ ſic apertè ait: *nullus eſt, qui cauſâ meâ & Evangelii reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros* (annon verò etiam famam?) *quin accipiat centuplicia omnia, nunc iſto tempore, cum perſecutionibus, & in altero ſeculo, vitam æternam.*

Prodi,

Prodi, igitur, sis, ajo, & prode, quæ habes, promeq; Lutheri asſecla genuine: audiens hoc celeuſma noſtrum, ex intimo pectore profectum. Currenti viſum eſt calcar addere. Erit quidem, opinor, tui & fortiùs hortandi, & uberiùs ornandi, alius nobis locus: ſed nec hunc negligendum duxi tam commodum, Vrbis hujus fratrum meorum, quos tui rationem conſilii aperiens honoraſti alloquio ſcriptitio, exiſtimationi conſentaneo erga te affectu propenſisſimus.

Sed ad Lutherum revertor, & Tullii iſtius Teutonici eloquentiam quali quali præconio evehere paratũ Declamatorem noſtrum. Equidem eſt in promtu inſuper & facundisſimi Germaniæ Rhetoris (quo, nî fallor, valde honorifico elogio dignari non noluit Johannem Sturmium ille ſubſellii noſtri Theologus, uno inferior Martino, Martin⁹ Chemnitius) procul dubio calculus gravior, quàm alicujus eloquentiæ minùs conſcii, ut ut aliarum magis periti artium; qui de Luthero diſertè: *Lutherus quaſi magiſter exſtitit noſtri ſermonis; ſive puritatem conſideres, ſive copiam. Principium conſilia, civitatum judicia, ſcribæ omnes, omnes Legati, ac Jureconſulti Germanici hanc laudem homini tribuunt Theologo. Cauſſam certè ipſe defendit & Juſtam & neceſſariam: quæ per ſe meretur victoriam: ſed certè Oratoriis lacertis ſua miſit tela argumentorum. Si hæc religionis reſtitutio non eſſet: ſi nullæ conciones ejus exſtitiſſent: ſi nihil ſcripſiſſet aliud, quàm ea, quæ in Vetere & Novo Teſtamento translata divulgavit; tamen ſumma ejus & perpetua in hoc labore deberet exſtare gloria. Si enim hujus Germanicæ translationi cæteræ Græcorum, Latinorum, aliorumq; comparentur, cedere coguntur perſpicuitate, puritate, proprietate, ſimilitudine Hebraicæ originis. Credo, ut Apellem nemo legitur pictorum ſuperaſſe: ita nec ſcriptorum quidem quisquam Lutheri converſionem poterit vincere.* Hæc autem ille ipſe è Germanis alter Tullius Romanus, Tyrrhenicâ quaſi buccinâ eloquentiam Herois noſtri decantans.

Nec verò etiam deeſt, cætera quaſi jurati hoſtis, & Catilinarii noſtrarum partium Evangelicarum, quæ ipſi; horroris cauſâ, unicè dicuntur hæreticæ, adverſarii, Ræmundi è Gallis (quæ in Lutheri honorem vi veritatis excuſa laudatio tantò magis utiq; jure attenditur, quanto minùs & ejusdem ſcriptoris, & aliorum ſexcentæ, imò mille mille inſontis animę criminationes penſi habere eſt æquum) hoc de Luthero encomium, trabalibus literis hîc exprimendum, quod ſic adornatum legitur, in dicti Florimundi Ræmundi hiſtoriâ, de Ortu & ruinâ hæreſeon hujus ſeculi, Colonię, Anno. 1613 editâ, lib 1. cap. 5. p. 42. *MVLTIS TAM CORPORIS, QVAM ANIMI DOTIBVS PRÆDITVM FVISSE LVTHERVM, NEGARI NON POTEST. INGENIO ENIM, PRÆ MVLTIS GERMANIS, PROMTO FVIT ET VIVO, FELICI MEMORIA, SINGVLARI ET FACILI VERNACVLÆ LINGVÆ ELOQVENTIA NEMINI SVÆ ÆTATIS CONCEDENS. E SVGGESTV DECLAMANS, VELVT OESTRO PERCITVS, ACCOMMODATA VERBIS ACTIONE AVDITORVM ANIMOS MIRIFICE PERCELLEBAT, ET, VELVT TORRENS, QVOCVNQVE VELLET, ABRIPIEBAT. QVÆ DICENDI GRATIA ET VIS PAVCIS APVD SEPTENTRIONALES POPVLOS CONCESSA EST.*

Adhæc autem nec Bellarminus, in libello de columbę gemitu, negavit, Lutherum in Germanicâ linguâ fuiſse diſertiſſimum, quin idem longè apertiſſimè eſt faſſus; ſive, (quod mihi vix videtur credibile,) ipſe Cardinalis Italus Viri legerit & intellexerit ſcripta Germanica, ſive, (quod multò magis mihi perſvadeo,) idem fando ex aliis acceperit.

Quæ quidem ſi ita ſe habent univerſa ac ſingula, quæ protulimus, dicat mihi, quisquis ille eſt, an non ipſius quoq; eloquentiæ nomine nomenclaturâ

Herois

Herois sit verè dignus Lutherus: Nam, qui supra commune dicendi genus sunt eloquentes, Longinus planè nihil est veritus nuncupare Heroës. Qui etiam magni nominis Rhetoricus doctor, quia de Mose à se lecto sustinuit hunc in modum scribere; Judæorum ille Legislator non fuit vir de trivio, quandoquidem Numinis potentiam pro dignitate cognovit, & verbis explicavit; utiq; haud injuriâ, secundùm hoc pagani, sed vera ingenuè fasi, hominis exemplum, nondum etiam à Luthero stantes in eundem sensum sonumq; rectè de eodem pronunciabunt. Est sanè Lutherus tali testimonio dignissimus.

At illo de jam dicto Heröe, aut ejus tantùm de eloquentiâ, placeat, quæso (si otium scilicet est & commodum) auscultare Declamatorem nostrum, qui ferè soletis non habere loco nullo invitationes nostras, Viri omnium Ordinum, Urbis nostræ, Nobilissimi, Magnifici, Prudentissimi, Reverendi, Excellentissimi, Honoratissimi, &, ut verbo absolvam, tam literarum, quàm, quæ illarum est lumen, eloquentiæ Amantissimi. Quæ quidem in medium afferet Declamator, ejus ferè sunt: quippe quæ non fuere mutanda nimiopere à nobis, ut Patriæ Proceres ex Declamatione ab ipsomet confectà intelligere non nequeant, quales ejus sint profectus, cui de publico destinare benevolentissimè aliquid beneficii argentarii non sunt dedignati. De cætero nos reliqui omnes audito precabimur, ut in iis sacræ literaturę, in quibus hîc pedem posuit, gradum strenuè alibi promoveat, carceribus. Cui ego felicem etiam itineris successum; & Vobis, mei Lectores, negotiorum Vestrorum omnium. Valete. Dab. Gedani, A°. 1649. die 19. Martii.

J. M.

NAVITA DE VENTIS.

DE

LIBRORUM ARCIS,

QVAS VOCAMUS BIBLIOTHECAS,

NOSTER,

LIBRORVM ILLE BIBLIOTHECARVMQ;

STVDIOSISSIMVS,

ADRIANUS STODERTUS;

PLVRIMVM REVERENDI,

DN. ADRIANI STODERTI,

ÆDIS MARIANÆ SYMPRESBYTERI,

FILIUS COGNOMINIS;

IN GYMNASII AVDITORIO MAXIMO,

AD DIEM MAII, PROCEDENTIS M. D. C. L. ANNI,

CIRCA HORAM DECIMAM ANTEMERIDIANAM,

LIBRARIÆ SVPELLECTILIS MVLTÆ,

TAM JUCUNDITATEM, QUAM UTILITATEM,

ORATIONE APPARATA OSTENSURUS,

AUDIRI DISCUPIT:

SI

NOBILISSIMIS CIVITATIS PROCERIBVS,

REIQVE LITERARIÆ

ET FAUTORIBUS ET CULTORIBUS,

EXOPTATA AUDIENTIA EUM DIGNARI

EST LIBITUM AC PLACET;

QVO NOMINE

OMNES ORATOS VOLO ROGATOSQVE,

HOC ALLOQVIO,

TAM HVMANISSIME, QVAM CONTENTISSIME,

JOHANNES MOCHINGERUS.

GEDANI,

EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.

ERUDITIONIS FAUTORIBUS ET CVLTORIBVS.

S.

QUi ad dicendum ſurgunt, de argumento nimis quàm magnopere laborare ſolent. Ac nonnulli quidem penè diutiùs colluctantur cum materiâ Orationis eligendâ, quàm circa electæ detractationem. Quidam etiam dolent, & apud animum queruntur ſuum, cùm hinc inde circumſpicientes animadvertunt, eſſe themata ferè pleraq; nobiliora ab aliis occupata, ſeq; adeo incidiſſe in lucum quaſi jam ſucciſum & exciſum, ut illis vix, imò neq; vix, arbuscula ad exſtruendam Oratiunculæ qualiscunque caſam ſit relicta. Quæ ſolicitudo ſanè decet Oratorem meritiſsimò. Mirifica enim, ac tantùm non princeps eſt eſca, quâ ad audiendum allici poſſunt quorumvis aures, ne dicam cordatorum, ſi promittere audeas, tam novi aliquid, quàm boni te propoſiturum. Sic pictorum nemo non, Apelles certè aliquis, aut Nicias, deliberat diu, quid penicillo velit eniti; antequam tabulæ manum admoveat? Cujus exemplo, ſuper dictionis ſuæ materie, omnino in comitium cogitationes vocet opifex Oratorius, nec aliquam amplectatur, niſi ſingularem, aut talem, quam ſingulariter ſe exornare poſſe prævideat. Secùs, ingratiis omnium, & adverſus auditorum palatum, cramben bis coctam, hoc eſt mortem, appoſiturus videbitur ſceletifer Ægyptius; aut Hylam clamaturus, ut nihil audiatur, niſi Hyla, Hyla, verberabitur Poëtæ convitio: *cui non dictus?* aut chordâ oberrans ridebitur eâdem. Itaq; tandem etiam ludibrio habebantur, qui vel millies decantatum prælium Marathonium terreſtre, aut ad Salaminem navale, olim occinebant, quaſi nec quicquam aliud crepare haberent.

Quæ

Quæ verò in materiâ dictionis ſumendâ maximè attendere attinet, ſuo loco docent doctores Rhetorici, & nos illiscum, ac, poſt illos, cùm opus fuit, tradidimus noſtris plura.

Ne multis modò. Verſavit & nos, fatemur, hæc cura coxitq́; me inquam, & Stodertum, antequam ſtatutum haberemus, quid Oratione perſequendum eſſet, cùm mihi in mentem venit, illum in omnium conſpectum producere, & eidem, prodire. Ut equidem aut de magnis Poteſtatibus, earumq́; arcanis interioribus, aut de bellis, de pace, fœderibus, legibus, conſvetudinibus, gàzis publicis verba faceret (quæ argumenta vix queunt ferre Oratorum humeri, quibus magna ſunt latera) non ſuſtinui probare: nec conſultum videbatur, ſvaſoriam noſtro imponere; etſi ex priſcorum conſtet ſcriptis Rhetorum, quòd ipſos pueros Rhetoricos in deliberativo quondam initiò excoluerint, ſic nempe arbitrati, quòd id cauſæ genus ſit cæteris facilius, in quo non tantùm à januâ aberravere, ſed & toto (ſicut Magiſtrorum dicendi è recentibus Alpha, Voſſius, nihil veritus eſt pronunciare) cœlo. Talia certè, aut poſſe, aut debere eſſe Rhetoriſtarum exercitamenta prima, ad quæ ſe durare oporteat, perinde ac taurus cum rivali depugnaturus,

Sic tentat ſeſe: atq́ iraſci in cornua diſcit,
Arboris obnixus trunco; ventoſq́ lacesſit
Ictibus, & ſparsâ ad pugnam proludit arenâ:

mihi vix perſuadebit quispiam, etiam cùm perſuaſerit.

Placuit igitur demum, de BIBLIOTHECIS, re dignâ (tam olim honoro, quàm hodie ſpreto, favete nomini) Scholaſtico homine, adornari Declamationem Epidicticam, ſeu Oſtentativam. Idq́; etiam, quia putavi, Bibliothecarum ſolo nomine auribus accepto, tam ad Orationem accurſuros non paucos, quàm ad eas ipſas ſe perquam libenter recipiunt ſapientiæ amatores omnes. Apud quos, ut conſtat, cùm in Urbem aliquam ſunt delati, ſive profectûs literarii causâ iter facientes, ſive alíus etiam negotii gratiâ, rerum eſt ferè omnium primum, ſalutare, ſi adſint, Bibliothecas latentes, & bipatentes tabernas quascunq́; librarias. Nec ignoro, quàm multi ex doctrinæ amicis, quos nobiliſſimæ Urbi Carthagini, hoc nomine in floridis, ab Appulejo laudatæ,

datæ, facilè par, Gedanum noſtra habet, inter ſvaviſſimos & præſtantisſimos peregrinationis ſuæ fructus numerent, quòd ipſis, ex voto, facta fuerit copia, tam viſendi, quàm excutiendi aliquot Bibliothecas, publicasq; privatasq;. Utpote (ut ex earum multitudine ſolummodo aliquarum jucunda fiat recordatio) Regiomontanam & Thorunienſem, in viciniâ utramq;; in Daniâ Hafnienſem; in Bataviâ Lugdunenſem, ejusq; adytum polyglosſis chartis refertum, Scaligerianum; in Angliâ Oxonienſem; in Galliâ Pariſinam Regiam; in Italiâ Vaticanam, Pontificiam, eiq; modò inoculatam Palatinam, quondam Electoralem (non dicam Regiam item Eſcurialem, in Hiſpaniâ, paucioribus aditam;) Viennenſem Imperatoriam; Auguſtanam & Noribergenſem, Patritias; Jenenſem Academicam; Breſlanam Magdalenæam, tam Eccleſiaſticam, quàm Scholaſticam; omnes has in Germaniâ.

De me mihi fas ſit loqui tribus: quòd cum primis Oxonienſis illa nunquam non in memoriâ & ore noſtro erit, quàm diu ipſe ego ero. Proh enim quanta ibi omnis notæ codicum ſimul copia, ſimul præſtantia quanta! Nusquam etiam gentium tutiùs & magis ad utilitatem publicam reponuntur libri, quàm in armario Bodlejano: verè ſic ſcribente Johanne Rous, Bibliothecario, in gratiarum actione, pro epiſtolis Concilii Baſileenſis, authentico communitis ſigillo, ex hac Vrbe noſtrâ acceptis. Quod armarium Bodlejanum, merito ſuo, ſæpisſimè utique celebrari meretur, celebrato juxtà ſemper conditoris nomine. Thomas enim Bodlejus, quem tam uterus, quàm virtus, domi forisque fecit nobilem, is fuit, qui (ſic, ex more, perquam ingeniosè Barone de Verulamio prodente, cùm ſuum Bodlejo tradidit de ſcientiarum augmentis librum, ut in Bibliophylacium reciperetur) contra diluvium, ſi quod ullum eſt venturum, arcam novam exſtruxit, ut ibi omnes librorum conſerventur familiæ. Quare etiam Jacobus, Rex Angliæ verè Platonicus, imò Salomoneus, cùm aliquando ingreſſus eſſet, Muſarum Oxonienſium hoſpes & modimperator, Bibliothecam illam celebratisſimam, conſpectâ Bodleji ſtatuâ, quæ ibidem ex alabaſtro dedolata & inductis coloribus vividè repræſentata reperitur, ad nomen Bodleji (in lingvâ namque Britannicâ, primo tantùm elemento differt nomen

men pii à Bodleji nomine) factâ allusione multò svavissimâ; vere dicendus es, ait, mi Thoma, *Godly*, non *Bodly*; erecto hoc tam præclaro, & pietatem tuam abundantissimè declarante ædificio, turgenteque tot millium voluminum receptaculo. Quin idem ipse Rex paulò post, ad omnium stuporem, inquit: Equidem, si unquam mihi in fatis sit, ut captivus ducar, si mihi optio daretur, hoc cuperem carcere (Bibliothecam designabat, in quâ versabatur) concludi, his catenis (respexit scilicet catenas ferreas, quibus annexi sunt pluteo cuicunque libri majores, ne se auferre aut auferri possint) illigari, cumq; his concaptivis concatenatis ætatem ducere. Tanti fecit Rex peculium Bodlejanum! Egone verò hic tacere debuissem de illo sine pari, quod peregrinis nobis, ante ipsos quatuor & viginti annos, tam liberaliter patuit; nempe Sacrorum apud Revalienses olim Antistiti, jam beato, & Thorunienſi, nec non mihi, qui etiamnunc, per DEI gratiam, sumus superstites; cum Regni filii, ob contagium, vah quàm graviter multis tum nocens! dissipati essent, tribus illis adverbiis, quæ lippis tonsoribusque sunt nota, (mox, longè, tardè) salutem sibi quærentes? Patriæ suæ Bibliothecæ, hoc est Noricæ, historiam meritissimò & ex boni civis officio texuit publicavitque Johannes Saubertus, Theologiæ simul Theoreticæ, simul Practicæ, imò & vitæ, ac præsertim patientię Theologicæ sinceritate longè lateque inclytus. Quo exemplo incalescens noster ex amicis, quorum vicinitate & familiaritate lubenter meritoque multùm utimur, cerę non imę, Christophorus Colerus, Professor insigniter industrius, natales & possessiones Bibliothecæ Vratislavienſis exquisitè in aprico posuit. Quid dicam de aliis, tam veteris, quàm præsentis ævi Dominorum, Bibliothecis? quibus de alii. Illud unicè commemorabo, videri, quòd omnes in librorum domiciliis fundandis & instruendis negotiosi habeant pro persvasissimo, collocari sic & opes & opus persapienter. Quare privatorum quoque complures, quibus scientia est curę cordique, vix ullis parcunt sumtibus, imò impensas, quantas possunt, maximas faciunt, sæpe etiam majores, quàm possunt, ut magnam sibi comparent librorum

rum vim, præ magnâ ingenii monumentorum arcâ parvam nummorum eligentes. Ex quo fit, ut vulgi, homines censu æstimantis, sit communis fabula de literatis, hanc esse defunctorum felicitatem, quòd ferè post se relinquant non nisi numerosam librorum & liberorum catervam: sicut ad sempiternam gloriam Augustus Thuanus, idem amplisimę sator Bibliothecę, quæ superest, filia Herois laudatisima, tanquam Minerva innubilis, & nulli heredi propria, sed omnibus bonis & doctis, tenore testamenti (verba sunt Præsidum Vratislavienśium secundâ admurmuratione dignisima, cùm laudati Coleri Orationem de Civitatis Bibliothecâ intimavere) honestè prostituta & exposita; in Historiâ suâ, an Bibliothecâ Historicâ? proditum ivit singularem Andreæ Tiraquelli, quà ingenium, quà corpus, fœcunditatem, singulos singulis annis libros & liberos Reipublicæ dantis. Certè & edendis suis & coëmendis aliorum libris oppido quoq; exhausit scrinia sua cupidisimus librorum helluo, Bartholomæus Keckermannus, qui quantam à patriâ nostrâ mercimoniis nobili accepit claritatem, tantam ei literarum & librorum promulgatione retulit: sicut idem ipse, hilari tamen mente, vacui instar coram latrone, tam de fundi sui calamitate illâ, quàm literaturæ fonte, canere est solitus, in hunc sonum:

Est mihi thesauros quæ res exhauriat omnes:
Quæ res thesauros, dum minuit, superat.

Nihil addo: ne longum nimis faciam. Declamator, qui dicto loco temporeq; se sistet, quantum satis erit, quanquam avidisimis auribus, proferet, cùm jucunda, tum utilia, quæ librorum locuples gazophylacium affert, Oratione suâ, eum in finem confectâ. Sicuti idem etiam, (quæ à me consultò hîc nondum verbo tacta est) Senatoriæ nostræ Bibliothecæ Gedanensis non præteritum relinquet encomium; dilaudabit verò potiùs, pro eo ac fieri par est, Magistratûs tum sapientiam, tum providentiam, quâ Gymnasio nostro, hoc est, primarię Musarum Dantiscanarum officinę, prospexit, de tam copioso Scholastico armamentario, æquè docentium, æquè discentium usibus inserviente. Igitur eâ de nihil adjicio ampliùs.

Frustra

Fruſtra autem eſt, quisquis à me adhuc hoc loco exſpectat, aut expetit, ut declamaturum extollam, quò ad eum ſpectandum auſcultandumq́; ſint oculi & aures univerſorum & ſingulorum inclinatiores. Cui niſi materia abundè conciliaverit contemplationem & audientiam, Bibliotheca ſcilicet, quæ paginarum quàm plurium optimè exædificatarum eſt congeries; quid efficiat trium quatuor linearum rudis iſthæc ſylva? Quemadmodum etiam

Qui ſeſe rectè commendat in omnibus omni,
Non commendari rectiùs ille poteſt.

ſentiente Poëta novitio, veteribus parùm inferiore: ita malo auditâ, quod rogo, Oratione ſummis & infimis commendabilem ſe reddat ſuo & conſcriptæ & habitæ dictionis opere noſter Suadæ ſitientiſimus alumnus. Me quidem, quia in Poëmatis recitandi periculo, ſi quid in me eſt judicii, egregiè ſe ſuperiori anno geſſit, planè ea ſpes tenet, fore, ut noſter in Oratoriâ exercitatione nihilo videatur ſequior, imò (nullus timeo hoc polliceri, ex bene animadverſis ejusdem quotidianis progreſſibꝰ, ſed cum Deo) ſuperior. Et me etiam tacente, nemo non, ut opinor, adeſſe nos dicentis Orationi, æquum judicabit, ut præſens Pater erigatur applauſu, videns & ſentiens, præſentiâ noſtrâ filio non negatâ, nos illi gratulari, quòd unam ſolùm quidem, ſed talem tamen Urbi accenderit lampadem, de cujus & gratâ & diuturnâ luce ſit bona omnium exiſtimatio. Tam autem corporum Patres, quàm, veluti nuncupantur, Spirituales, occaſionibus ſe offerentibus, publicè honorari, intereſt Reipublicæ. Nos quidem profectò & gratiis & bonis votis, ne dicam prædicatione, cùm nobis nimis quàm ſæpe præſtitam, tum Declamatori, rogatu noſtro, nunc rurſus præſtandam benevolentiam, quacunq́; prenſatâ ſtudioſiſſimè opportunitate, ſedulò compenſare annitemur: cum Stoderto inquam utroq́; Adriano, item ego, qui hæc dedi, Gedani Anno 1650. die 28. Aprilis præcipitis.

TESTIMONIUM
AVGVSTINO VVISÆO
DEBITUM.

GEDANI,

TYPIS EXSCRIPTVM RHETIANIS.

CVM SALVTIS VOTO PLVRIMÆ,

AD LECTOREM,

CVJVS HÆC SCIRE INTEREST,

JOHANNES MOCHINGERUS,

apud Gedanenſes, Ædis Catharinianæ Paſtor,
&, in Gymnaſio, Eloquentiæ Profeſſor.

INter ea haud pauca, quæ mihi admirabilem divinæ providentiæ, in vitâ tam meâ, quàm aliorum familiariùs notorum, directionem libenter obſervanti occurriſe perbene commemini, unde ſat luculentè *vim perſpexi ſupernam*, & numero in præſens, & nullo non tempore, quàm diu ipſe mei ero memor, ſum numeraturus, quod modò hîc commemoratum ibo. *Auguſtinum Wiſæum*, qui Patre non tantùm honeſtiſſimo, ſed & literatiſſimo, Habelſchwerdæ in Sileſiâ, eſt natus, traditum accepi ab Amicis Vratislavienſibus, Viris cùm Optimis, tum Eruditiſſimis, atq; adeo æquè honoris, æquè amoris cauſſâ, tam hoc loco & tempore, quàm nusquam non & nunquam non nuncupandis; plurimùm inquam Reverendo DN. Johanne Kurzmanno, Eccleſiaſtâ, & Clariſſimo DN. Valentino Kleinwechtero, Magdalenei Profeſſore: quem ſic diligenter mihi commendatum in domū recepi, quòd ejus mihi utilem fore operam in filiolo meo, tunc inter mortales mortali, jam autem inter immortales beatos immortali, Ehrenfriedo informando, perſuaſus eram, cùm ex literis dictorum Virorum commendatitiis, tum ex intuitu juvenis Socratico. Ante novennium ſcilicet id factum, cùm nominatus Wiſæus ad me venit. Quia autem eum magis magisque præparare volebam, non ad inſtitutionem tantùm filii mei feliciorem privatam, ſed ad publicum etiam Eccleſiæ

cleſię bonum, religio mihi erat, labori ulli parcere, in Wiſæo manuductione omnis generis juvando & impellendo. Dicet ille ipſe, nullius minùs immemor rei, quàm acceptorum, quę acta ſint, me quoq; tacente. Ego tamen, opportunitate ſic ferente, non in meæ de ipſo ſuſceptæ curæ deprædicationem, hæc prodam paucula; verùm in commendationem ejus, bona ſua minimè negligentis ſed intelligentis maximopere. Quoniam quidem in linguis, tam Latinâ, quàm Græcâ, nec non verò etiam Hebraicâ; ſub induſtriis & fideliſſimis Magiſtris Vratiſlavienſibus, jam ultra tyrocinia progreſſus fuerat, in omnibus iſtis tribus linguis initiò incitabatur, hortatu, exemplo & exercitatione, ad majores profectus. Tum verò, quia videbam memoriam ejus eſſe bene capacem idiomatum complurium, etiam Belgico & Gallico, & Italico & Anglicano à me imbutus fuit; ita ut in his eam ſibi acquireret peritiam, quò poſſet in iisdem edita, ac præſertim ſcripta Theologorum, legere commodè & intelligere. Namq; eò maximè collineabamus, ut non tam linguas nomenclatoris more diſceret, quàm ut per has ad ſcientiam variam, atq; cumprimis Theologicam majorem, pervaderet. Eapropter etiam quædam ab ipſo ex iſtis linguis converſa. Atq; imprimis, poſt methodum Philologię & Theologiæ à nobis commonſtratam, & Biblia multò diligentiſſimè privatim lecta, concinnavit diſſertatiunculas ex profundis antiquiſſimi Tertulliani & recentioris Bernhardi melliſluis ſcriptis; Scriptore utroq; intentiſſimè à capite ad calcem peragrato. Ex me enim publicè in Gymnaſio docente audiverat diſſertationes ſuper tractatibus Veterum, cùm Græcorum, tum Latinorum plerorumq; omnium Tractatorum, artificium tractationis per præcepta antè explicatum luculentiùs ob oculos ponentes: quas ille diſſertationes ore meo excuſſas alacerrimo ſtylo connotavit. Taceo percurſas controverſias Judaicas, & quæ præterea ad ſolidiorem ſalvificę Chriſtianę veritatis

confirmationem attigimus. Quemadmodum verò ſic à me ſtudia ejus (ſit venia verbo) tam ſerio, quàm bono animo, curari animadvertit: ita & ille ad mei filioli progreſſus promovendos fuit attentiſſimus, cum ſpe, fore, ut conſequente tempore in hunc transderivaret, quæ ex noſtro fonticulo ad ipſum manarant. Sed filius ille meus ex vitâ hac ad alteram, ſive, ut loquuntur, ex Scholâ ad ſupremam Academiam eſt translatus. Ego tamen porrò fovi Wiſæum, plus plusq; divinâ ope erudiendum. Itaq; etiam in ſuggeſtum collocatus, ut, quæ didiciſſet, docere tentaret populum. Auditum non ego tantùm tacitè profectò probavi: ſed & alii cum præconio. Quare cùm ex concione unâ atq; alterâ publicè habitâ, tum ex editis aliquot carminibus, gratiam apud aliquos Viros primarios obtinuit. Cogitavi autem de eo demum ad exteros mittendo, utpote jam, uti videbatur, ſatis ad iter inſtructo. Et quanquam de cætero inanis eſſet, niſi quòd literis vix parùm locupletatam haberet mentem, ablegatus tamen eſt ad Leidenſes, & ab iis juſſus ire in Angliam: mirè interim hoc eveniente, ex largitione videlicet divinâ, ut ipſi ſumtus ad neceſſitatem non deeſſent, etiamſi non illico eſſent in numerato. Singulariter equidem, ac ſine exemplo, imò præter legem, impetravit ex arcâ B. Kempeniæ in aliquot annos ſingulos Imperiales XL. etſi hîc Gedani non eſſet in vitam ingreſſus. Nempe Curator iſtius piæ arcæ præcipuus, Nobiliſſimus & Ampliſſimus DN. Henricus Frederus, jam Urbis hujus Burggrabius & Præconſul, æſtimavit ex ingenii ſpeciminibus cognitum Wiſæum hac extra ordinem beneficentiâ dignum, ut cum civium filiis peregrinus ſtipendiolo frueretur; quippe qui etiam B. DN. Kempeniam cum honore tumulatam leſſo ſuo ornaverat: illam inquam Præconſularem fœminam & undiq; condecoratiſſimam, quæ inter cætera liberalitatis eximiæ documenta & hoc edidit, quòd egregiam aliquam ſortem ordinaverit, ex quâ fœ-

nus

nus ferente alantur quidam literarum ſtudioſi, ſed inquilini, & verò familiæ ſuæ propinqui. At, ſicuti jam dixi, Auguſtinus Wiſæus, ob literaturæ dotes, noſter eſt judicatus ab æquitate & ſapientiâ meritisſimò dicti DN. Frederi, nec non aliorum accedente calculo. Ego autem de Wiſæo, ſic, quemadmodum teſtimonii perhibendi ergò recenſui, & animi & fortunę præſidiis neceſſariis munito, talia apud me agitabam mente: hic verò ille eſt, qui poterit eſſe Patrię noſtrę utilis; aut, ſi Numini aliud videatur, alibi Eccleſię; ac fortè (ut verum jam fatear, DEO arcanum pectoris mei in lucem omninò exire volente) in Belgio Chriſtianis cætibus, quos, diſtinctionis gratiâ, appellamus verè-Auguſtanos, aut Lutheranos. Nam, ſanctè loquor, patrium quidem, pro eo ac debeo, amo ſolum; & DEO gratiàs ago, quòd me voluerit in eodem Eccleſię Scholęq; inſervire; ſed & qualiscunq; me tenet ſolicitudo Orbis, ac præſertim Chriſtiani. Cùm autem in Belgio fœderato literis operam dedi, obſervatum, ægrè poſſe ibi aliquos haberi, qui noſtris præſint Eccleſiis, indies ſe tamen extendentibus; quippe quòd Belgarum plurimi, potisſimùm eruditi, in ſegrege ſint cœtu, & ex Germaniâ pauciores Theologię ſtudioſi in Belgium ſe recipiant. Unde factum, ut & mihi Leidę præſenti quispiam neſcio quid inſuſurrârit, quò me iſti loco applicarem. At me aliò fata & vota trahebant. Igitur (fateor iterum) de Wiſæo, inter cætera, iſtud verſavi animo: fortaſſis, DEO diſponente, hoc ingenium noſtris in Belgio erit aptum. Quapropter etiam (quod novit Wiſæus) gratum mihi ſemper fuit, cùm ex ejus percepi literis, quòd audiretur cum prolubio verba ad gregem tam Bredę, quàm Delphis, iterum iterumq; faciens. In Angliam tamen amandatus, ut eam item videret. Vidit: ſed turbarum pleniſſimam. Quamobrem remigravit in Belgium, ſuprà quàm omni tempore fuit, nunc pacatum. Inde ſcribit ille, ſe prenſari, ut Roterodami pedem pedumq; figat,

figat, & paſtoris Eccleſiaſtici munus ſuſcipiat Ego mirari & ſuſpicere divinam ſe exſerentem pronœam, & planè cogitationibus meis occultatis reſpondentem. Rogatusq; conſilium reſcribo, nihil agendum eſſe irreligioſè & temerè, ſed reverenter & cautè. Wiſæus verò, grati animi ſtudioſiſſimus, ut audio, Roterodamenſibus expoſuit ſibi hîc à nobis exhibita; unum hoc causſatus, ſe nihil quidem vocantibus velle negare, ſed nec poſſe operam ſuam addicere, ſine ſcitu Gedanenſium Patronorum. Ad me igitur ſigillatim, quem habet ex affectu ſuo in Parentis loco, & ſuas deſtinavit, & publicas Reverendi Antiſtitis DN. Theodori Tyt & Seniorum literas, rem omnem ordine exponentes. Jam ego auditis, quos par erat interrogare, hac manu meâ teſtor, poſſe bonâ noſtrâ omnium cum gratiâ amplecti Wiſæum oblatam in Domini nomine Spartam: nullus dubitans, futurum, ut gratia DEI ſit certò adſpiratura. Satis enim nobis erit, ſi memor noſtri, apud DEUM in precibus, & apud homines in proſperis recordationibus, publico ſancto utilis vixerit. De reliquo, ſi aliam vocationem divinam, vel hinc, vel aliunde, aliquando conſecutus fuerit, quis neget, ei omni tempore & loco, rebus bene expenſis, obtemperandum eſſe cœleſti imperio? Verùm ex his optimè intelligent Roterodamenſes in Chriſto fratres, qualem hominem nanciſcantur, honeſtè videlicet natum, probè in literis educatum, ſincerâ religione, quæ in Sacris Pandectis & Orthodoxis Eccleſiarum Chriſtiano-Lutheranarum libris comprehenſa eſt, fideliter eruditum, exterorum dogmatum & idiomatum non ignarum, ad veritatis & pacis ſtudium ex æquo propenſum, &, ut vita teſtabitur, virum frugi, deniq; ex providentię divinę mirificâ gubernatione ad ſe delatum. Oro & orabo ego, ut bene ipſi ſit apud Roterodamenſem cœtum; & cœtui tam iſti, quàm omni in Belgio, quà ſanctam doctrinam conſono, quàm optimè! Neq; enim poſſum, negotio toto accura-

accuratè excusso, aliter dicere, quàm à Domino factum esse, ut sedem figat apud Roterodamenses Wisæus. DEO parendum utiq; fuit, cui facilè est obsequenti parare omnia huic vitę necessaria, & demum largiri servo futuro fideli æternę vitę præmium. Hæc ad DEI laudem gloriamq; lubens protuli & explicui, rogans, ut eo affectu legantur, quo sunt scripta. Valeant autem Lectores omnes bellè, qui vias Domini observant, mirantur, laudant. Vale & tu, mi Wisæe, nostriq; in orationibus coram Deo memento: id mutuò faciemus. Oremus autem omnes subinde ad summam ex summâ precatione Dominicâ: Fiat Patris voluntas, sicut in cœlo, ita in terrâ! Amen. Dab: Gedani, Anno ærę vulgatę à Christo Salvatore nato homine, 1650 die 25 Maii, pridie festū Ascensionis Dominicę in cœlum, & longè supra omne cœlum.

QVOD VTINAM PLACITO FIAT PVBLICO!

CUM NVMINIS BENEVOLENTIA,

GEDANI NOSTRI

OCVLIS LITERATIS AVRIBVSQVE,

TAM PROPENSIS, QVAM PROPITIIS,

IN

THEATRI ACROATERIIQUE SOLITI

GYMNASTICO SUGGESTU,

ANNO MDCCL. DIE XIV. JVLII,

HORA IMMINENTE DECIMA,

SPECTANDVM ET AVDIENDVM,

EX

MODESTIA, SEDVLITATE ET OBSEQVIO,

POST PIETATEM,

PRÆCIPVIS IN ADOLESCENTE VIRTVTIBVS

TRIBVS ILLIS,

VT COGNITVM, ITA PROBATVM,

BENEDICTUM FIGKIUM,

GEDANENSEM,

SISTAM ET EXHIBEBO,

JOHANNES MOCHINGERUS,

ÆDIS CATHARINÆÆ PASTOR ET PROFESSOR.

P. GEDANI,

EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.

QVOD VTINAM PLACITO FIAT PVBLICO!
CUM NVMINIS BENEVOLENTIA,

GEDANI NOSTRI

OCVLIS LITERATIS AVRIBVSQVE,
TAM PROPENSIS, QVAM PROPITIIS,
IN
THEATRI ACROATERIIQUE SOLITI
GYMNASTICO SUGGESTU,
ANNO M D C L. DIE XIV. JVLII,
HORA IMMINENTE DECIMA,
SPECTANDVM ET AVDIENDVM,
EX
MODESTIA, SEDVLITATE ET OBSEQVIO,
POST PIETATEM,
PRÆCIPVIS IN ADOLESCENTE VIRTVTIBVS
TRIBVS ILLIS,
VT COGNITVM, ITA PROBATVM,
BENEDICTUM FIGKIUM,
GEDANENSEM,
SISTAM ET EXHIBEBO,
JOHANNES MOCHINGERUS,
ÆDIS CATHARINÆÆ PASTOR ET PROFESSOR.

P. GEDANI,
EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.

ETiam hunc, per Dei gratiam, videor mihi sic in umbrâ effinxisse & expoliviſſe Declamatorem, ut duxerim, posse eum (quod tam æquus, quàm intelligens censor non facilè improbabit, si ordine quidem fiat & tempore suo) in Vrbis nostræ lucem publicam tutò mitti, sistique spectatorum oculis & auditorum auribus. An me fefellerit arbitratus noster circa illum eousq; provectum, penes omnes judicium esto, qui eundem videre dignabuntur & audire. Fortè tamen erro Magister in existimatione de discipulo: sicut Parentum est notissima in liberorum amore cœcutientia. Si igitur ita mecum esse jam comparatum perspicacior aliquis animadvertat, *rogo mihi* dari veniam; sicut genitoribus ingenitus error ille ferè ignosci solet.

Quia tamen vel maximè nefas, Patrem, audientibus aliis, ac præsertim natis suis, in horum commendationem ampliter loqui & magnificè; temperabo & ego mihi omni studio, ne in extollendo isthoc disciplinæ alumno nostræ nimis ineptiam. Præstat enim utiq;, vicinos de Johanne admiratione plenos mussare, (inquiente uno ad alterum, *quid putas futurum ex hac sobole?*) quàm Patrem, Zachariam. Quanquam & hic, linguæ iterum particeps, postquam Deo debitum ceciniſſet hymnum, de filiolo suo, satis diserte, instinctu Spiritus, ait: *Et tu, puerule, vocaberis Altissimi propheta, & præibis ante faciem Domini, ut pares vias ejus.* Ne addam reliqua, satis nota. Liceat mihi tamen ominari, futurum sine dubio, ut noster ille pulchris literaturæ præsidiis magis magisque instructus sit dignior aliquando proditurus in publicum; si etiam ei (quod optamus) à Numine prorogatus vitæ fuerit usus. Bene sanè id vertit, quòd orbus Patre factus fuerit, postquam alterum est nactus, qui ei ad sancta, hoc est, optima literarum studia, non tantùm autor, sed & ductor. Me item Mystagogo,

Mercu-

Mercurium (si ita fas est loqui) colere cœpit, non quà lucro præesse fingitur, sed quà eloquentiæ. Quanquam profectò unicè eò omnis nostra tendit opera, ut, quemadmodum renuit D. Paulus apud Lystrenses, divino in cultu gentilium more profano aberrantes, haberi pro Mercurio; sed voluit omnes agnoscere, qui cœlum terramque condidit, verum Deum unicum; ita cuncti, qui se literarum causâ nobis applicant, ex nobis non rarò intelligant, non à cœco aliquo idolo proficisci, ut sapiendi, ita sapienter & copiosè loquendi facultatem; verùm à Patre luminum, à quo omne bonum venit desuper, vendente ut hanc, ita illam, tam labore, quàm præsertim precibus. Quod quia noster quoq; *Benedictus* à me, tum auribus, tum animo jam sic satis benè accepisse, imò percepisse videtur, auguror inde, nec labori, nec votis parsurum unquam, ut cum sapientiâ eloquentiam, suæ aptam mediocritati, obtineat à Deo. Ac certè jam ejus utriusq; quædam rudia initia consecutum esse sustineo affirmare. Quod, me tacente, conjicient etiam venturi Auditores ejusdem, sive Declamationis, quæ est ab ipso habenda, sicuti illam informavit, conformavitq; partem multò maximam. Verùm de Declamatore amplius nihil: de argumento ad dicendum sumto potiùs; de DONO, inquam, LINGUARUM.

Hoc me commendasse non celo. Placet enim in intimis medullis linguarum cognitio studiumque, sive nescio quo naturali earum amore nobis occupatis, sive permotis autoritate nulli Apostolorum cedentis, qui sic eam linguarum cognitionem & studium Corinthiis suis, ac, ni fallor, nobis, & omnium gentium Christianis tradidit: *Volo omnes loqui linguis.* Idque non verbis tantùm istis Orbi declaratum dare voluit, sed exemplo etiam suo confirmatum; quod ipse mirificè religioso & erga Deum, à quo est os & oris præstantia, ex linguarum varietate & fandi simul venustate egregiè emicans, grato animo, inseruit omnium notitiæ, sic ad dictos Corinthios scribens: *Gratias*

ago Deo meo, quòd magis, quàm vos omnes, linguis loquar. Super quo non parùm profundè utiq; in pectus meum illapso effato Paulino non possum non, tam nobilem adeptus occasionem, pluribus modò commentari, aut, quæ jamdudum sum animo commentatus, effundere. Animadverti namq; hinc velim, quòd linguarum cognitio rectè acquisita variarum, sit Dei donum munusque, quod non in postremis habendum. Et dubitet adhuc quispiam, à Numine esse vim loquēdi ac variè loquendi? *Quis os dedit homini?* quemadmodum, percontatione hac positâ, ad Mosen, de linguâ impeditâ conquerentem, ait Dominus. Simul autem illico sic respondens: *Nonne ego, qui sum Jehovah?* Idem sanè Jehova linguæ dedit homini primo & plectrum, & ejus, animâ inspiratâ, usum. Idem Iehovah apud insanùm magnæ cœloque proximæ *Babylonicæ turris architectos* turbavit linguam, dum *fecit eos, intra oculi nictum*, suetæ obliviſci linguæ, & meminisse insuetarum, ac recèns in ore eorundem natarum. Idem Jehova sic dictos Galilæos, Spiritu impletos promisso, utpote futuros Ecclesiæ in cœlum ipsum usque ingressuræ exædificatores, quasi momenti spatio, conscios peritosque reddidit linguarum diversis quaqua versus patentis Orbis populis propriarum. Ille idem Iehova etiamnum hodie homines efficit loqui, & loqui pluribus idiomatibus, miraculo si non tam illustri, quàm fuit dictum de his, illis & isto sic ditatis, haud certè tamen obscuro. Ei ergò gratias agamus linguæ non expertes. Eiq; agant gratias maximopere, plurium compotes linguarum: idq; exemplo D. Apostoli jam percepto. Deinde verò colligo adhæc ex verbis Pauli laudatis, non posse certè habitare in iis Paulinam mentem, ne dicam Spiritum; quibus puerile videtur miraculum, linguas callere multiformes, imò unam paulò accuratiùs; cùm æquè illarum, æquè unius cujuscunq; operosiorem culturam, ex illorum opinione, præstet susq; deq; habere. Quibus de non pronunciabo ex formulâ tralatitiâ, abundent suo ingenio, non: sed mage optabo (quia sanè tanti est) ut destituat illos

illos talis sensus, inseratur verò, cum Paulino Spiritu, Paulina sententia melior. Illine, qui linguas nullo habent loco, pro linguarum notitiâ in aliis compertâ & exploratâ, gratias Deo agent, quemadmodum fecit Apostolus? Vix illi, inquam, Dominum, rerum largitorem omnium, idcirco gratiis prosequentur; persequentur potiùs polyglossum aut philoglossum judicio siniſteriore. At Paulo, quæris, unde ea de linguis mens? Perspectum, ajo, habuit earum usum permagnum perq; multum in Apodemiâ suâ Apostolicâ, præconium Iesu faciens apud gentes, gentiumque Reges, & filios Israël, vas electum, & peregrinator, hoc est, Apostolus maximus.

Nec latére potest linguarum cognitarum plurima utilitas, attento, quomodo eæ prosint hodiè quorumcunq; hominib9 ordinum. Turcarum est sententia, quot qui linguas tenet, tot illum viris æquivalere. Quare ad hoc in mancipiis comparandis benè adjiciunt oculū, rati, eô majori esse posse emolumento, quò possunt apud plures verba facere. Sed paulò majora canamus. Quanta, quæso, est gloria amborum istorum è Doctoribus Ecclesiasticis, quos Patres vocamus, Hieronymi & Epiphanii, quorum ille Hebraicæ, quâ Veteris sunt Canonis authentica volumina primitus conscripta, fuit gnarus; hic pentaglossus, atque adeo ita longè post se reliquit Ennium Patrem, qui se habere corda tria est solitus dicere, quòd Græcè, Oscè & Latinè fari posset. Si autem, qui vetustioris Ecclesiæ Antistites sunt secuti quidem tempore, verùm non studio erga literas, sic nuncupati Doctores Scholastici contemsere ac neglectim habuere linguarum tractationem, hoc ipsi malum jumento suo accersivere, ut, eruditiori hac tempestate, perpetim linguis cædantur, ob barbariem & hallucinationem sæpè nimis quàm crassam; quin ipsimet contemnantur item, neglectimq; habeantur. At sanè, post demum expurgatam Giganteorum istorum Scholasticorum Theologiam, & tam à sapiendi excessu, quàm à dicendi defectu repurgatam, nemo non Theologorum, imò & eruditio-

ditionem affectantium, hoc putavit partium esse suarum, ut simul rebus, simul linguis operam daret cupidissimè cognoscendis. Signum extulit prætulitq; Herculeus æquè linguarum, æquè religionis vindex, Lutherus, qui quantopere sibi sit gratulatus, ob linguæ unius, nempè Hebraicæ, scientiam qualemcumque, ex his ejus verbis, intelligere & mirari attinet, cùm scripsit: *Scio, quantum mihi lingua Hebræa contra hostes meos profuerit. Quare hac quantulâcunq; cognitione infinitis millibus aureorum carere nolim.* Quanti igitur verò, si rectæ lancis indicaturam observaverimus, est æstimanda aliorum doctæ familiæ haud paulò magis exsuperans Lutheri illam in linguâ eâdem sanctâ peritiam: Reuchlini videlicet, Forsteri, Avenarii, Schindleri, Drusii, Weiganmejeri, Gerhardi, Tarnovii, Schickardi, Glassii, & mei, quem memor animus mihi imperat nominatis adjungere, in Hebraicis literis Doctoris, Laurentii Fabricii, Professoris quondam Witebergensis; ut & Buxtorffiorum, Patris & filii, utriusque in Hebraicâ literaturâ Orbis totius Præceptoris incomparabilis? Ne plures è viventibus commemorem, quos similiter à posteritate percelebratum iri dubium est nullum; sicut nos majorum meritissimo cum honore modò fuimus memores. Quantum etiam omne genus verè literatorum laudatissimis linguis addiscendis & tribuat precii, & quantum tribuerit studii, non obscurum est ex monumentis librorum publicis.

Sicut verò constat, nuncios hac illac euntes non posse carere linguis: ita negari nequit, non postremæ notæ decus, (imò prorsus necessarium) esse in iis, qui legatione funguntur, à magnis Potestatibus peregrè missi, si linguas noverint varias. Secùs profectò nec audientur tàm libenter, nec audient tàm utiliter. Ita Lentulo Consuli visum, non eundum esse ad Parthos Pompejo; quia imperitus esset linguæ Parthicæ. Quod ipsum in Legato requisitum non reliquit tacitum ille de Legato scriptor præclarus, qui Principum Oratoris omnia ad unguem commemoravit.

Jam

Jam ipsi quoque Domini Dominæque Majestate suâ non inferius esse putant, imò dignissimum, ut variis linguis accipiant reddantque sermonem. Jactatus satis hucusque est in Declamationibus, Ponti & Bithyniæ Rex, Mithridates, quia duarum & viginti gentium, quas sub ditione suâ habuit, locutus est ore, percalluitq; linguas, sive dialectos. In historiarum etiam monumentis concelebratum exstat, Elisabetham, Angliæ Reginam, ut multis corporis dotib⁹ sui sexûs fœminas, sic hac quoq; parte viros principes antecelluisse, quòd Græcè & Hispanicè mediocriter, Latinè verò, Gallicè, & Italicè ad admirationem docta fuerit, ita ut uno eodemq; die tribus maximorum Regum Legatis, Latinè uni, alteri Gallicè, tertio Italicè respondere sit audita. Jamq; famâ orbis jure extollitur, quæ tantopere extollit linguas, literas, artesq; omnes & arma, illa Sueciæ Phœbe & invicta Christiana Amazon, quòd, præter vernaculam, vernaculæq; proximam, Germanicam & Belgicam, non Latinam tantùm, atque inde magnâ ex parte conflatam Gallicam, sed & ipsam Græcam, totidem inquam linguas, lectione & usu sibi in tantulâ ætate familiares reddiderit, admirantibus universis & singulis, quibus Heroinam Viraginem, ab aliis multò majoribus ornamentis, ore tam ingenui, quàm ingenioſi Panegyristæ, Frensheimii, ut & aliorum scriptorum paginis dilaudatam, audiendi & videndi cum gratiâ obtigit fortuna.

Quid dicam de mercatoribus? Aut, quis dicet absq; linguâ, imò linguis pluribus, venales vel extrudere vel acquirere posse merces, & bene expedire negotia sua peregriq; domiq;, ut bono atq; amplo auctentur perpetuo lucro? Nostræ Civitatis certè negotiatores, cùm tam Polonicâ, quàm Germanicâ uti sciunt linguâ dextrè, quasi ambidextri sunt ad emendam Cererem & vendendam, sicut & reliqua variæ notæ mercimonia. Forum loquatur, me silente. Aut in compitis audiantur colloquentes, & res, quâ de edisserimus, erit exploratissima.

At quia

At quia reliqua, quæ inſtituti ergò nullâ operâ accumulari poſſent, ut linguarum commoda longè longèque magis palam fierent, in promtu habet Declamator, declamatione ſuâ comprehenſa; rogo oroque cum omni decoro, non minùs humanisſimè, quàm cupidisſimè, quò ipſi aures concedantur. Magno id quidem ei erit incitamento ad ſtudia cùm linguarum, tum ſacratisſimarum literarum, pro occaſione & viribus continuanda. Quamdiu autem in iſtis erit ſtudiis, hoc eſt, omni totius vitæ ſuæ tempore, erit utique memor, ſe ad ea hoc publicæ audientiæ impetrato beneficio eſſe valde admodum impulſum. Idq; ſecum recogitans, ibit alacri mente per illorum nomina omnium, quorum honorificos ſibi impreſſit vultus præſentium, cùm ſuggeſtum Gymnaſticum adſcendit juvenis. Ego autem, pro re natâ, facilitatem oculorum & aurium Gedanenſium, ad literas & eloquentiæ exercitationes tàm ſæpè quàm ſæpisſimè, & tàm promtè quàm promtisſimè ſe inclinantium, ut aliquando quaſi in tabulâ ob oculos & aures aliorum cum laude publicè ponam, quoad potero, manibusque pedibusque contendam. Illud tamen etiam in præſens appono, in quo tandem finiam. *Volo equidem* & ego, cum Paulo, *loqui linguis omnes: ſed magis, ut prophetent. Malo enim mecum verba decem ex intelligentiâ proferri, ut alii inſtituantur; quàm decem millia verborum non intellectorum.* Ne dicam de charitatis dono, quod omnino excellit dono linguarum. Quemadmodum autem de hoc proximè auſcultare dabitur: ita alio tempore de illo. Interea ex divinâ clementiâ valeamus omnes, linguisque faveamus! Dab: Gedani, Anno à Chriſto nato 1650. die 9. Julii.

GEDANI NOSTRI
SENATVM AMPLISSIMVM;
IVDICIVM GRAVISSIMVM;
PRESBYTERIVM HONORATISSIMVM;
VIRORVM ERVDITORVM OMNIVM
LITERISQVE DEDITORVM ADOLESCENTIVM
CORONAM FLORENTISSIMAM;
VENIO ORATVM
SVBMISSE, OFFICIOSE,
FRATERNE, AMICE,
PERHVMANITER,
JOHANNES MOCHINGERVS,
P. P.
NE GRAVE SIT MOLESTVMQVE,
ÆQVE INGENII, MORVM ÆQVE
DOTIBVS PRÆDITO VALDE AMABILIBVS,
GABRIELI SCHVMANNO;
DE ARMORVM APPARATV,
POLITIÆ CVICVNQVE
TAM NECESSARIO, QVAM DECORO,
EX CATHEDRA GYMNASII ORATORIA
DIE FEBR: ANNI CVM NVMINE INCHOATI M DC LI.
VERBA PVBLICE FACERE JVSSO;
AVDIENTIÆ HONOREM
PRÆSTARE BENEVOLENTISSIME
P. TYPIS RHETIANIS.

LECTIONE PROGRESSVRO
accumulatissimæ felicitatis omne genus
ex animo precor.

SOcraticè ut videretur, injunctum est dicere, quem nullis modò sciens volensq; extollam laudibus, ornandum potiùs iisdem, postquam visus fuerit, pro merito ab audientis Coronæ existimatione, GABRIELI SCHVMANNO; quemadmodum Philosophus, imò Philosophorum parens, adolescenti præcepit, ut loqueretur. Sed aliud est loqui, aliud dicere: ais. Ajo item & ego. Similiterq; dicendi princeps autor & exemplar, Cicero, sive etiam Crassus, Oratorum ille Coryphæus, lib 3. de Oratore, cùm inquit disertissimè: *non conamur eum docere dicere, qui loqui nesciat; neq; speramus, qui Latinè non possit, hunc ornatè dicturum; neq; verò, qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere.* Quo super sermone se itē ex nobis hoc totidē verbis conceptis consignatum aliquando accepisse documentum, Rhetoristarum noster chorulus meminit, cùm diximus: Loqui valeat, oportet, & eloquendi non sit rudis, imò sic satis exactè peritus, quisquis ullâ linguâ dicere voluerit, beneq; dicendo admirationem atq; existimationem sibi párere & parare. Quibus quasi gradibus qui non adscenderit, non perveniet auspicatò ad dicendi fastigium: & ausus tamen videbitur rerum gnaris potiùs ridiculus, quàm admirabilis laudabilisq;. Idq; intelligendum de dicturis quocunq; idiomate, quod commonefecit Latinus Orator de Latinè dicentibus. Quia igitur & noster, ut fieri potuit, est hactenus aliquantisper exercitus in loquendo, ut ad dicendum semel impelleretur, non est abs te visum. *Sit verò, aut videatur idem (quod tamen ostendet periculum) non satis comparatus ad dicendum,* quemadmodum porrò aliquis instare posset; dabitur nobis, opinor, esse nihilominus consultum, ut tamen aliquando incipiant adolescentes, quò, cum tempore, pergant juvenesq; virіq;: dummodo (quod itidem nostris benè inculcatum lubens repeto) nihil hîc fiat ex insano nimiùm præcipitis & nondum satis oculati Rhetoristæ impetu, sed saniore circumspectè cunctantis Rhetoris calculo. Namq; non ignorāt nostri, nos de dicendi etiā exercitamentis, quæ nonnisi tempori sint adeunda, clarissimè hæc tradidisse, quæ adscripta hoc loco dare non pigebit, ut fuere proposita: Monendus hoc loco, inquimus, est Oratoriæ Candidatus, ut se suamq; publicè perorandi cupiditatem sufflaminet cohibeatq;, ne Icarus fiat Rhetoricus. Descendat quilibet potiùs in seipsum, cùm ad discrimina se accingit oratoria, attentissimè secum reputans, an gloriolæ tantùm ardore inflammatus, ut ut nudus inermisq; gladiator, ruat in arenam; an verò dicendi disciplinæ aliquâ saltem ex parte compos, imò & calcatâ priùs exercitationis umbraticæ viâ, & cùm auditis oratoribus aliqui-

aliquibus, tum præsertim Doctoribus Rhetoricis, ut tam horum præceptis, quàm illorum exemplis conformatus confirmatusq; in lucem proferat pedem? Quo quidem ita se excutiendi neglecto officio, non impudentiæ minùs, quàm imprudentiæ haud leve committetur erratum, si tamen aliquis ad dicendum prosiluerit. Idq; meritissimò evitandi studiosus multò potiùs vulgati illius meminerit: sat citò, si sat bene. Hæc, inquam, sunt nostris de optimâ notâ iterum atq; iterum commendata, iisq; gemina multò plura. Quæ tamen nisi sana sunt, abnuat in præsentiâ isthæc legens, mentemq; nobis apprecetur meliorem. Cur autem ego de istis tam verbosè, quæ sunt certè profectò extra aleam controversiæ?

Demirabitur fors sit mage quispiam, cur disciplinæ nostræ alumno exstiterim vel autor vel approbator, ut, quæ est facturus, faciat verba de armis, iisq; militiæ propriis? Enimvero optem & ego, & ignorata prorsus esse, & dicendo nunquam celebranda ejuscemodi arma; aut posse nos isto, ut liquet, nimis quàm necessario malo penitus carere. Sed ecquî, amabo, esse potest, hac tempestate, res aliqua publica sine illis, aut esse tuta? Non quidem nunc afferam in medium, quod protulit oraculo verius

Crispus, Romanâ primus in historiâ
Armis libertatem, patriam, parentesq; & alia omnia tegi.

Nec alterum illud Dionis Cassii, qui ait: *ab armis omnia pendent, quibus qui prævalet, ejus legibus omnes necessariò obtemperant.* Illud tantum modo laudabo unicum, quod Halicarnassensis attribuit Tullo, liquidissimæ profectò veritatis: *In armorum vi sita est urbium potentia.* Quæ si ita se habent, erit omnino audiendus Imperator Leo, cùm in Tacticis, ut quà cætera, ita hac quoq; in parte, multò prudentissimè docuit: *Nequaquam illud tempus, in quo acies instrui debet, tempus præparandorum armorum facias.* En autem etiam moniti adeo egregii caussam, aut caussæ loco sapiens Cassiodori effatum: *Sunt enim*, inquit ille, *arma bello necessaria, pace decora.* Quis neget? Ingrediatur solùm aliquis duo urbis nostræ armamentaria instructissima, & sentiet bene, quanta tam oculis, quàm animo oboriatur voluptas, ex conspecto ibidem tam ingenti armorum, quanquam nunc ociosorum, exercitu. Atq; utinam ea semper feriari, & nos ab eorum tractatione, contingat!

Quæ res tamen cùm adeo sit utilis, quin prorsus necessaria, quidni debito queat sermone evehi, cùm, præsente concione dicendum, ubi non tam joci caussâ, de pecoris Arcadici umbrâ, quàm pro loci dignitate eo de audiri quicquam attinet, quod audire & scire haud parùm profuerit? Deniq; autem occurro etiam isti de declamaturo cogitationi, quæ adhæc fortasse in alicujus surgere potest animo, sic secum ratiocinantis; quò igitur magis est præclarum, ut ostensum fuit, habendæ Declamationis argumentum, tantò magis metuendum, ne ei impar sit Orator. At nolim ego quenquam se adferre ad audiendum Declamatorem nostrum, tanquam

quam multorum annorum Oratorem & plurimarum palmarum esset auscultaturus de tanto proposito. Agat, quæso, nullus tam incogitanter. Sistere nos enim fatemur juvenem, non veteranum. Nec ideo cupiat quispiam, qualia velit auribus suis digna accipere; sed qualia possit & jure debeat exspectare, attentâ Declamantis ætate. Permitto tamen, ut quàm maximè libet accuratissimeq; animadvertatur, an dicturus sit noster cum aliquo prudentiæ specimine; utpote quam ego prudentiam præcipuum in Oratore statuo esse oculum, ut eo orbatus mihi videatur Cyclops sive defioculus. Nec refragor, ut tam perspicaciter, quàm diligentissimè insuper observetur actio, ac num, qui intus latet, animi modesti genium & indolem sit apertè foras datura? Quæ duo si vel leviter fuerint deprehensa, quis non favebit tam insignibus bonæ mentis decoribus?

De reliquo facile erit ex dictione Declamantis colligere, quòd, augentibus annis, ex autorum diuturniori lectione & longiore styli usu, qui optimus dicendi est magister, certò sit futura exquisitior.

Proinde ego quidem ex undiquaq; bene perspectis in *Schumanno* nostro tam ingenii, quàm morum dotibus variis, de filio confidentissimè gratulor Dn. Parenti; de cive Patriæ; de cognomine quasi filio DN. Patrueli; & demum mihi de tali auditore & domestico. Sit autem diu Parenti optimo æquè cum hac ac cum cæterâ honestâ propagine; Patriæ inclytæ non minùs cum reliquis majoris ætatis & præsidiorum, quàm cum hoc adolescente Cive; Nobilissimo Consuli Patrueli, cum suo nepote; & tandem nobis, si meremur, aut si mereri amplius etiam possumus, cum hoc & aliis sectatoribus literarũ, per Dei Optimi Maximi gratiã, bene belleq;. Fiat! Quemadmodũ & illud, ut alacri pectore & pede accurratis non minùs honorificè, quam peramanter invitati Auditores, tam honoris, quàm amoris caussâ aures daturi Declamatori. Valete.

Dab: Gedani, nostro in Musco, Anno à partu salutifero, 1651. die 9. Febr.

MEMORIA
SVPERSTES
NOBILISSIMORVM,
Dni. EGGERTI
A
KEMPEN,
PRÆCONSVLIS GEDANENSIS,
ET
Dnæ. DOROTHEÆ
SCHUMANNIÆ:
EODEM,
DVM VIVEBANT,
THALAMO;
POSTQVAM SVNT DEFVNCTI,
TVMVLO
IVNCTORVM;
CONCELEBRATA,
A
JOHANNE MOCHINGERO.

GEDANI,
ANNO M DC. LI,
TYPIS RHETIANIS.
P.

TACITVS IN VITA IVLII AGRICOLÆ:
CLARORVM VIRORVM FACTA MORESQVE POSTERIS TRADERE,
ANTIQVITVS VSITATVM.
ECCE IGITVR TIBI, QVISQVIS ES LECTOR,
MORES VITAMQVE KEMPENII,
MVLTIS NOMINIBVS CLARISSIMI.
AD SVMMAM BREVITERQVE DICAM:
VT NE MANES FORTE OFFENDANTVR.
NAMQVE IPSE NIHIL MINVS, QVAM DICI VOLVIT:
CVM NEMO HOMINVM SIT DIGNVS, SEMPER DICI.
TVM ILLE MERITA MAGIS, QVAM FAMAM SPECTAVIT.
ITAQVE HÆC MODO ENARRABO:
NEC NISI NOTITIÆ EXEMPLIQVE CAVSSA.

EGGERTVS A KEMPEN,

MAIORES NACTVS EST VARIO SPLENDORE NOBILES;
SED IPSO ÆTATE TANTVM MAIORES:
QVIBVS IPSE ALIIS MAIOR ORNAMENTIS FVIT.
AVVM HABVIT COGNOMINEM, VRBIS CONSVLEM.
PATREM IOHANNEM, SIMILITER CONSVLEM,
HIC *EGGERTVS* PRÆCONSVL QVOQVE FVIT.
ID FASTIGII NON ATTIGISSET;
NISI IN IVVENTA EGREGIE PRÆLVSISSET:
TVM ANIMI FORTVNÆQVE BONIS
SEMPER PRÆSTITISSET;
IN STVDIORVM TIROCINIIS;
IN PEREGRINATIONE;
IN OMNI VITÆ CVRRICVLO,

ELO.

ELOQVENTIÆ AMATOR FVIT, ABINEVNTE ÆTATE,
CICERONIANÆ ADMIRATOR AD EXTREMAM USQUE.
SED MAXIME, PRÆTER HUMANA, DIVINA DEGUSTAVIT,
EORVMQVE EPITOMEN, THEOLOGIAM, TRIVIT:

CVIVS

LOCOS SIVE COMMVNES, SIVE PROPRIOS,
SIBI CONNOTAVIT;
QVO ATRVM AB ALBO DISCERNERET,
HINC SEMPER STETIT
AB ORTHODOXIA LVTHERANA:
QVOD SANAM ESSSE;
ET QVIA SANAM ESSE SCIRET.
QVAS EXTERIS INORIS APPREHENDIT LINGVAS,
VSV CONSERVAVIT:
ITALICAM AVTEM INPRIMIS COLVIT.
LATINE LOQVI EVM NVNQVAM PVDVIT:
QUOD ITA LOQUERETUR, UT PUDERE EUM NON POSSET.
VERUM NEQUE POLONICÆ IGNARUS FUIT.
PRÆTER HÆC ETIAM ALIA ADDIDICIT:
QUO CIVIS PATRIÆ UTILIS ALIQUANDO ESSET.
POST TANTA AD DIGNITATES SIBI COMPARATA PRÆSIDIA,
MAGNUM QUOQUE DECUS MATRIMONIO QUÆSIVIT.

IGITVR SPECTATISSIMÆ BAHRIÆ MARITVM,
PRIMO SCABINVM,
POST BIENNIVM CONSVLEM,
POST DECENNIVM PRÆCONSVLEM FECIT,
AC, RE ITA EXIGENTE, SCHOLARVM CVRATOREM,
CIVITAS PATRIA GEDANENSIS.
ALTIVS ADSCENDERE HIC NON DATVR.
INTEREA TEMPORIS, POST LAUDATÆ OBITUM,
ALIAM SIBI CONIVGEM LEGIT,
EAMQUE ORNATISSIMAM *DOROTHEAM SCHVMANNIAM:*
QUAM NON TANTUM TENERRIME PERPETIM AMAVIT;
SED ET MORBO FATALI OPPRESSVS, IN ORE, OCULIS, ANIMOQUE HABUIT:
CUM IPSA CHARISSIMUM IN ORE, OCULIS, ANIMO AC BRACHIIS FERRET.
SI SCIRE VIS, QVALIS IN MUNERUM FUNCTIONE FUERIT;
AVDI SENATVM POPVLVMQVE GEDANENSEM:
IMO OMNES, MODO HUMANITATIS MEMORES SINT,
ECCLESIA SANE, QUÆ HIC EST SINCERIOR, NON OBLIVISCETUR,
EO ACCURRENTE ALIQUANDO, ANNUENTEQUE DEO,
(TVM ANTISTITIBVS IN ID STVDII INCVMBENTIBVS)
GLISCENTE LIBERATAM SE ESSE INCENDIO,
EGO MODVM PRÆCONIO FACIAM MEO:
NE LOQVAX ALIVD FACIAM, AC VOLVIT.
NISI QVOD ILLVD DICENDVM RESTET:

OPI-

OPIBVS ETIAM FLORVIT;
SED QVOD MAGE DICI MERETVR,
IISQVOQVE VSVS EST,
CUM AD MAGNIFICENTIAM, TUM BENEFICENTIAM.
TANDEM SERMONES INTER MVLTOS,
CVM HOMINIBVS SACRIS AMICISQVE,
ET PIOS ET TEMPESTIVOS,
SINE MAGNO MORBI MORTISQVE SENSV,
ANNO ÆTATIS LXVI
EXSPIRAVIT;
ILLE
CORONIS FAMILIÆ,
PATER PATRIÆ,
MVLTORVMQVE EVERGETA,
EGGERTVS KEMPENIVS,
HÆC SVNTO DICTA, AD VOLVNTATEM NOSTRAM,
QUANQUAM PRÆTER EJUS VOLUNTATEM:
NEQVE TAMEN IVXTA MERITA EIVSDEM,
CÆTERA GRATI HUMANIQUE CLIENTES DICENT.
ILLUD SANE CIVI GEDANENSI NON FACILE EXCIDET,
INTRA ANNVM NONDVM INTEGRVM,
DVO MAGNA PRÆCONSVLVM FVNERA
GEDANVM, EHEV! HABVISSE.

DOROTHEÆ,

FOEMINARVM GEDANENSIVM

PRIMARIÆ,

PROSAPIA SCHUMANNIANA,

KEMPENIANO CONIVGIO,

VIRTVTIBVS MAXIME QVAMPLVRIMIS

LONGE NOBILISSIMÆ,

ACERBVM VALDEMVLTIS FVNVS,

ANNO, A MORTIS DOMITORE NATO, M DC. XLIV,

DIE FEBRVARII PRIMA,

DOROTHEÆ CELEBRITATEM

DIEBVS QVINQVE ANTEGREDIENTE,

HONORIFICE, SED DOLENTER ELATVM,

COMITATA PRÆFICA:

EHEV! EHEV! EHEV! LETHO DATA EST DOROTHEA, LIBERIS ORBA, PROLES SCHVMANNIA, PRÆCONSVLARIS VXOR KEMPENIA; PVLCHRA SARA, ELOQVENS DEBORA, RELIGIOSA IVDITH, MACCABAICA IN MORBIS PERFERENDIS MARTYR, DEMISSA MARIA, ALACRIS MARTHA, BENEFICA DORCAS, INTENTA VERBO LYDIA, ELECTA DOMINA, NON NISI ANNOS XLVI. HABENS. HAC LVCE CORPVS ANIMA VIDVATVM HVMERIS MORTALIVM EFFERETVR; ANIMA CORPOREIS VINCVLIS LIBERA NVDIVS SEPTIMVS IMMORTALIVM MANIBVS

IN

IN COELVM EST ILLATA. QVO DE AVDIATVR THEODORAM EXSEQVIALI CONCIONE COHONESTATVRVS CHRYSOSTOMVS, EGO VERBORVM DESINO; LACRYMARVM POTERO NVNQVAM. EHEV! EHEV! EHEV!

APVD TVMBAM VERO

KEMPENIANI STEMMATIS,

DE PRÆCONSVLE VIRO,

NVNQVAM OBLIVISCENDO,

SITICEN:

QVid multis dicam, quis in hac sit conditus urnâ?
Ille PATER PATRIÆ, *KEMPENIVS* SITVS HIC.
Plura loqui de se vetuit, cùm viveret adhuc;
Namq; mihi pridem talia jussa dedit:
Si me vis, Siticen, quondam laudare canendo,
Dic: hîc qui situs est, scivit inante mori.
Hoc igitur Te scire velim: *KEMPENIVS* antè
Quàm fatum explevit, ritè mori didicit.
Discе itidem, quicunq; sapis, moriturus ut ante
Fata mori teneas. Id didicisse juvat.

DE PRÆCONSVLARI FOEMINA,

NEC VNQVAM OBLIVISCENDA,

In Cœlis socianda suo *THEODORA* marito,
Ceu quondam in thalamum, se dedit in tumulum.

Ita Hic; sic Illa,
doloris caussâ,
planxére, cecinére.

ELOGIUM
BEATI
JOHANNIS
FREUDENBERGII,
VRATISLAVIENSIS;
DE AMICO
MEMORIÆ DVRANTIS
DECLARANDÆ CAVSSA;

SCRIPTVM EDITVMQVE

A

JOHANNE MOCHINGERO.

ANNO M DC LI.

TYPIS RHETIANIS.

DEBETE QVICQVAM NVLLI,
NISI VOS VT AMETIS INVICEM:
MAGNI PAVLI VOX EST.
QUÆ CUM CREBRO MEIS IN AURIBUS SONET TONETQ;
DEBITOR ESSE VLLIVS NOLO;
VOLO ESSE AMATOR OMNIVM.
ET QVIA ETIAMNVM SVM AMATOR
BEATI JOHANNIS FREVDENBERGII;
NE SIM AMPLIVS DEBITOR, FAXO.
DEBITVM IPSI ELOGIVM
ANIMO JAMDVDVM DESIGNAVI,
OLIM ETIAM AFFECI;
SED ANNOS ALIQVOT SIVI EFFLVERE,
VT DEMVM CONFICEREM.
NON TAM NIMIS SERVM IRI VISVM
SPERANS;
QVAM NIMIS QVAM SERIVM:
NON ENIM VIOLENTI IMPETU EXCUSSUM AFFECTUS;
SED EXPRESSUM LENTÆ CONSILIO RATIONIS.
TEMPVS ANNORVM XVI. EST ELAPSVM,
CVM CLAVDEREMVS AMICI OCVLOS,
ANNO M DC XXXV. DIE XXV. OCTOBRIS.
GEDANI QUÆ TEGUNTUR OSSA; FICTA SUNT BRESLÆ:
QUÆ URBS SILESIACARUM EST METROPOLIS;
ET ERUDITORUM BONORUMQUE MULTORUM MATER:
HOC NOMINE ITEM FELIX ET TER FELIX,
QUIA, INTRA TRIGINTA ANNORUM BELLA GERMANICA,
MANSIT TAMEN HUCUSQUE LIBERA CIVITAS:
NOMINE LIBERIS QUIBUSDAM VICEM EXPERIRI COACTIS.

NON

NON NOBILI PATRICIO CRETUS NOSTER SANGUINE;
SED NEC TACENDO PATRIS MATRISQVE HONESTO.
ILLE FVIT
CASPAR FREUDENBERGIUS:
HÆC EST
MARIA EICHLERIA.
ILLUM AD SE VENIENS IN COELO EXHILARAVIT FILIUS;
HANC A SE ABIENS RELIQVIT IN TERRA MOESTAM.
CVI MATRI OPTIMÆ
NVNQVAM TRISTITIÆ CAVSSA FVIT,
NISI MORIENS, INVITO.
BRESLÆ NATUM, ERAT NATUM ESSE ATHENIS:
NAM ET IBI ATHENÆ.
FORMATVS IN LITERATVRA A TENERIS BENE,
OPTIME CVM ÆTATE PROCESSIT.
IN ACADEMIA QVIDEM PRIMO WITEBERGENSI:
VBI NACTVS FVIT CONTVBERNALEM,
JOHANNEM KURZMANNUM,
TVM THEOLOGIÆ MYSTERIIS INITIATVM,
JAM MYSTAGOGVM;
SIBIQVE COGNATVM:
QVEM ITEM COGNATORUM VINCULIS ADSTRICTIOREM:
ILLE MIHI ITEM FECIT:
HONESTE, SANCTE, INTIME MEI AMANTEM
UT NIHIL SUPRA,
PER IPSA LUSTRA JAM QVATUOR.
ITAQVE CONSTANTISSIME REDAMATUR IDEM:

QVO IN CONTVBERNALE SE COMPERISSE AJEBAT
TAVBMANNIANI EFFATI VERITATEM.

CONTUBERNALIS, CONTUBERNALIS, CONTUBERNALIS,
(CELEBERRIMI NOMINIS TAUBMANNUS FRIDERICUS AIT)
PRIMVS, SECVNDVS, TERTIVS,
OMNIS VEL FELICITATIS, VEL INFELICITATIS FONS
VENIENTI AD ACADEMIAM NOVITIO,
SI ILLE BONVS; VEL MALVS ILLE.
OPTIMVM NACTVS CONTVBERNALEM
NOSTER ILLE FREVDENBERGIVS,
ADSVEVIT LITERIS, *VIRTVTIBVS ADSVEVIT;*
TAM HARUM, QVAM *ILLARUM VIDENS* EXEMPLAR.
SIC IRROBORATVS BENE
POTVIT TVTO ADIRE JENAM:
CVJVS DENVO FELIX INCOLA,
ADEPTUS ITEM CONTUBERNALEM EXOPTATISSIMUM,
CIVEM SIBI COGNITISSIMVM,
PVRÆ CONSECRANEVM MENTIS,
ET INTEGRI TENACEM,
JOHANNEM THILIUM,
JURI, SED SINE INJURIARUM STUDIO, DEDITUM,
QVICUM EX EO TEMPORE AMICITIAM SERVAVIT.
ET HIC,
PRÆEVNDO SACRA VERBA,
PRÆSTANDO SACRA OPERA,
GEDANI MORIENTI SVPREMVM FECIT OFFICIVM.

FREV.

FREVDENBERGIVS AVTEM EX JENENSI ACADEMIA,
IN PATRIAM SE CONVERTIT:

QUÆRENS NON TAM VITÆ, QUAM STUDIORUM MEDIA.

CONFISVSQVE,

EX NOBILIVM INFORMATIONE JVVENVM,
SE IMPETRATVRVM;

VT ILLISCVM LOCVPLETIORIBVS
ORAS EXTERAS ADIRE LICERET.

QVOD ET FACTVM,

PRÆFVIT ET PROFVIT, ALIQVO TEMPORE,
NOBILITATIS PRIMARIÆ ADOLESCENTVLIS,

SCHLIEBITZIO, SCHWEINICHIO, POLSNITZIO.

CVMQVE HIS POSTEA ALTORFIVM MISSVS;

NORIBERGA PRIVS SALVTATA,

IN QVA ANTIQVA VRBE INCLYTAQVE
PRIMORES REIPVBLICÆ SIBI CONCILIAVIT;

IN ACADEMIA NOVA ILLA, SED VETERIBUS COMPARANDA,
LITERARUM PRINCIPES VIROS,

DINNERUM, JURISCONSULTUM GRAVEM,

NÖSLERUM, MEDICUM ELOQUENTEM ET SANANTEM,

SCHWENTERUM, MATHEMATICUM ET POLYGLOSSUM,

INDE CVM SVIS SE CONTVLIT ARGENTINAM;
ARGENTEAM VERE ACADEMIAM:

NON ARGENTI IBIDEM EXPENDENDI CAVSSA;
SED ARGENTI LITERARII COMPARANDI ERGO.

VBI FREVDENBERGIVS IN NOS;
NOS IN FREVDENBERGIVM,
PROPITIO NVMINE, INCIDIMVS.

EXCEPTOS VNA DOMO, ALTOS VNA MENSA,
MVLTVS MVTVS SERMO,

DOMO, MENSA VALIDIVS, SVAVIVS CONJVNXIT.

DOMESTICI, COMMENSALES ERAMVS:
FREVDENBERGIVS CVM SVIS,
TRIBVS NOBILISSIMIS ILLIS,
JAM SVPRA DICTIS:
NEC TACENDI RELIQVI:

R. DERSCHOVIUS, NUNC PRUTENICÆ PARS AULÆ;

J. KUNHEIMIUS, INCULPATUS NOBILIS PRUTENICUS;

(CVI MILITIÆ IN BELGIO PERICVLA ADEVNTI
CAPVT EXSERTVM EX FOSSA,
GLANDE EST ADEMTVM.)

D. DENIKE, DUCIS MODO CONSILIARIUS LUNÆBURGENSIS,

J. WALTHERUS, CULTOR SEVERUS LITERARUM;

ADERAMVS QVOQ; ET NOS GEMINI,
N. DILGERVS ET EGO.

CUM

CVM SVIS FREVDENBERGIVS ITA ME AMARE,
UT ME VELLENT COMITEM, SINE SUMTIBUS, IN ITALIAM;
SI EGO VOLVISSEM, AVT POTVISSEM;
AUT SORS SILESIÆ EXHAURIRI COEPTÆ PERMISISSET.
ME AVTEM ARGENTINA DISCEDENTEM
LITERIS EFFICACISSIMIS SVNT COMITATI,
MAXIME AD SVOS.
ET FREUDENBERGIUS ME TRADIDIT KURTZMANNO,
QUI ME BRESLÆ HOSPITEM SIC COMPLEXUS BRACHIIS;
UT ANIMO DIMITTERE POTUERIT NUNQUAM.
EX LITERIS,
PER HELVETIAM, ITALIAM, GALLIAS,
ITER FACIENTIVM,
ITERVM ITERVMQVE ACCEPI;
VBIQVE ILLIS BENE CONSTANTER FVISSE:
NISI QUOD FLORENTIÆ DEFLORUISSET SCHLIEBITZIUS,
FLOS PROSAPIÆ,
FRVCTVS LATVRVS INGENTES:
VEREQVE FORTIS EQVES FVTVRVS.
HINC TRISTIS EX ITALIA REDUX FREUDENBERGIUS,
COMITE SVPERSTITE SCHWEINICHIO,
MVLTIS NOMINIBVS NOBILI CORCVLO,
IN PATRIAM APPULSUS, HANC AMARAM SIBI ESSE PUTAVIT,
NON OB BELLICAS SOLVM CALAMITATES,
SED, VT DICEBAT, PROPTER ABSENTIAM MEAM.

ERGO

IPSORVM AMICORVMQVE COGNATORVMQVE,

IPSIVSQVE MATRIS, KVRTZMANNIQVE,

SE SVBDVCENS AMPLEXIBVS,

RVIT IN MEOS.

ADDVCTIS SECVM, BARONE SCHAFGOTSCHIO,

ET GENTE AC SORTE NIHIL INFERIORE, GELHORNIO;

HVJVS ENIM PATER,

BONIS ANIMI ET FORTVNÆ PRINCEPS,

CÆSARI, MULTIS NUTANTIBUS, FIRMO PEDE ADHÆSIT:

QVIPPE SYMBOLVM VOLEBAT EXPLERE SVVM:

CON REALTA FINIRA LA VITA MIA.

ET SIC FINIIT RELIGIONE ET VIRTUTE CONSTANS.

IN CONVICTV NOSTRO

MERÆ SERMONIS LAVTITIÆ APPONEBANTVR;

DE AMICIS, DE LITERIS:

ILLIS PIIS, HIS SACRIS.

NAM VT ALIA VIATOR TRACTAVERAT,

AD VERAM CONTENDENS PATRIAM

SACRIS FERE INVIGILABAT.

CONCIONIBVS AVDIENDIS;

LIBRIS LECTITANDIS.

VIRO

VIRO DOCTO SIC ALICVBI SCRIBENTI:

TOTUM VITÆ MEÆ TEMPUS SCRIPTURÆ SUM IMPENSURUS SACRÆ

IDEM QVOD J. F.

SUBSCRIPSERAT,

SED MUSICÆ AMATOR EXERCITATORQUE SEMPER FERVIDUS,

VERVM SACRÆ, NON PROPHANÆ MVSICÆ;

NON QVÆ AVRES TITILLET HOMINVM;

SED QVÆ DEI MVLCEAT.

EAPROPTER IN ITALIA EXCELLENTISSIMOS MUSICOS SIBI ADNEXUIT

AC PRÆPRIMIS HIERONYMVM FRESCOBALDI,

ANNIS SVPERIORIBVS ORGANÆDVM PRINCIPEM;

QVI VT PRINCIPIBVS NON SEMPER ESSET AD NVTVM

FREVDENBERGIO ERAT:

QUIPPE AB ILLIS NOVERAT MUSICOS ADVOCARI VOLUPTATIS CAUSA

HUNC ARTIFICIBUS ADHÆRERE, ARTIS GRATIA.

QVI EX IPSA ITALIA MISIT ALIQVOT VARIATIONES

ODARUM NOSTRARUM ECCLESIASTICARUM;

PRÆSERTIM ORATIONEM DOMINICAM CONTINENTIS CANTILENÆ.

HIC QUOQ; LOCI CUM HARMONICORUM OPTIMIS EI CONSUETUDO:

QVI FREUDENBERGII ÆSTIMABANT APPLAUSUM,

JVDICIVM REVEREBANTVR.

EWALDVM HINTZIVM MAXIMI FACIEBAT,

TANQVAM ITALIS CEDENTEM NIHIL.

IPSE AVTEM, AVDITA SYMPHONIA HALLVCINANTE

OPTABAT, SE MODOS NON TENERE:

NE TANTAS SENTIRET AVRIVM PLAGAS;

QVARVM EXSPECTARET DELICIAS.

CVM

CVM AVTEM, REDVCTO GELHORNIO,
PATRIAM REPETIISSET,
IBIQVE PRENSARETVR AB AMICIS,
INSINVANDVS DYNASTIS;
TAMEN ILLIS VALE DIXIT, MIHI REVERSVS SALVE:
IN NOSTRO CONTUBERNIO VOLEBAT VIVERE, MORI,
HOC ACCIDIT, PRÆTER OPINIONEM, CELERIUS.
CITO MORBO CORREPTO, CITA MORTE ERÉPTO.
CVJVS OSSA
IN CATHARINIANA SUNT HONORIFICE DEPOSITA:
EXSEQVIAS CELEBRANTE, ÆDIS TVM SENIORE.
REVER. MICHAELE BLANKIO:
QVI *SIMILITER FREVDENBERGIVM,*
OB SANCTAM INTEGRITATEM, IN OCULIS FERRE COEPERAT.
SED ILLE SUAM DE NOSTRO IN CONCIONE PROTULIT MENTEM:
EGO TRIBVS AD HÆC MODO MEAM.
FREVDENBERGIVS TAM MIHI CHARVS,
VT QVONDAM, ITA NVNC,
ET MERITISSIMO;
SICVT QVISQVAM.
QUI, QUANQUAM ALIIS QUOQUE FLEBILIS OCCIDIT;
MIHI TAMEN FLEBILIOR:
QVOD CVM POËTA NON POËTICE CANENS, DESINO.
DESINO: MINIME SANE EVM COMMEMORARE;
SED ENCOMIUM EJUS PRÆSENS EXTENDERE DESINO.
LEGE NUNC QUOQUE, SIS, EPITAPHIUM MONUMENTUM,
FREVDENBERGIO AB ÆMULIS POSITUM.
BEATVM ET SE REDAMANTIBVS ÆMVLIS.

EPI-

EPITAPHIUM,

HONORI ATQVE MEMORIÆ
BEATI,
IN ÆDE CATHARINÆ
ERECTVM.

JOHANNES FREUDENBERGIUS,

ANNO CHRISTI M. D. XC.
BRESLÆ IN SILESIA HONESTE NATVS;
IBIDEMQUE,
QVA PRIMA LITERARVM RVDIMENTA,
FIDELITER FORMATVS.

POST, VBERIORIS ERVDITIONIS CAVSSA,
IN ACADEMIIS NOBILISSIMIS,

WITEBERGENSI, JENENSI,
ALTORFINA, ARGENTORATENSI,
PARISIENSI, SENENSI

LAVDABILITER COMMORATVS.
GERMANIÆ, GALLIÆ, ITALIÆ,
CVLTISSIMAS PARTES
PRVDENTER CONTEMPLATVS.

OMNIBVS HONESTIS, LITERATIS ET MVSICIS
VBIQVE VALDE CHARVS HABITVS:
VT NEMINI INNOTVERIT,
QVIN ET STATIM ET CONSTANTER AMARETVR;
IPSE HONESTATE, LITERIS AC MVSICES SCIENTIA
LONGE ORNATISSIMVS.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXV. DIE XXV. OCTOB.
ÆTATIS SUÆ XLVI.
GEDANI PIE ET PLACIDE DENATUS:
HICQUE IN SPEM RESURRECTIONIS CONDITUS EST.

QUOD

QVOD TE NESCIRE NOLVERVNT,

IN HONOREM.

FILII, PROPINQVI ET AMICI SVI:

CVI VITAM CONSERVARE NON POTVERVNT;

VT MEMORIAM EJVS CONSERVARENT,

SE VIVIS MORTVISQVE,

MARIA EICHLERIA, MATER,

NON SINE MOERORE SVPERSTES;

JOHANNES KVRZMANNVS, ECCLESIASTES BRESLÆ,

DEFVNCTI CONSANGVINEVS;

JOHANNES MOCHINGERUS, ECCLESIASTES HUJUS ÆDIS;

UTERQUE, INTER MULTOS ALIOS, BEATI AMANTISSIMUS.

OMNES

EVM ALIQVANDO VIDEBIMVS:

ET

CVM BEATO FREVDENBERGIO,

BEATI NOBIS GRATVLABIMVR.

P. ANNO M DC XXXVI.

MONUMENTUM,

THEOLOGO GEDANENSI,
PASTORI CATHARINÆO,

MEMORARI DIGNISSIMO.

MICHAELI BLANCKIO,

DEBITVM,

A

JOHANNE MOCHINGERO;

CATHEDRÆ SUCCESSORE,

VTINAM ET SANCTITATIS!

ANNO M. DC. LI

TYPIS RHETIANIS.

BEATI

MICHAELIS BLANCKII,

EST HÆC STATVA MEMORIALIS;
AVT STATVÆ EPIGRAPHE.

DIGNUS SANE VIR AMICUS ET HAC ET ILLA:
ILLA PULCHERRIMA; HAC DISERTISSIMA,

UTRAQUE BENE DIU DURATURA.

QUI

ANNOS L. ET I. NATVS,
ANTE ANNOS XIII. VIVERE DESIIT:

POSTQUAM,

PER ANNOS VIGINTI ET UNUM,
DE CATHARINÆ ÆDE EGREGIE EST MERITUS:

AUT RECTIUS DIXERO,

DE ÆDE CHRISTI JESU VIVA,
TAM DOCENDO ASSIDUE,
QUAM ASSIDUISSIME ORANDO.

SIC AUTEM NONNISI SERO DEMUM
DE EJUS COGITATUM MONUMENTO?

SCILICET VT ILIENSES SOLATI TIBERIVM,
FILII PRIDEM DEFUNCTI GRATIA, DRUSI,

RISUM LUGENDO TANTUM CIEBANT:

HOC, JOCI VICISSIM CAUSSA, COLLUGENTE,
PROPTER HECTOREM, ANTE ALIQUOT SECULA OCCUMBENTEM.

ENIM-

ENIMVERO
MICHAEL EST BLANCKIUS
IAMDVDVM ORNATVS ICONE;
IAMPRIDEM CELEBRATVS INSCRIPTIONE:
AUT ICUNCULA POTIUS, VEL INSCRIPTIUNCULA.
DOLOR EX RECENTI IACTURA NON PERMISIT PLURA.
SED DESTITISSEM TURPITER,
(QVOD NOLLEM, QVOD QVE NEFAS,)
SI AMARE AMICVM DESTITISSEM;
SI LAVDARE VIRVM DESTITISSEM.
A ME
ILLVD IPSI DEBETVR; HOC PVBLICO.
QUEM ETIAMNUM, UT OLIM,
TANQVAM MEI AMATOREM, AMO:
IN QUO
CHARITATIS A D. PAVLO DESCRIPTÆ,
TAM MVLTA, VNO;
QVAM VIX IN MVLTIS REPERI.
LAUDO, VELUT PUBLICI PROMOTOREM.
CHRISTUM ILLE MULTO MAGIS, QUAM SUA SPECTABAT.
LOQVEBANTUR HOC PUBLICI EJUS SERMONES;
ET, QVOD FIRMIUS, VERBA PRIVATA.
VERITATIS SANCTÆQVE ERVDITÆQVE
INDAGATOR SEDVLVS.
HINC TANTVS OMNIS GENERIS
LIBRORVM LECTOR.
QVOS SIBI LIBROS COMPARAVERAT;
MAXIMA COPIA
SED

SED DELECTV LONGE MAJORE.

ET IDEO LECTOS POTIUS LEGIT LIBROS;
QVAM QVOS POSSIDEBAT VARIOS LEGENDOS.
CUM ALIQVID DIVINI IBIDEM OBVIVM, EXSILIEBAT;

SICVT PRÆSVL EMBRYO,
OCCVRRENTE CHRISTO EMBRYONE.

CVM ITERVM ALIQVID NIMIS HVMANI;
IRRITABATVR, QVI RARO IRRITABATVR.
NEC DICIS CAVSSA EXCVSSIT LIBROS;
SED FACIENDI ERGO.
LOQVAR EX EJVS MORE VALDE SINGVLARI:
NON VT CEREBRVM IMPLERET; SED COR.
VNDE CORDIALIA IPSI TOTIES ANNOTATA:
CORDIS SIGNO VBILIBET APPICTO;
QVOD IN EJVS PAGINIS HERBA MARGINALIS,
SICVT TRAJANI NOMEN PARIETARIA.

IN ILLIS INQVAM LIBRIS,

QVOS HABET, ET GAZÆ HABET LOCO,
TAM LIBRORVM, QVAM SPIRITVS POSSESSOR,
CONCIONATOR ASSIDVVS, ASSIDVISSIMVS ORA-
HOC EST, ECCLESIASTA VERE FIDELIS, (TOR,

SALOMO BLANCKIUS,

GEDANI NATVS, EXCEPTVS THORVNIO;
QVI SIC PATRISSAT, QVAM QVI MAXIME,

EX QVIBVS PARENTIS LIBRIS;
SI FILIVS SOLVM EDERET
PVLCHRA ADSCRIPTA, PVLCHRE ADSCRIPTA;
(CEV SVIS EX ADVERSARIIS PLVRIMI
TVRRIM EXÆDIFICAVERE BABYLONICAM,)

FACILI NEGOTIO PRODERET BIBLIOTHECAM,
BIBLIOTHECA TAMEN SIBI SERVATA:
NISI FORS MALIT ET IN HOC REFERRE PATREM,
UT LEGAT POTIUS ALIORUM NOTÆ MELIORIS LIBROS,
QVAM SUOS SEQVIORIS AD LEGENDUM EXHIBEAT.
BEATVM DICERE MEMINI PATREM:
(CVJVS MIHI PATEBANT CORDIS ORISQVE SINVS):
SI QVICQVAM ESSET FORAS DATVRVS,
EX PERPESSITII VELLET JOBI HISTORIA,
AFFECTUUM, QVERELARUM, PATIENTIÆ VIAS ADMIRABILES
A SE ANIMADVERSAS, PVBLICE OSTENDERE.
QVOD VT FACERET, HORTABAR:
SED ILLE IN PROPOSITO NON PRODEUNDI CONSTANS.
EX QVO FACTVM,
DE CONVERSIONE JVDÆORVM SPERANDA
VT VNICE TITVLOS RELIQVERIT;
ALIORVMQVE SIMILITER THEMATVM
NONNISI OECONOMIAM.
VIR ERAT CERTE
ET PIVS, ET PATIENS ET MODESTVS.
QVAM IN PULPITO SANCTITATEM INCULCABAT VERBIS;
EAM DOMI OPERE OSTENDEBAT.
PATIENS IPSIS IN MORBIS PERFERENDIS.
PLVRIES ÆGROTAVIT GRAVISSIME:
NISI TOTA VIRI VITA ÆGRITVDO.
QVANTO CORPVS IPSI DEBILIVS;
TANTO ANIMVS IPSI VALIDIOR.

ALIORUM VEL DEFENSOR, VEL EXCUSATOR:
MONITOR AMICORUM IN FACIEM TEMPESTIVUS;
NON OBTRECTATOR POST TERGUM INTEMPESTIVUS.
SE DESPICIENS; ALIOS SVSPICIENS.
SE PARVM ESSE DOCTVM JVDICABAT;
MAGNOPERE ERVDITOS ALIOS.
AC HORVM ALIQVEM VIVERE MALEBAT;
QVAM SE.
IGITUR LECTA DE SCHICKARDO PARENTATIONE:
O BONE DEUS, (AIT) TANTUM VIRUM MORI VOLUISTI.
ME SVPERESSE QVANTILLVM!
SCHICKARDUM ENIM EX SCRIPTIS COEPERAT ÆSTIMARE.
QVO DE SÆPICVLE DICEBAT:
HOC IN HOMINE INVIDIÆ NIHIL;
QVÆ CONDITA HABET, LIBERALITER PROMIT.
NAM TENERE MULTUM, PARUM TRADERE, DAMNABAT.
PACIS CVLTOR NOSTER MAXIMVS,
ÆQVE IN SACRIS, ÆQVE IN PROFANIS:
QVANTUM PENES SE ERAT;
QVANTUM SALVA LICUIT VERITATE;
QVANTUM INTEGRA POTUIT JUSTITIA.
PACEM VOTIS, VERBIS, OPERA SECTABATVR.
AMPLECTEBATVR OBLATAM;
FVGIENTEM PERSEQVI ERAT STVDIOSVS.
DIXI ALIA DE EODEM
DISCENTE, DOCENTE, VIVENTE, MORIENTE.
ADDO

ADDO TANTVM:
VIVIT ETIAMNVM DEO:
QVOD VIDEBIMVS.
VIVIT IN ORE AMICORVM.
VIVIT IN LIBERIS SUPERSTITIBUS TRIBUS.
VIVIT IN ANIMI MEI PENETRALIBVS:
QVOD VIDEMVS.
ET
AVDIENTE HOC SECVLO,
ET
SECVLIS CVNCTIS AVDIENTIBVS,
SI QVÆ SEQVENTVR;
UTINAM IN PROSPERA OMNIUM MEMORIA VIVAT!
MORIATVR NVNQVAM EJVS RECORDATIO!
CVJVS ANIMA NON EST MORTVA;
CVJVS CORPVS MORTVVM REVIVISCET.
VIVIT. VIVET. VIVAT!



BEATÆ

ELISABETHÆ

DALMERIO-ROSSOVIANAE

MONUMENTUM CHARTACEVM:

CUI

ÆRE DEBEBATUR PERENNIUS.

GEDANI, ANNO M. DC. LI.

SILENTIO IGITUR FACTO:
postquam
lecti flebiles elegi,
qui honoris caussâ fuere scripti;
auditaque cumprimis Homilia exsequialis,
quæ officii ergò est dicta:
prodire testis volui, debui.
Sed non vocatus: ais?
Nempe vocare testem talem nefas;
sponte adesse par est.
Accusatus testem citat jure.
More, non jure; hic rogatur testis,
qui testis, an præco?
Poëta, Orator, Panegyristes.
Ex suo instinctu veniat;
veniat veritatis impulsu.
Adulationis studium prodit Vulpem;
lucri odoratus Aquilam.
Sed quî audiar, audiri cupidus?
Inter Seraphimos assâ voce clamantes:
SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS,
DEUS, DOMINUS ZEBAOTH.
Augente sonorem,
Centenâ Trisagii repetitione:
quæ hominum pertæsa commercium,
Angelorum se miscuit contubernio.
Ea est
ELISABETHA DALMERIA:
frugi sanè Materfamilias;
sed solùm sine prolis fruge.
Patrem habuit,
JOHANNEM DALMERUM,
fortunæ bonis copiosè affluentem,
sed ea exundare quoque sinentem haud parcè;
Matrem,
CATHARINAM HÜTFELDIAM,
post mariti ex vitâ excessum,
non animum ejus minùs, quàm opes possidentem;
Viduis opem ferendo,
viduitate suâ commendatâ.

Quorum

Quorum Filius, ut illius Frater,
HENRICUS DALMERUS,
egregius domi flos futurus,
nisi eum mors foris decerpsisset.
Lugduni denatus, natus Gedani.
ELISABETHA nostra DALMERIA,
juncta primùm
Nobilissimæ Familiæ Propagini,
CAROLO von der LINDEN:
sociataque secundò
nulli secundo,
JOHANNI ROSSOVIO.
Ille Eam reliquit Viduam;
Hunc Illa reliquit Viduum:
nec Hunc, nec Illum verò fecit Patrem;
non volente Patre Cœlesti.
Quasi Mater tamen Illa,
LINDIO-ROSSOVIANA,
aliquot centum liberorum,
simul ex peccati, simul ex Baptismi abysso,
Christiano ritu susceptorum.
Quam sublevandi sanctam operam
non tantùm nemini negavit invita,
sed & cuicunque valde alacris addixit.
Tam multorum (credo) præstat esse Spiritualem;
quàm pauciorum natorum Naturalem Matrem.
Charissima fuit Utrique jam dicto Conjugi:
ut plurimis nominibus;
ita ob solicitudinem,
& obsequii Uxorem decentis,
& virtutum Matronam decorantium.
Pietatem maximè omnium coluit:
& in Divinâ Æde & in suâ orans assiduè;
ibi Conciones audiens attentissimè,
hîc contentissimè repetens;
quin scribens diligentissimè.
Eleemosynarum Largitrix promtissima:
sed vocales illas aversata.

Pro-

Proindè
Tam de istis, quàm de aliis veræ Dorcadis operibus piis,
evulgare pluria pergerem:
nisi umbra Ejus abnueret;
videreréque mihi videre adstantem Maritum,
instar Harpocratis, digito imperantem,
serpentinâ & crucis literâ ingeminatâ,
ST! ST!
Taceo itaque, nec mussо vel tantillum:
Domino permittens celebrare omnia,
in summâ olim Panegyri;
cùm benefecisse attoniti audient,
qui ignorant se fecisse quicquam.
Inter mortales vixit,
adeo frugi Materfamilias,
Matrona adeo pia,
semiseculum; digna vivere seculum.
Sed vivit etiamnum, vivetque,
in seculorum secula.
Non possum non *Te tamen prædicare Beatam*,
& multò quidem magis post obitum;
ELISABETHA DALMERIA:
Quæ,
Persicâ Gazâ præstantioris Gazæ instar,
in Cœleste recepta es Gazophylacium.
Nec audeo non Te tamen prædicare Beatum,
etiam verò ante obitum,
JOHANNES ROSSOVI:
Qui,
quem nuper habuisti in terris,
reconditum jam habes in Cœlis Thesaurum;
reperiendum, cùm eò pervenire dabitur.
Ubi non illa centies,
sed infinities,
TER SANCTUS;
Ipsa terque quaterque Beata.
Cui,
Æreo Marmoreoque dignissimæ,
hoc Papyraceum
posui debens, volensque,

JOH: MOCHINGERUS.

LAPIS LITERATUS,

QUI,

CL. M. HENRICI CLOSII,

IN VRBE VRATISLAVIENSI,

RECTORIS MAGDALENÆI,

ANNO M.DC.LI. DIE MARTII VI.

BEATE DEFUNCTI,

NOMEN ET NOMINIS MERITA,

EXHIBET,

MEMORIÆ GRATIA, POSITUS,

A

JOH: MOCHINGERO.

EX TYPOGRAPHEO RHETIANO.
GEDANI.

LAPIS LITERATUS,

QUI,

CL. M. HENRICI

CLOSII,

IN VRBE VRATISLAVIENSI,

RECTORIS MAGDALENÆI,

ANNO MDCLI PIÆ MARTII VI.

BEATE DEFUNCTI,

NOMEN ET NOMINIS MERITA,

EMINIBET,

MEMORIÆ GRATIA POSITUS,

A

IOH. MOCHINGERO.

EX TYPOGRAPHIÆ KNESTINNO.

GOTANI.



LAPIDI LITERATO
INSCRIBI DIGNUM NOMEN
M. HENRICI CLOSII.
QUI FUIT,
PVER LITERARVM CVPIDISSIMVS,
IVVENIS LITERARVM STVDIOSISSIMVS,
VIR LITERARVM SCIENTISSIMVS.
PUERUM LITERIS CONSECRARUNT PARENTES,
JUVENEM LITERIS IMBUERUNT PRÆCEPTORES,
VIRUM LITERIS PRÆFECERUNT PROMOTORES;
ARCANO IMPVLSV; MANIFESTO SVCCESSV,
OMNES, OMNES, OMNES.
VIX EGRESSUS ESCHOLIS MINORIBUS,
MAIORES SCHOLAS VIX INGRESSUS,
NON SIBI, SED SE RECTIVS SENTIENTIBVS,
AD AMUSSIM,
SVPERIOR ISTIS, HIS PAR VIDEBATVR.
EX LIPSIANA AD WITEBERGENSEM SE CONFERENS,
ET SVORVM PATRONORVM INSTINCTV,
ET SVI MERITO INGENII,
LITERARVM MAGISTRI NOMEN
MORE SOLITO AMBIIT, FACILE EXAMBIIT

SED PAVLO POST
GRAVIVS MAGISTRI LITERARII OFFICIVM
INDEPTVS:
QVO ORNATVS TITVLO SOLIDO
DIU FLORUIT ET FRUCTUM TULIT AMPLUM,
MAGISTER LITERARVM,
NON HONORARIUS SOLUM, SED ET OFFICIOSUS.
SVIDNICII PRIMO, PER TRIENNIVM,
REICHENBACHII, PER VNDECENNIVM,
SVIDNICII ITERATO, PER SEXENNIVM,
VRATISLAVIÆ, IN ELISABETHANO, PER SEXENNIUM.
VRATISLAVIÆ ITEM, IN MAGDALENÆO, PER QUATVORDECENNIVM.
ADEOQUE IN UNIVERSUM LUDIMAGISTER QUADRAGENARIUS.
IS CERTE TOT ANNORVM, TOT MERITORUM MAGISTER,
DIGITO MONSTRARI MERETUR, ET DICIER HIC EST.
IN VNIVS MAGDALENÆI ALBVM,
DISCIPVLORVM RETVLIT NOMINA
BIS MILLE, SINE QVADRAGINTA:
QVO EX EXERCITV,
QUOT MILITES, MILITUMQUE PRÆFECTI PRODIERE,
ILLI ET HI LITERATI,
DVCI SIMILES, ALIQVIQVE SVPERIORES?

VT

VT LITERAS DIDICERAT; ITA DOCEBAT FIDELITER:
GERMANICAS, GRÆCAS, LATINAS,
SOLVTAS, VINCTAS, VARIAS.
VARIETATIS LITERARIÆ COGNITOR SINGULARIS,
QVOD OSTENDIT VARIATIONE ORACVLI:
DELECTARE DOMINO;
DELECTABILI IPSA ET LECTV VTILI,
QVÆ IN PVBLICVM EST EDITA.
EDI SANE ITEM DIGNA
RELIQUA VIRI EXERCITIA SCHOLASTICA:
QVORVM VNVM, SPECIMEN SINGVLARE,
VT SCRIPTOTENVS VISVM, ITA PROBATVM.
PHIDIÆ ENIM SIGNVM.
NOMINIS LAPIDI LITERATO INSCRIPTI CLARITATE
GAVDES VTIQVE MERITISSIMO,
LITERATE CLOSI.
GAVDESQVE MVLTO POTIVS COELI FELICITATE:
CVI COELO INSERTA RECENS EST ANIMA;
SICVT OLIM NOMEN COELO INSCRIPTVM:
DVM OSSA SVNT TECTA LAPIDE SEPVLCHRALI,
COELO EXCIPIENDA, SVO TEMPORE.

NAM

NAM TVI ATTIGISTI SVMMAM VOTI,
TOTIES EXPETITI, REPETITI TOTIES:

Hæc voti ſit ſumma mei: da credere rectè,
Vivere da ſanctè, da bene, Chriſte, mori!

APPLAVDIT NOMINIS TVI CLARITATI,
FELICITATI ANIMÆ TVÆ APPLAVDIT,
CREDERE, VIVERE, MORI,
RECTE, SANCTE, BENE,
GEDANI DISCENS, DOCENS,
QUÆ TU EXEMPLO QUOQUE NUPER DOCUISTI TUO:
SICVT ET SVO EVM CONIVX CHARISSIMA.

IN CVIVS SVÆ DESIDERIVM,
VT ET SVVM MONIMENTVM,
TV, PROXIME ANTE OCCASVM TVVM,
JAM BEATE CLOSI,
HANC CYGNEAM ODAM COMPOSVISTI;
QUAM RECORDATIONIS CAUSA HIC APPOSVIT,
QUI LAPIDEM HUNC LITERATUM POSUIT.

AD

AD

JOHANNEM MOCHINGERVM,

VIDVATVM SOCIETATE COMPARIS SVAVISSIMÆ, ANGELICÆ NIERIÆ.

NUlla Magiſterio pars eſt incommoda vitæ.
In Mochingero res manifeſta patet.
Ille diu docuit, multâ cum laude, docendos:
Nunc autem, docili mente, docendus adeſt.
Quid diſcit? Quod adhuc, in vitâ, neſciit, & quod,
Inter cultores, diſcere non potuit.
Diſcit ſecubuam Vidui cognoſcere vitam,
Cuius inexpertus totus inantè fuit.
Teſtatur Domini patrium, cùm cædit, amorem,
Et cùm blanditur, ſe probat eſſe Patrem.
Credimus hoc ægrè; Domino ſed credat, oportet,
Qvi vitam Domino ritè probare cupit.
Tædia qvis numeret Vidui? ſed cuncta vorabit,
Qvæ DEUS & miſcet prona, voranda, manus.
Ipſe bis expertus patiens incommoda vitæ,
Qvæ conſorte carens intus & extus habet.
Multum fert, multum fecit, ſudavit & alſit:
Abſtinuit licitis, mente cavente, Bonis.
Iſta bonus diſcit Viduus Doctore-Magiſtrô
Chriſtô. Nam Chriſto cuncta docenda patent.
Diſcat laudatis, inqvam, ſucceſſibus. Et ſic
Multa ſoluta docent vincula Conjugii.
Felix, qvi Chriſtô diſcit benè docta Magiſtrô:
Hunc non doctrinæ pœnituiſſe poteſt.

Mœſtiſſimo Dno. Vidvo
lugenti collugens f.

M. HENRICUS CLOSIUS.

Gymnaſii Magdalenai Rector Vratislaviæ.

GEDANI
GLORIA;
COELUM ACCURATE SPECTANDUM,
NOVE-REPERTO MODO,
EXHIBENTIS.

ANNO M. DC. LI.

TYPIS HÜNEFELDIANIS.

VIRGIL: ECLOGA III.

Dic, quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli ſpatium non ampliùs ulnas?

Dicam—:
In libro HEVELII nondum tres hoc patet ulnas.

GEDANI, SULTIS, ADESTE,
NATIONUM OMNIUM
OCULI:
QVI
QVÆDAM VIDERI, IN COELO NON POSSE PUTATIS;
ITALICÆQUE ET BELGICÆ
LYNCEI,
QUI
QVÆDAM IN COELO VISA NON ESSE NON PUTATIS;
AC PRÆSERTIM,
A
FRANCISCO FONTANA,
NEAPOLI,
&
MICHAELE FLORENTIO LANGRENO,
BRUXELLIS;
ADESTE, SULTIS, GEDANI.
CUJUS IN PALÆOPOLI,
TAM MULTIS, QUAM INCOMPARABILIBUS,
TELESCOPIIS PRÆBITIS,
ADSPICERE INSPICEREQUE DABITUR,
SOLEM MACULOSUM FACULOSUMQUE;
LUNAM MONTOSAM;
SATURNUM TRICORPOREUM;
JOVEM CUM QUADRIPUERPERIO;
MARTEM TRUNCATUM;
VENEREM PRÆGNANTEM ENIXAMQUE;
MERCURIUM CORNUTUM ET GIBBOSUM;
OMNIA ANTIQUO-NOVA;
STELLAS NOVAS ULADISLAVIANAS;
COELUM EXTRINSECUS OMNE.

AUT,

AUT,
ITINERIS MOLESTIAS SUSCIPERE
NE SIT OPUS:
MITTITUR VOBIS, EXHIBETURQUE
JOHANNIS NOSTRI HEVELII,
GEDANENSIS, è BORUSSIS, GERMANI,
SELENOGRAPHIA, IMO URANOGRAPHIA:
VOLUMEN, AN COELUM?
COELI UTIQUE VOLUMEN.
EST ENIM
VOLUMEN HOMINIS;
DEI COELUM.
HIC MANU HOC SUA FINXIT,
ILLE SUIS ILLUD PINXIT DIGITIS,
DEO DAT HOMO EX JURE GLORIAM:
HOMINI DET DEUS EX GRATIA VITAM;
VITAQUE CUM HAC,
SIMUL CORPORIS, SIMUL MENTIS
OCULORUM SERVET PERSPICACIAM:
UT
OBSERVET, ÆDIFICET, PINGAT
PORRO QUAM OPTIME,
TAM BONUS SIDERUM COELESTIUM OBSERVATOR,
TAM DEXTER TUBOSPECILLORUM COELESTIUM
ÆDIFICATOR,
TAM ACCURATUS ICONISMORUM COELESTIUM
PICTOR,
SI QUISQUAM ALIUS, ANTIQUUS NOVUSQUE:
QUASI TRICORPOR, VEL TRIMENS.
CUI INSUPER,
NOBISQUE UNIVERSIS AC SINGULIS,
COELESTE LARGIATUR NUMEN,
NON TANTUM ADSPICIAMUS;
SED INSPICIAMUS ETIAM,
QUID? QUOD INTROSPICIAMUS
COELUM INTRINSECUS OMNE!

V.

JOHANNES REGINCHOMUS.

QVAM,
EX SINGVLARI DIVINA GRATIA,
MOSI EST DATUM,
DE
MONTE NEBO,
VERTICEQVE EIVS PISGAH,
A DOMINO
JUDÆIS OLIM PROMISSAM,
DEMUM QUOQUE EXHIBITAM,
TERRAM PALÆSTINAM
ANTE DE PROCUL INTUERI;
NOBIS,
SI ITA VIDEBITUR,
RETRO VIDENDA SISTETUR,
IN GYMNASII NOSTRI AUDITORIO MAXIMO,
DIE VI IULII, AD HORAM X. ANTEMERIDIANAM,
REPRÆSENTATA
ORATIONE HABENDA
A
PETRO VOGETIO,
STETINENSI:
QVEM BENEVOLE AVDIENDI CAVSSA,
LOCO TEMPOREQUE DICTO,
ADESSE NE GRAVENTUR
BONÆ IN JUVENIBUS MENTIS FAUTORES;
OFFICIOSIS PRECIBUS CONTENDO,
JOHANNES MOCHINGERUS.
P. P.

ANNO MDCLI.
TYPIS RHETIANIS.
GEDANI.
P.

LECTORI,
AD AUDIENDAM ORATIONEM, INVITATO S. P.

EXplicare habeo consilii nostri de declamatione habendâ rationem: idq; paucis absolvam. Namq; mirari quemquam nolo, cur nobis in mentem venerit de hoc, quod jam est indicatum, argumento verba fieri? In confesso est, rem quamcunq;, quæ inciderit, ab Oratore posse tractari, si eam tantùm bene habeat cognitam perceptamq;. Sed verò Declamatores Scholastici multò etiam magis in variis thematibus exerceri debere quis neget? quò nempe rerum tantò plurium notitiâ imbuantur, adsuescantq; omnium generum commentationibus & operibus Oratoriis. Itaq; non putavi alienum fore, si, quem ex umbrâ in coronæ lucem producere certâ de caussâ volui, exercitatorem nostrum vocarem ad condendam de terrâ Cananæâ Oratiunculam, humeris ejus parem. Quo in proposito bene sudasse egregios autores, & sat magna, dictæ regionis, non describendæ tantùm, sed & depingendæ ergò, exædificasse volumina, ut equidem non nescimus; ita inde persuasi sumus, vix improbaturum aliquem, si eam rem breviori dictione persequamur, quam alii locuplete eruditione prædíti uberiori curâ sunt exsecuti. Ne veteres commemoremus, duos constat exstare recentiores, qui scitu dignissima quæq; ut iis, qui ante se eo in opere fuerunt occupati, eripuere, ita post se laboraturis præripuerunt ferè omnia. Alter est Christianus Adrichomius, qui maximâ cum industriâ ac diuturnâ diligentiq; triginta annorum operâ absolutum Terræ Sanctæ Theatrum, cum tabulis Geographicis operi insertis, edidit; sanctè optans, ut, quem sibi ex eo labore finem propositum habuit, adipiscatur, fomentis inde captatis sanctissimarum atq; divinissimarum cogitationum, earumq; inprimis de promissionis terrâ, quæ è cœlis exspectatur, & præfigurata est illâ, quæ, ut in terris quondam fuit, ab ipso est descripta. Alter, idemq; non sanè tacendus, Franciscus est Quaresmius; cujus Elucidatio terræ Sanctæ tam Historica, quàm Theologica & Moralis, duobus comprehensa tomis, ante undecennium, Antwerpiæ prodiit. Quãquam nefas quoq; sit silere hoc loco item itinerarium (ut audit) Sacræ Scripturæ (quod similiter rectè nuncupaveris, si lubet, Terræ Sanctæ itinerarium) Optimi nostri Buntingî, cùm præsertim tam illud ejus autoris scriptum, quàm reliqua, non ingenio minùs, quàm judicio singulari sit concinnatum, singulari certè studio, & ad cynosuram utilitatis communis, non ad phasma ignis fatui, hoc est, vel pompæ deridiculæ, vel colluctationis, sive otiosæ, sive odiosæ.

Sed

Sed ais: sic in proclivi fuit Declamatori, compilare autorum istorum scrinia, atq; ex iis pariter rerum, pariter verborum apparatum petere, aut potiùs (si placeat accusatoriè loqui) suffurari. Ego verò honestè & Romanè, an Germanè? occurram sic respondens; potuisse profectò inde eum multa mutuari, atq; adeo verò etiam esse mutuatum non pauca: sed non tamen ei fuit facile, & legere volumina ista, & seligere ex iis, quæ instituto maximè fuerunt accomodata. Ne dicam, debuisse omnia alibi reperta in compositionis corpus, æquè cogitationis æquè styli ope, redigi; demum verò etiam rerum corpori vestem sermonis fuisse adaptandam. Vestem autem consuerit, an centonem sarcinator, judicare poteris, quisquis adolescenti dicturo aures præbere, quod rogaris, fueris non dedignatus. Et certè nihil indictum fingi debuit à Declamatore: id enim esset falsum. Ex illâ ergò accusatione nihil nobis metuendum periculi.

Dabimus tamen aliam, eamq; peculiarem, caussam præbiti à me Thematis, & à Declamaturo apprehensi. Attento namq;, quòd ille Theologiæ, hoc est, ut Germanicè valde pulchrè loquimur, Scripturæ Sacræ, (quæ, meo judicio, primum, secundum, tertium in studio Theologico est pensum, ita, ut interrogatus, quid primò agere habeat non discipulus Theologiæ tantùm, sed & doctor? responderem, Biblia legat vernacula; quid secundò agere? responderem iterum, Biblia legat in primigeniis lingvis exstantia; quid tertiò agere? responderem deniq;, Biblia legat cum accuratissimis commentariis) Sacræ, inquam, Scripturæ studio se noster tradiderit totus; quid ipsi inspirare commodius & utilius ego potui, pro eâ quidem voluntate, quâ ipsum prosequor, quàm ut sibi comparet quàm primum Terræ notitiam Sanctæ, cujus in fundo ista sunt peracta, quæ Codice utroq; divino continentur; quò videlicet tantò faciliùs & feliciùs cùm in lectione, tum intellectu Sacrarum literarum pergere non nequeat? Nihil est sanè certius, quàm graviter hallucinaturum in voluminum tractatione cœlestium, qui animo non est complexus, aut complecti non studuerit regionis Palæstinæ omnia. Quin accidet ei non rarò, quod illis scotomate percusis Syris, qui cùm oppidum Dothan coronâ cinctum occupare intendissent, apertis demum oculis, animadverterunt, seductos Samariæ se appropinquasse. Hoc est, fiet, ut Topographiæ Sacræ ignarus, non locum modò alium pro alio capiat, verùm & rem unam pro alterâ, ac fortè demum pro cœlo terram, pro terrâ cœlum. *Videlicet, cùm omnes tam novi, quàm veteris Testamenti libri* (quod verissimè ac instar oraculi proditum reliquit laudatus Adrichomius) *locorum hujus terræ, quæ re & nomine sancta est, jugem ac penè perpetuam celebrent memoriam, eorum absq; oculari intuitu, aut saltem Topographicâ imagine, nulla potest esse cognitio: nam, teste Hieronymo, quomodo Græcorum historias*

magis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui à Troade per Leucaten & Acroceraunia ad Siciliam & inde ad oſtia Tyberis navigaverint: ita ſanctam Scripturam lucidiùs intuebitur, qui Iudæam oculis contemplatus ſit, & antiquarum Vrbium memorias, locorumq; vel eadem vocabula vel mutata cognoverit. Quæ ſanè certiora ſunt, quàm ut negari queant. Sapiet itaq; (& ſpero, futurum, ut ſapiat) Declamator meus, ſi, quam ipſi monſtravi, calcaverit ſemitam, & per hanc graſſatus fuerit ad

Edita doctrinæ ſacratæ templa ſerena.

Reſtat, ut oſtenſum eam, tantine videri alicui debeat, ut ad audiendum ſe adferat noſtrum, rogatu noſtro iterum atq; iterum vocatus? Cui quidni ſatisfaciam, ſi eum ſolummodo ad unicum D. Hieronymi exemplum ablegavero? Qui, (ſicut proditum accepimus, ipſeq; ille idem prodidit) operæ precium ſi duxit, magnũ iter ad ſancta proficiſci Hieroſolyma, & omnes Iudææ oras, ut ejus telluris veſtigia & rudera univerſa atq; ſingula, non augendæ minùs pietatis, quàm doctrinæ gratiâ, præſens contemplaretur; quidni ordine noſtrûm aliquis egerit, ſi, paſſibus aliquot confectis, ſiſtat ſe in Gymnaſio, ut ex repræſentato *ſibi ibidem ſolo Palæſtino*, ſive cognoſcat *ignorata*, *ſive cognita ſibi* ad animũ revocet?

Vos verò etiam, Viri Vrbis noſtræ primarii, qui, pro munierum Veſtrorum dignitate, circa ſacra aut profana, publicè & privatim, eſtis diſtentisſimi, rogo oroq; perobſervanter & perhumaniter, ut tantiſper ſepoſitis, ſi fieri poſſit, negotiis, propensè adeſſe velitis, & audire eum, qui ambit aures Veſtras favoremq;, quantum poteſt maximè. *Vellet* enim aliquos ſibi divinitus obtingere *Mecænates* & Promotores, *qui ei, literis animum ſedulò* excolenti, quædam ſuppeditare non nollent, quibus corpuſculum eget, ut alatur, tegaturve. Clariùs dicam: Declamatori Vogetio ſatis ingenii obtigit; ſed cenſus nonniſi exiguus. Vixit hîc per annos aliquot præcipuè à cognato altus; verùm modò ituriens ad emporia artium majora vel celebratiora, neſcit quò ſe vertat, viatico deſtitutus. Quare, ſi declamando merebitur, adſciſcite bonæ mentis alumnum in numerum clientum Veſtrorum: à quò haud dubiè polliceri nobis poſſumus, quòd, cum Deo & die, queat Scholæ aut Eccleſiæ eſſe utilis, ſi non in ſuggeſtis majoribus, at minoribus. Orantem audite, &, ſi licet, juvate. Cujus nomine qui fui Orator, utinam ſim exorator! Gravida Vos à Deo gratia manebit; à nobis haud jejunum præconium. Valete.

Dab: Gedani, Anno ſalutis M DC LI. die 29 Iunij,
quæ eſt conſecrata ſanctæ recordationi B B.
Apoſtolorum, Petri & Pauli.

JOHANNIS MOCHINGERI,

ELOQUENTIÆ PROFESSORIS,

ORATIO,

IN GYMNASIO GEDANENSI,

ANNO M DC LI. DIE XIII. IVLII,

PRONVNCIATA:

CUM,

AMPLISS. DNN. SCHOLARCHARVM *AVTORITATE,*

CLARISS:

M. MICHAEL FALCKIUS,

AD

LOGICES, METAPHYSICESQVE,
UT ET PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ,
PROFESSIONEM SVSCIPIENDAM,
EST INTRODUCTUS.

EDITA,
GEDANI,
TYPO RHETIANO.

ORATIO.

PATRIÆ PATRES MAGNIFICI ET NOBILISSIMI, DNN. PRÆCONSVLES ET CONSVLES, DNN. PROTOSCHOLARCHA ET SCHOLARCHÆ; GRAVISSIMI DNN. SCABINI; PLVRIMVM REVERENDI FRATRES, INQ; CHRISTO DEAMANDI PLVRIMVM; CLARISSIMI IN GYMNASIO COLLEGÆ; VIRI RELIQVI DOCTISSIMI, HVMANISSIMI, SPECTATISSIMI, ELEGANTISSIMI; IVVENESQ; ET ADOLESCENTES STVDIOSISSIMI; AVDITORES VNIVERSI ET SINGVLI, CORONA ME CINGENTES TAM FLORENTISSIMA, QVAM HONORATISSIMA.

QUanquam ad dicendum non uſq; adeo invitus ſurgam, ſi muneris id exigat ratio, aut boni publici: facere id tamen etiam promptiùs ſoleo, nobilem aliquam nactus occaſionem, quæ me facilè excuſet, etſi præſtando vix ſim, quod me apud concionem in gratiam ponere queat. De cætero, ſi nec hac, nec illo adducar, lubens libenſq; ſedeo & quieſco tacitus. Non enim tantùm penſito mecum, grave eſſe profectò arduumq;, pluribus latentibus & ſilentibus, unum ſe velle videri & audiri; ſed & tutius eſſe perſuaſus ſum jucundiusq; ex aliorum dictione proficere, quàm dicendi periculum adire, cùm ſit incertum, ſisne profuturus, an præbiturus

anſam aliis, in ſermone tuo quicquam deſiderandi, quam libet haud malè ſenſeris? Quæ autem ſe mihi nunc obtulit opportunitas ad prodeundum, inq; cathedram hanc pedem inferendum, ut inde pro tempore locoq; verba faciam; fateor, multò me reddidit alacriorem. Quippe inexſpectata venit, ſed tamen dudum exoptata. Atq; exoptata quidem ideo: quia nihil unquam in votis habui magis, quàm ut verbis extollere mihi detur facultas, quæ bona ſunt; aut eorum ſim hortator, quæ, ſi confecta ſint, autoribus laudem (quam nulli, verè eam merenti, invidere jam pridem inſtitutum habeo, tribuere verò potiùs longè propenſisſimè) egregiam concilient. Idq; etiam omnium maximè opto iterum atq; iterum, ut quàm creberrimè mihi fas ſit ad divini ſtudium honoris, vocis vel cumprimis eò loquendi compotibus animalibus conceſſæ uſu, plures aliquos impellere; cùm non ita ardeam quenquam laudare, ut non ſim cupidior gloriæ divinæ concelebrandæ; quin ſic planè ſentiam, vix dignum eſſe hominum aliquem, qui deprædicetur, niſi qui Dei gloriam pro ſcopo actionū ſuarum habeat. Quemadmodum item, præſentem quoq; eò collineaturam Orationem meam ut intelligant univerſi ſinguliq;, quâ poſſum, contentione in id allaborabo. Sed exponam priùs occaſionem ad dicendum ſurgendi mihi modò præbitam, ne non tam Veſtro AA. probetur calculo, quàm mihi viſa eſt non improbabilis, nec ullatenus defugienda, quin obſequiosè & officiosè amplectenda. Verbo autem abſolvetur, ne longum faciam. Autoritate nempe DNN. SCHOLARCHARVM, & invitatione ejus, ad quem potiſſimùm audiendum omnes adeſſe nullus dubito, ut debui, ita volui, dicendi, an præfandi? operam in me ſuſcipere. Quamvis ſi id quaſi fato etjam eſſe factum aſſeveravero, nihil præter verum mihi videor

videor affirmaturus. Cùm enim nondum præstò sit Gymnasii nostri Rector, cujus esset aperire carceres, in quos intromitti debet ad docendi spartam advocatus; ecce Rhetor tantisper successit in locum vacuum. Atq; utinam valeret Consultissimus Inspector, tum neq; nostrâ fuisset opus operâ! Superfuit utiq; adhuc ille, qui ordine & jure hoc operis subiisset: sed Viri ea est publicè cognita indoles, ut malit audire, quàm audiri. Aut audiri verò de illis naturæ arcanis suis, sive cœlo deductis, sive è solo erutis. Sicut & non longum tempus est, cùm fuit per tot dies continuos horasq; auditus, tam eruditè Auditorum caussâ, quàm jucundè spectatorũ ergô, de admirandâ corporis humani fabricâ edisserens. Ita ad me pervenit series, ut sive electo, sive relicto partes hunc actum inaugurandi imponerentur.

Quemadmodum autem januâ quasi bipatente, viâq; planè regiâ sic me delatum esse animadverti ad dicendi provinciam adeundam: ita sive in arcto, sive in bivio vel trivio esse me constitutum sensi, cùm igitur animum intenderem, quo de essent verba facienda in præsens, aut commodè fieri possent: ne videlicet, qui excusatus essem ob munus ritè capessitum, accuser fortè, quòd eo non satis bene defunctus fuerim. Sciunt videlicet mecum, qui dicendo & docendo sæpe operantur, quanta sit crux dicturientium, colluctari cum argumento, quod amplecti vis, non vis; vis, non vis spernere; imò arbitraris, te aut amplecti debere, aut spernere. Namq; terrent nos judicia non incognita, nec rarò à nobis ipsismet (ut sumus ad judicandum proni) sat calidè expressa, de Orationum auditarum argumentis, vel vilibus vel pervulgatis, vel certè non illis, quibus de licuisset, arbitratu nostro, proferre quicquam commodius, utilius, laudabilius, admirabilius. Etsi verò etiam talia ore non pro-

mantur; nemo non audientium tamen apud se volvit animo; hoc non est, quod debebat esse, potuisset aliud magis appositè explicari. Et potuisset verò; ajo ego itidem: si ejus tantùm venisset in mentem circa Orationem distracto, magnæ profectò, si eam suis momentis pendas, molis opus. Alius alio plura invenire potest, nemo omnia: monente præclarè præclaro autore. Deniq; sibimet ipsi in argumenti alicujus ad detractandum sumti delectu satisfacere, dum mens nimis quàm valde apud Oratorem consideratum fluctuat, hoc opus, hic labor est. Sed demum more meo usus sum, ut me quomodocunq; è morâ expedirem. Quod nimirum videbatur utile, ut occurrit, thema arripui: ac præsertim, quia & loco & tempori (quæ res duæ ipsa *obvia quæq; reddunt commendabilia*, certè prohibent, ne sint invisa,) consentaneum prorsus videbatur. Definiebamq; tandem, velle me ostendere, ut quitum est, quantopere Magistratum deceat Scholarum cura & rerum Scholasticarum. Atq; videor mihi videre, proindeq; admodum erigor, Vos ipsos Patriæ Patres, atq; ex Patrum Ordine lectos constitutosq; Dominos Scholarchas, quasi annuere, ut exsequar tantùm cogitata, quò eâ scilicet ratione & Vobis huic negotio sedulò vacare volentibus ad animum quædam revocentur, & cuncti simul percipiant, quàm multivaria sit in Curiam (magnificum sanè illum curarum publicarum nidum) honoris, an oneris? caussâ accitorum solicitudo, ut de Ecclesiâ, de Scholâ, de familiis, de aris focisq; & re communi laborent. Velle me id ostendere ajo. Et quàm vellem, me admodum bene & plenè id posse facere! Sed alterum esse doleo supra mediocritatem meam, alterum supra temporis angustias. Boni autem, pro modulo ingenii & horulæ, dicenda primò consulite; dein, pro prudentiâ Vestrâ, prudentiæq; fonte, illo nempe

pe & judicio & usu Vestro singulari, tam hîc cogitando, quàm alibi, pro re natâ, proponendo, defectum indictorum optimè & ampliter supplete: Vos ego quæso, Auditores omnium Ordinum digniſſimi; ac Vos cumprimis, Patres Patriæ, Patresq; Scholarum.

Thebanum Cratetem altâ apud suos voce aliquando proclamasse accepimus, cùm turris editissimæ fastigium conscendisset: quo ruitis, cives? inquit. Studium maximum corradendis pecuniis impenditis, & filiorum, quibus eas relinquetis, non tantam habetis curam, quantam oporteret atq; prodesset. Similiter autem ego mihi videor esse collocatus hoc in alto, unde prope ab omnibus Civitatis nostræ inquilinis audiar de eo, quod circa educationem liberorum, hoc est, sive domesticas sive Urbicas Scholas, inspirare & suggerere in animum induxi. Enimvero minimè isto Cynici exemplo in omnes ego irruam, latrans mordensq;, quasi nulli sint mœnibus Civitatis nostræ comprehensi, qui sobolis suæ, á stirpe, quoad fieri potest, accuratè observandæ tangantur solicitudine, omnesq; adeo ad unum suo desint tam necessario officio. Canum mihi potiùs linguam sanantem lingendo esse malo; quàm dentes insanos sauciando. Vellem tamen, plures essent, vellem omnes, qui satagant de filiis filiabusq; bono publico & privato educandis; eorumq; sequantur exempla, qui punctum omne hac in parte ferunt! Equidem quorundam ea est culpa, ut hereditati magis scientes volentesq; studeant accumulandæ, quàm heredibus ad hereditatis usum, tam sanctum, quàm circumspectum informandis: sed & certum est, nescire alios, quomodo curæ ope debeant protem fingere, quam naturæ instinctu procrearunt? Constaret id experimento, si nonnulli parentum juberentur edicere, quid sibi videatur spectare ad liberorum infor-

mationem, Deo gratam & Civitatis universæ commodis utilem? Sed quia bene intelligere est, haud unquam esse exspectandum, ut omnes artem teneant, quæ vel maxima est, ni fallor, vel inter maximas, juventutis erudiendæ; restat officinas exstare, in quibus pubes doceatur, quæ ad omnis vitæ genus honestè transigendæ, & deniq; ad ipsam vitam æternam (quâ de cogitandum vel maximè in hac perbrevis lucis usurâ) beatè acquirendam sunt necessaria & conducibilia. Quibus non deficientibus, facilè constare potest omnibus, quî liberorum sit ratio habenda? nempe, ut tradantur (multa paucis efferam, atq; ideo velim omnes parentes modò esse quàm attentissimos) tradantur Scholis. Nonne igitur Magistratum decet, qui Dei loco est, communitati Universæ prospicere de Scholis & (quas nomine Scholarum complector) utilitatibus Scholasticis?

Id quod etiam luculentiùs declarare annitar, atq;, si possum, ita, ut clariùs istud doceri debuisse nemo jure pertendere queat. Quantæ, quantæ igitur sint curæ reliquæ eorum, qui, ut Reipublicæ præsunt, ita ut prosint, pensi habent; non omittendam illam esse de Scholis constituendis, constitutis conservandis, conservatis omni ex parte adornandis, comprobatum ibo. Quid enim est aliud, Scholarum constitutioni, conservationi, adornationi invigilare, quàm Civitatem perpetuare, & cives Civitati duraturæ idoneos parare? Sunto in Scholis parvi junioresq; quirites: at illi ipsi erunt brevi adultiores, ipsiq; Urbis quirites, quidam Patres. Quales autem in Scholæ umbrâ fingentur, tales conspicientur demum in Reipublicæ luce. Quod, & Tullius, tam Repiublicæ, quam Scholæ gnarus Consul: Talem habituri sumus, ait, Rempublicam, qualem nunc videmus juventutem. Malesana Imperatores quosdam stimulavit

curio-

curiositas præsciendi, ecquosnam habituri essent successores? & eapropter Astrologos, Genethliacos, & maleferiatos Magos consultum ivére. Prohibeat Deus tam infandam operam! Sed si lubet cuiquam cum innocentiâ antè cognoscere, qui, post nostra tempora, Patrum thronos sint occupaturi, suggestus Antistitum, sedes docentium; si vult, Scholas intret, & intuebitur in speculo illos adolescentes, quos exspectant throni, suggestus, sedes. Nempe ipsimet nos, qui in thronis, suggestibus, sedibus nunc locum habemus, non possumus non meminisse, & nos aliquando in istis & aliis Urbicorum ludorum subselliis inferioribus sessitasse. Emersimus inde, per Dei gratiam, & cedentibus aliis successimus. Cedentibus nobis succedent alii, atq; his iterum alii, tam *diuturno ordine, quàm diu erit mortale genus humanum.* Namq; longum & nonnisi cum Orbe desituro periturum epiphonema habet illa cantilena triplicis chori, in solennibus Spartanorum auditi, sic præcinentibus senibus; nos quondam eramus bello inclyti viri: accinentibus juvenibus; nos ii sumus, fac, si velis, periculum: succinentibus demum pueris; nos fortitudine plurimum præstabimus. Qualis cantio etsi hac tempestate apud nos non accipiatur auribus: saltus tamen illi harmoniæ accommodatus ipsis his nostris indies usurpatur oculis.

Neq; patiar quenquam sentire, quantumlibet hoc non eloquatur (ut puto tamen aliquos sentire) haud tanti esse Scholas, utpote quæ sint nonnisi parvorum pecorum stabula, dummodo majoribus maximè armentis prospiciatur ab illis, quos Poëtarum Coryphæus vocat pastores populorum. Hoc volo: metuo, in hunc errorem nescio quî aliquos incidisse, sanè dignum, cui gravior nota inuratur, quòd id sit satis verè & bellè, sine

dubio, Magiſtratum gerere, ſi de jure pacis & belli denſæ deliberationes inſtituantur (quanquam videor mihi animadvertiſſe, quòd majore etiam quædam aberratio in nonnullarum Magnarum Poteſtatum pectora irrepſerit, haud ſeriò & crebrò valde de illo belli jure, quippe quod ſit extra controverſiam, cogitantium; ſed de belli mediis, ſive armatis juris bellici interpretibus & pecuniâ, talium Iure-Conſultorum conciliatriculâ) ſi de rebus feliciter emendis vendendisq; Senatus cogatur, ſi collegia opificum contineantur in officio, ſi de ædificiorum magnâ & firmâ mole conferantur capita: poſteriores & rariores eſſe poſſe conſultationes reliquas de Scholis, ſive majorib⁹, ſive minoribus. Majoribus ajo, hoc eſt Eccleſiis: ajo minoribus, hoc eſt *Scholis, unicè hac tempeſtate ſic nuncupatis. Ego verò planum* faxo, ſic & adinventum & adminiſtratum iri dexteriùs & pacis & belli jura; ſic mercimoniorum meliorem fore progreſſum; ſic opificum res ſe augere poſſe magis; ſic ædificandi operam futuram cùm accuratiorem, tum abſolutiorem; *ubi Scholæ à Magiſtratus providentiſſimo* conſilio fuerint conſtitutæ, & quidem bene conſtitutæ. Namq; ex Scholis bene conſtitutis prodibunt his rebus omnib⁹ maximè idonei, easq; res vel prædocti; vel doceri faciliùs apti. Ex Scholis bene (bene inquio, quâ voce, ex Scholaſticæ cõſiderationis indole, mihi caveo) bene conſtitutis exibit pacis cultor ſtudioſus, belli ſectator ſtudioſus, mercator ſtudioſus, opifex ſtudioſus, architectus ſtudioſus. Quâ voce ſtudioſus item ſtudioſè uti volui; ejusq; jam jam illico reddã rationem. Non equidem neſcio, non à vulgo ſolùm, ſed & ſupra vulgum ſentientibus hodie ſtatui, quòd homo de Scholâ nihil minùs ſit, quàm civis paterfamiliasve bonus; nihil minùs, quàm miles intrepidus, quàm mercator frugi, quàm opifex ſedulus,

quàm

quàm ædificator peritus, cùm nonnisi Scholæ sermone sit imbutus, qui tanto intervallo distet à vitæ opere, quanto lingva à manibus, & hæ ab illâ. Sed ego nihil vereor ex vero asserere, nonnisi studiosum posse rectè personam gerere in hac Orbis scena, arbitratus talem, qui cum studio scientiæ & conscientiæ id peragat, quod suarum est partium, ut hac propter non hominibus solùm sit approbatus, verùm etiam Deo. Nam non omnes sunt Bacchi, qui sunt, ut proverbium habet, thyrsigeri. Minimè quilibet, si excutiatur, aut seipsum excutiat, est re paterfamilias, miles, mercator, opifex, ædificator, qui aut nomine aut opinione is habetur.

At hîc videor mihi audire ingentia & multa multorum magnà voce prolata vota, sic in occursum nobis tendentia, *sicut magni & ingentes fluctus cum permagno & ingenti fremitu.* Utinam multi tales studiosi è Scholis prodeant! Utinam multæ tam bene constitutæ sint Scholæ, ex quibus, tanquam ex equo Trojano, multi ejus notæ studiosi prodire non nequeant! Ego verò etiam item altâ, quantâ possum, voce occlamo, exclamo, acclamo: Vtinam omnes optimè instituti ex omnibus optimè constitutis Scholis pedem efferant! Sed tum reliquum est, ut Magistratus de eo provideat, penes quem est Scholas erigere, regere, dirigere, corrigere; ut & de eo videre oportet Magistros discipulosq;. Quanquam, quod facilè est colligere, & id, quod Magistros & discipulos attinet, non exiguam partem à Magistratus partibus dependet; si ille tum Magistros commodos legat, lectos observet, observatos præmiis excitet & incitet; tum discipulos, reverà studiosos, foveat, ornet, juvet; nominetenus autem illos studiosos doceat (ut Magistratus quidem validè & cum effectu potest docere) moribus studiosorum uti, aut eos doceat (ut

admodum doctè, quanquam populariter, & Germanicè, at verè germanè, sic loquimur) doceat mores. Sed sic vastum mare oceanumq; ipsum ingrederer, si de docentium dotibus, & discentium officiis, à Magistratu solicitè attendendis, edissertationem aggrederer, adeoq; verè Scholam de Scholis aperirem: cui tantæ non committo jam ratem meam amplitudini, imò turbulentissimæ ibidem facilè exorienti tempestati: quippe qui teneo probè, nonnisi modicè explicato velo mihi in præsentia esse prætentandum vadum & sic littus legendum.

Arbitror me vix obscurè demonstrasse, quòd Rectoribus Majorum gentium planè conveniens sit, si Scholæ iis sint curæ, nec earum curam curis aliis postponant. Quod & clarius hoc udo cœlo efficere *non nequirem*, si *meum, aut hoc ipsum Vestrum, tempus mihi* permitteret, dictionem nostram exemplorum luce collustrare & perfundere. Quippe in proclivi esset, cùm ex voluminum memoriâ, Spartanorum seu Lacedæmoniorum; tum ex nostrâ, tam inclytæ Noribergensis terrestris, quàm potentis *Amstelæ maritimæ*, Scholas adducere, à Præsidibus incomparabili prudentiâ & vigilantiâ instructas: sed ab istis datâ operâ abstinere placet recensendis exemplis exteris; quia non necesse est, Regnicolarum vicinorum more, qui, quum habeant domi, foris quærunt Reges, accipere exempla aliunde, quæ majores nostri nobis dedere, nos aliis. Quemadmodum nec nobile hoc Gymnasium nostrum in præteritis reliquit alter hujus seculi Claudianus, haud scio tamen, an Poëta melior, an Orator? Caspar Barlæus, cùm Amstelodamo, superioribus annis, inter præclariores Orbis Europæi Scholas, istud itidem ob oculos posuit. Atq; Antecessores quidem nostri, è vestigio, post sanctæ reformationis tempora, secuti in eo divini Herois consi-

lium,

lium, qui æquè Eccleſiarum repurgationem oſtendit, æquè Scholarum commendavit inſtructionem, nulli cogitationi pepercere ſumtibusq; nullis, ut ludi, quemadmodum vocantur, aperirentur literarii, & communiti eſſent, quoad fieri poſſet, neceſſariis præſidiis. Hinc etiam tot hodie apud nos Scholæ præcipuæ, quot Eccleſiæ capitales, ſeu Parochiales. Quin & condita hæc Scholarum Metropolis, quod Gymnaſium audit, tam adultiorum è noſtris literaturæ dicatorum cauſsâ, quàm ad emolumentum advenarum. Quam rem maximè promoviſſe & conſilio & autoritate nunquam non futurum famâ ſuperſtitem Conſtantinum, non ignoratur; ut mirum non ſit, iisdem in veſtigiis pedem ponere Conſtantinum alterum, qui ut adhuc diu in vivis ſuperſit, Deus velit! Non patientur, ſpero, tam ardentem ſibi ab illis nunc Scholarchis laudatiſſimis Quatuor omnibus, ut & Magiſtratu in univerſum meritiſſimò obſervando, traditam lampada, in manibus ſuis exſtingui poſteri.

Itaq; hinc profluxit, quòd, cùm locus Profeſſoris Logici Metaphyſiciq; ut & Philoſophi Practici eſſet exinanitus, de eodem & ad laudem Gymnaſii & ad fructum ſive doctæ, ſive potiùs docendæ, juventæ, ſupplendo diligens conſilium iniverint. Ac cognito, eſſe civem, quem ipſi quoq; exteri aliquo loco & numero haberent, eum ſine morâ & cunctatione vocandum eſſe ſunt rati, ut patriæ acceptum reddat officium. Hoc eſt, ut illuſtre hoc Athenæum Patrium iis locupletet opibus, quas alibi acquiſivit; ſic quondam hinc emiſſus, ut in majorum gentium emporiis prudenter mercari, & idonea ſibi patrioq; & ſolo & cœlo comparare eximiè poſſet. Quisq; ille ſit, quem priſtini amoris, ac recentis, quo affectus eſt, honoris cauſsâ deſigno, intelligitis Auditores; eumq;, quem ego ſermone, vos adſpectu tangitis.

Is est, inquio tamen apertè (utpote quem & lectum & constitutum, autoritate Nobilissimorum DNN. Scholarcharum, esse publicum Logices Metaphysicesq; & Practicæ Philosophiæ Professorem clarâ voce pronunciare debeo) clari mihiq; etiam chari nominis Civis noster, *M. Michaël Falckius*. Sed prorsus non est necesse, nos ejus laudum hic præconium texere. Venit enim ad nos satis laudatus ab exteris laudatis: qui ex patrio hoc theatro superioribus annis abiit ita spectatus, ut non exspectaverimus non, talem eum rediturum, qualis adest. Ut nihil etiam sit dubitandum, quin ita se gesturus sit in provinciâ commissâ, quò tam nostram impleat fiduciam, quàm exterorum respondeat laudationi.

Vos tantùm, mei Adolescentes, qui Phrontisterio huic nomen dedistis, ut hîc tam *veram pietatem*, quàm artes bonas fideliter discatis, & quò emollitis moribus non tantùm dediscatis esse feri, sed & evadatis aliquando studiosi, non, non verò illi, qui his temporibus dicuntur absoluti, quorum aliquos dolendum est tam esse efferos, cùm volunt videri absoluti; sed tales studiosi, quales suprà ex Scholis bene constitutis exire diximus, si Scholarum doctrinæ & disciplinæ rectè conformatæ respondeant; omni scilicet vitæ genere, tam scientiæ, quàm conscientiæ studio (pace gravissimæ Coronæ, quæ sine dubio hæc mecum vult inhærere & hærere non in memoriâ solummodo Vestrâ, sed in medullis intimis, repetere me dicta hæc Vestri caussâ memineritis) studiosi, inquam, idonei: Vos tantùm bona vestra intelligite, & non negligite. Agnoscite Magistratus nostri fidelissimam de universâ Urbe, & benevolentissimam de hoc Urbis oculo, de hoc Lyceo, curam & industriam. Agnoscite DNN. Scholarcharum studium, cum nomine partes suas studiosè implentium, in æde hac Musis,

sis, seu, ut rectiùs dicam, divinisq; humanisq; literis consecratâ & sartâ & tectâ conservandâ, imò magis magisq; accommodandâ, ut inibi majori cum fruge, nec non oblectatione degere vobis sit aptum. Atq; cùm nec Magistratui, nec ex eodem delectis DNN. Scholarchis reddere & referre possitis aliquod præmium, vel certè æquivalens non possitis, celebrate eorum nomina sermonibus, &, quod præstat, eorundem fortunas, vitam, corpora, animasq, divinæ bonitati quàm sæpissimè commendate. Orate crebrò pro Civitatis salute & incolumitate indigenæ; quâ parentum vestrorum & cognatorum salus & incolumitas continetur, quid? quod & Vestra. Orate frequenter pro Civitatis hujus quiete advenæ; quæ vobis hospitium & victum non tantùm corporis sed & animorum præbet. Audite docentes & regentibus estote audientes. Aures præbete novo vobis sistendo & se sistenti Professori; nec à veteribus avertite aures. Quæ nostra sit vos meliùs meliusq; informandi ratio, tenetis: tenebitis brevi, quàm sit amplexurus Epistates recens. Sperate fore, ut ad captum vestrum, adeoq; & ad usum, adæquaturus sit omnia. Docebit ille Vos disputare; sed priùs ostenso disputandi artificio: & cumprimis nonnisi rerum & sermonis necessario apparatu instructos jubebit in aciem vos venire, ut sciatis, quid sit & quî disputandum? Docebit ille vos syllogismos exstruere, quibus eruitur verum è rerum fundamentis, sicut ligone herba, radix, arbor, aut aliud quicquam è terræ fundo. Docebit ille vos, ante Syllogismi exædificationem, propositionum examen & intellectum, ut & terminorum considerationem & constitutionem. Docebit ille Vos, post syllogismi architecturam; vel thema unum seorsim tractare, vel plura conjunctim coordinare Logicè, eademq; apud autores

tractata & coordinata contemplari & deartuare. Docebit ille Vos ad ſúmmam, Logicæ contemplationis modos omnivarios, ſimplicis, compoſitæ & cujuscunq;. Docebit Vos itaq; eo modo Logices omnia, ut in proclivi nobis ſit futurum, vos ad Oratoriam inventionem, diſpoſitionem, elocutionem, & actionem adſuefacere. Nec non, cùm tempus erit, docebit Vos Metaphyſicam; ſed roſas ſuo ungue decerptas vobis tradendo, ſpinis miſſis factis. Ac quia amatorem & ſectatorem eſſe Ariſtotelis non ignoro, non dubito, futurum, ut vos doceat ſic Ariſtotelem legere, ſicut ipſe legit, ut nempe intelligeret dextrè, provideq; ſeligeret neceſſaria à minùs neceſſariis, ævo noſtro utilia ab inutilibus, vera à vero ſimilibus. Quin, quia eſt Ariſtotelis ſectator & amator, docebit vos, Ariſtotelis ipſiuſmet exemplo, *veritatem, ſi quæ nuper eſt indagata, aut ex ſacris* literis, Stagiritæ non lectis, ſe inſinuavit, ſanctiorem habere & amiciorem, quàm Ariſtotelem, quàm Platonem, quàm Socratem. Cùm docebit etiam Philoſophiam Practicam, illius, quo gaudet ea Philoſophiæ pars, nominis memor, praxi, *non theoriâ tantùm, ſive opere, non verbo vos* docebit practicè philoſophari. Faciat ita cum Deo officium ſuum docens: faciatis officium veſtrum diſcentes. Faciamus omnes noſtrum. Illi, vobis, nobis favente & ſucceſſum atq; vires largiente Patre luminum, à quo omne donum deſuper, precibus unicè cœlo deducendum!

Iam Tu adi autem hunc locum, Clariſſime & mihi multò Chariſſime *M. Falcki*, & fac audiaris, quem dicere ordientem procul dubio avidè exſpectat honoratiſſima concio, ut me modò abrumpentem.

Igitur filum abrumpo.

DIXI.

BIBLIOTECA

BIBLJOTEKA KÓRNICKA
3150

J. Mockingeri
Hermathenæ
Gymnasii Gedanensis

MDCLI.